



ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

AB ANNO 1084 AD ANNUM 1429


AUCTORE

D. CAROLO LE COUTEULX

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS
IN LUCEM EDITI

VOLUMEN PRIMUM



MONSTROLII
TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS
M DCCC LXXXVIII

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

IMPRIMI POTEST.

FR. ANSELMUS-MARIA Prior Cartusiæ.
XV Kalend. Decembr. M. DCCC. LXXXVII.
in Solemn. S. Hugonis Lincolniensis Episcopi.

IMPRIMATUR.

† DESIDERATUS-JOSEPH, Episc. Atrebat.,
Atrebat., XI Kal. Decembr. M. DCCC. LXXXVII.
in Festo Præsentationis B. V. MARIÆ.

ANNALES
ORDINIS CARTUSIENSIS

AB ANNO 1084 AD ANNUM 1429

AUCTORE

D. CAROLO LE COUTEULX

CARTUSIANO


NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS

IN LUCEM EDITI

VOLUMEN PRIMUM



MONSTROLII
TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS
M DCCC LXXXVII


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

PRÆFATIO

Licet jam anno 1615 omnibus Prioribus et Superioribus Domorum mandasset Capitulum generale ut, pro chronologica rerum Cartusianarum Historia in lucem edenda, fundationes, privilegia, miracula et alia id genus insigniora et relatu digna transmitterent ad Reverendum Patrem, tantum hoc opus variis de causis adhuc desiderabatur, cum per sequentem admonitionem Capituli generalis anni 1686, cui præerat Reverendus Pater D. Innocentius Le Masson, revocata est res :

« Quia propositum jam dudum conceptum componendi et divulgandi Chronica Ordinis partui tandem vicinum est, et Reverendus Pater, evocatis ad se hujus compositionis studiosis operariis, manum ad opus incunctanter missurus est, monentur omnes Domus Ordinis ut infra annum singula curent mittere memorialia rerum notabilium quas apud se a tempore memorabili evenisse nossent, et huic operi inseri posse censebunt.

« Quod opus in tres partes dividetur, in quarum prima Instituti nostri ratio, spiritus et firmitas enucleabuntur ac per Statutorum veterum ac novorum ad invicem collatorum litteram, nec non per Ordinationes Capitulorum generalium probabuntur ; in secunda, de viris pietate et observantia claris agetur ; in tertia vero, historia texetur fundationis Domorum et rerum notabilium quæ in singulis per diversa tempora evenerunt.

« Quæ succincte et observato in omnibus Cartusianæ simplicitatis stylo scribentur; non enim, ad ostentationem, sed ad propriam omnium nostrum ædificationem et consolationem, et maxime ad suscitandum semper in nobis zelum insequendi vestigia antiquorum Patrum et ab ipsis nunquam aberrandi. »

Secundum hanc admonitionem, e variis Domibus Ordinis ad Domum Cartusiæ tot affluxere documenta ut inde, testante D. Le Couteulx, sexaginta volumina in-folio componi potuissent. Primam operis partem feliciter perfecit ipse Reverendus Pater D. Le Masson, cum anno 1687 prodierit Correriæ volumen cui titulus : *Annales Ordinis Cartusiensis, tribus tomis distributi. Tomus Primus, complectens ea quæ ad institutionem, disciplinam et observantias Ordinis spectant.*

Tria autem Ephemeridum volumina, a Domno Leone Le Vasseur, professo Domus Borboniensis et Scriba Ordinis, concinnata, adhuc extant manuscripta. Pariter, quod juxta tertiæ partis synopsim, de Domorum historia reliquit D. Carolus Le Couteulx, manuscriptam habemus. Licet tres partes primitus in unum opus coalescere deberent, nunc uniuscujusque auctoris lucubrationes separatim publicandas esse ducimus. Reverendi Patris D. Le Masson Annalium, qui, sicut in fronte eorumdem anno 1703 Parisiis impressa habetur, potius prænotandi essent : *De Disciplina Ordinis Cartusiensis*, editio differri potest; horum enim nonnulla exemplaria in omnibus Domibus nostris, in bibliothecis publicis atque etiam apud libelliones hactenus inveniuntur. Ephemerides autem seu Vitas personarum Ordinis pietate et observantia regulari insignium sine mora typis mandari, Deo dante, curabimus. Jam ad præsens in publicum proferimus D. Le Couteulx præclarum opus,

cui *Annalium* nomen proprie competit, cum facta annuatim narrentur, ad exemplar, si parva licet componere magnis, Annalium Ecclesiasticorum Baronii.

D. Carolus Le Couteulx in Domo Borboniensi anno 1660, receptus est ibique, peracto novitiatus curriculo, vota nuncupavit. Qui etiam ante vestitionem de fastis Ordinis et historia cogitabat, postea liberius tali incubuit studio. Vicarius effectus novæ plantationis Rothomagensis, Priorem habuit D. Leonem Le Vasseur, de quo dictum est quod semper legeret aut scriberet: sancta conjunctus erat amicitia venerandus ille vir D. Joanni Chauvet, Scribæ Ordinis celeberrimo, qui Rothomagum transmittebat quidquid, antiquitatis amator et indefessus investigator, exararat ipse vel e diversis provinciis perceperat; sic, faventibus quoque spectatissimis aliis monachis, se collegisse refert D. Le Vasseur copiosam documentorum messem illamque, collaborante Vicario, excrevisse in septemdecim volumina Notitiarum Ordinis nostri, præter undecim libros Chartarum Capituli generalis ab eodem D. Le Couteulx transcriptos. Utinam non periisset hujus postmodum etiam adauctæ messis maxima pars! Interea ad clavum totius Ordinis evectus erat D. Innocentius Le Masson, Prior Domus Noviomi; dum de Annalibus conficiendis meditaretur, prædictum Priorem Domus Rothomagensis et D. Le Couteulx, qui tunc ibidem Procuratoris gerebat officium, ad se vocare statuit, ut ipsorum fulciretur auxilio et eruditione. Anno igitur 1686, jubente Reverendo Patre, profecti sunt ambo cum jam appropinquaret Capitulum generale, commissa plaustrariis qui ad Lugdunensem civitatem pergebant memorialium chartarumque ingenti mole. Factus hospes Cartusiæ, quanta diligentia, quanto animi ardore credito sibi labori se dederit D. Le Couteulx

arbitrari facile est. Codices et diplomata legere, instrumentis instrumenta conferre, scribere, addere, delere, adjutores dirigere, ordinare omnia fuit illi quotidianum. Ipsum vero, nondum peracto opere, anno 1694 mense decembri, Priorem Domus Rothomagensis instituere opportunum in Domino judicavit R. P. D. Le Masson ne, mortuo D. Cypriano Le Vavasseur de Ronfrebosc nuper Priore, fabrica hujusce domus retardaretur. Ut a capite suo talem averteret casum et a munere quod mortis instar timebat se eximeret, nihil intentatum reliquit D. Le Couteulx ; sed frustra : obedientia coactus, e Domo Cartusiæ tristis abscessit et, exeunte jam mense januario anni 1695, devenit Rothomagum. Tribus abhinc mensibus, dum teneretur Capitulum generale, misericordiam et absolutionem ab officio suo ore et corde incassum petiit ; anno tamen sequenti, instantissime rogans exauditus est et ad Domum suæ professionis, Borboniensem scilicet, rediit. Quam libenter solitudinem recuperaverit, quanta cœlestis auxilii abundantia tunc confortatus fuerit, quantis suavitatibus consolatus ipse testatus est et cuidam monacho, jussu Reverendi Patris, eum interroganti quomodo se haberet respondit scribens : « Innovavit mihi Deus dies meos sicut a principio. » Itaque cellæ amator et piæ quietis, officia quæcumque recusavit. D. Franciscus Ferrus, qui fuit consiliarius D. Le Masson et totum fere orbem cartusianum cum D. Chauvet visitaverat, magni eum pendebat ; pluries quæsivit an illi placeret ad Domum Curreriæ, ubi ipse morabatur, venire et quod tanto zelo inceperat opus perficere. Tale propositum sibi arrisisse nimis, fatetur D. Le Couteulx ; sed Annalibus valedicere maluit et in Domo Borboniensi solitarius mori. Quod et evenit 15 septembris 1709.

Prædictos Annales et quidquid pro illis conficiendis scripserat aut collegerat auctor noster, in domo Cartusiæ reliquerat ; quæ omnia ibidem asservabantur, quando exorta est Gallica perturbatio. Anno 1792, adventa die dispersionis, Ms. quod nunc edimus et quod in sua cella habebat, D. Matthæus Giraud, Proscriba Reverendi Patris et chartophylax, secum detulit ; illud autem monachi Domus Pisarum, ubi hospes obiit anno 1803 die 20 septembris, Cartusiæ restituerunt, cum, sedata tempestate, reversi sunt Patres nostri. Annalium exemplarium hoc authenticitate, correctione et perfectione pretiosissimum est. Nam manu propria Domnus Le Couteulx partim illud scripsit, partim correxit. Anno 1687, R. P. D. Le Masson typis Correriæ mandari jussit, invito auctore, 144 primas operis paginas, quarum sic impressarum duo tantum, quod sciamus, extant exemplaria, servata nempe in bibliotheca Gratianopolitanæ civitatis $\left(\frac{Y}{10}\right)$: unum quidem intactum cui Ms. in eadem bibliotheca pariter habitum $\left(\frac{Y}{597}\right.$ quondam 211$\left.\right)$ conforme est ; alterum vero superscriptionibus annotationibusque ab ipso D. Le Couteulx oblitum. Atqui Ms. nostrum juxta correctiones istas compositum fuit, ut patet investiganti ; unde constat Ms. Gratianopolitano illud recentius esse nosque, saltem usque ad annum 1309, lectori præbere auctoris ultimas opiniones, ultima verba. Denique non ultra annum 1283 Gratianopolitanum Ms., nostrum autem usque ad annum 1309, imo usque ad annum 1429 progreditur.

Annos 1301, 1302, 1303, qui in prælaudato exemplario desunt, ex alio, cum initio anni 1304, desumpsimus.

Ab anno 1309, non omnibus numeris absolutum habemus Ms. accuratiusque exemplar, si quod unquam

fuit, periisse videtur : ex multis instrumentis quæ non citantur in extenso quædam exprompsimus aliunde, quædam frustra conquisivimus. Insuper, cum ex temporum rerumque adjunctis nonnulla hujus Annalium ultimæ partis disperdita sint folia, quinquaginta unus anni passim omnino desiderantur.

Præterea extant quidem Notæ ab anno 1454 ad annum 1681 ; sed quia imperfectæ sunt valde, partim latine partim gallice scriptæ et pro synopsi potius habendæ sunt, tales excudi non expedire duximus.

Totum igitur opus, ab anno 1084 ad annum 1429, præmissa Vita S. Brunonis ab ejus infantia usque ad secessum in eremum Cartusiæ, sex complectetur volumina; singulis index cum summario addetur, sexto autem postponentur indices varii generales.

Qua mente illos compositos esse voluit Capitulum generale anni 1686, eadem prodeant isti Annales, scilicet *ad omnium nostrum ædificationem et consolationem et maxime ad suscitandum semper in nobis zelum insequendi vestigia antiquorum Patrum et ab ipsis nunquam aberrandi*. Pia itaque manu versantes domesticos illos codices, interrogemus patrem nostrum et annuntiabit nobis, majores nostros et dicent nobis. Annuntiabit nobis S. P. N. Bruno quo spiritu ductus sit in desertum, qualis fuerit sua conversatio, qualis suus rerum mundanarum contemptus, qualis mentis suæ elevatio in Deum. Dicent nobis majores nostri quid de vita monastica, quid de vita Cartusiana sentiendum sit, qua tenacitate Instituti nostri disciplinæ et observantiis, qua religione traditionibus usibusque ipsi hæserint, quo studio silentio et solitudini vacaverint, quo fervore pœnitentiam, pietatem, simplicitatem cæterasque conditionis nostræ virtutes sectati sint. His intendamus verbis, hæc æmu-

lemur charismata, qui filii Sanctorum sumus; a paternis exemplis nec damnanda relaxatio nos deterreat nec novitatum pruritus. Dum volvitur orbis et miscentur omnia, stet crux quæ, eremis nostris obumbrans, ab octo seculis generationes protegit quærentium Deum, quærentium faciem Dei Jacob; stet crux viam nobis indicans qua de cellis itur ad cœlum.

Pridie Non. Octobris M.D.CCC.LXXXVII, in solemnitate S. P. N. Brunonis.

PROOEMIUM

VITA SANCTI BRUNONIS

USQUE AD ORDINIS CARTUSIENSIS INITIA

VITA SANCTI BRUNONIS

BEATUS Bruno Cartusiensis Instituti primus Autor et Architectus, natione Germanus, ex felici Ubiorum Colonia ad Rhenum, totius Germaniæ metropoli celeberrima, quam veteres Agrippinam dixerunt, originem traxit; quæ, cum multos pietate non minus quam eruditionis laude præstantes viros protulerit, hunc inter cæteros præclariorem edidit. Quempiam nihilominus movere posset, quod a quibusdam coætaneis scriptoribus *Remensis*, et in quibusdam Titulis sive Elogiis funebribus infra illius obitus annum editis, *Gallicus* appelletur, ac si oriundus e Gallia, natus vero Remis fuisset. Autor nempe Fragmenti Historiæ Franciæ a tempore Roberti Regis usque ad mortem Philippi I sic de illo loquitur : « Hoc tempore tam in divina quam in humana philosophia floruerunt Lanfrancus Cantuariensis Episcopus, Guido Longobardus, Manigaudus Teutonicus, Bruno Remensis qui postea vitam duxit eremiticam. » Eadem fere verba de Brunone reperiuntur in Chronico Malleacensi, et Titulus Ecclesiæ S. Mariæ Carnotensis in versibus scholaribus eum pariter Gallum vocat :

BRUNONIS PATRIA.

Surius in vita S. Brun. id. 6 octob.

Petreïus in notis ad Chr. Dorl.lib.1. c.1.

Mss. Montis Dei.

Bohic in appar. ad Chron. Ms. Ord. Cart.

Chron.Mallea. ad an. 996.

> Quam Phœbe Phœbo, quam cætera sidera Lunæ,
> Tam totus mundus adsit tibi, Gallice Bruno.

Ex Rotulis funeb.

Idem paulo fusius exprimitur in Titulo S. Gervasii Castri Falesiæ, quæ est oppidum Galliæ in Normannia :

1

VITA S. BRUNONIS

Gallia multorum mater nutrixque virorum,
Isti quando pares es habitura mares?
Iste tuus quondam doctrinæ præbuit undam
Gentibus et Cleris. Heu bona fama peris.
Francigenæ gentis nil confert litera, sentis
Hoc obeunte etc.

Idem videntur innuere aliquot aliarum Ecclesiarum Elogia. Verum hic nodus ex alio Titulo qui est S. Mariæ Tornacensis facile solvitur, cum in eo natus Coloniæ et in Gallia educatus dicitur :

Quem genuisse Colonia, Francia vult aluisse,
Gloria Bruno Pater genti communis utrique,
Ascensu facili sociatur ad agmina cœli.

Catalog. Ms. 4 Prior. Cartusiæ.

Sigib. Chron. ad an. 1084. Pet. Clun. l. 2. de mir. c. 28.

Id etiam constat ex Quatuor primorum Cartusiæ Priorum Catalogo, a nostro Guigone aut saltem illius jussu conscripto, ubi de patria ejus hæc leguntur : « Magister Bruno, natione Teutonicus ex præclara urbe Colonia parentibus non obscuris natus; literis tam secularibus quam divinis valde munitus, Ecclesiæ Remensis Canonicus. » Quæ quidem verba videntur postea fuisse inserta Chronologiæ Sigiberti, ubi eadem fere repetuntur. Petrus quoque Cluniacensis eum vocat Magistrum Brunonem *Coloniensem*. Cur vero Remensis a supradictis autoribus sit nominatus, id procul dubio evenit, quod eum plus ex studiis, quibus ab adolescentia Remis discendo et docendo vacaverat, et ex dignitatibus quas ibidem diu obtinuerat agnoscerent, quam ex patria.

GENUS NOBILE.

Ex Rotulo ubi sup.

II. Eum stirpe nobili editum fuisse innuit citatus Quatuor Priorum Cartusiæ Catalogus, dicens eum *parentibus non obscuris natum*. Idem aperte videntur declarare Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Rothomagensis Canonici, qui in Titulo inter cætera Elogia quibus Brunonem celebrant, ejus nobilitatem hoc versu indicant :

Ipse fuit sapiens, vir nobilis, indole fulgens.

Generis illius originem quidam recentiores rimati, eam ex

nobilissima illa Romanorum prosapia, qui Agrippinæ novam deduxere coloniam, quam etiamnum *de Hartenfaust* sive *de duro pugno* incolæ indigitant, provenisse inveniunt. Idque etiam gentilitio scuti symbolo probari credunt. Horum testimoniis assensus Ferdinandus a Bavaria Princeps Elector Coloniensis, in Encyclicis ad suum Clerum literis de celebrando S. Brunonis Festo, anno nostri seculi vigesimo tertio instituto, eum vocat « magnum Ecclesiæ decus et ornamentum, Coloniæ nobili Hartenfaust familiæ natum et educatum ». Alii putant ex parte matris eum fuisse ex familia Alcuina seu Alchanivina. Verum licet parentibus tanta claris nobilitate Bruno fuerit exortus, ipsis tamen et toti familiæ suæ, imo et sibi, majorem ex vitæ sanctimonia splendorem attulit.

VITA S. BRUNONIS
Theod. Petr. ubi sup.
Blomenven. Epist. lim. ad senat. Colon. præfixa to. I. Comment.
Dionys. Cart. in Bibl.
Erard. Winh. Sacrar. Agrip.

Surianus in Comment. ad vitam S. Brun.

III. Quo tempore natus sit necdum a quoquam autore traditum legimus; resque extricatu adeo difficilis est, ut illius epocham certo statuere sit prorsus impossibile. Attamen Beatum hunc suo mundum ortu illustrasse circa, vel paulo post annum 1030, his conjecturis augurari licet. Quando in Cartusiæ desertum se recepit, « erat vir, inquit noster Guigo, religione scientiaque famosus, honestatis, et gravitatis, ac totius maturitatis quasi quoddam simulachrum. » Ita ut, teste Guiberto de Novigento, esset tunc « in Ecclesiis Galliæ opinatissimus ». Remis in primis, ubi « columnam totius Metropolis diu extitisse », suo Titulo sive Elogio nos docent Canonici Regulares Nioliensis Abbatiæ in Pictaviensi Provincia inferiori sitæ. Jamque tum plures habebat e suis discipulis variis in Ecclesiis celebres, inter quos Odonem de Castellione paucis post annis ad supremam totius Ecclesiæ sedem evehendum enumerabat. Quæ quidem omnia quinquaginta et amplius ætatis annos Brunoni requirebant: quibus ab anno 1084 quo nostrum instituit Ordinem retro deductis, tempus nativitatis illius conjectatum tenemus. Nec certe tardius nasci potuit, si Berengarium habuit Magistrum in philosophia, ut in Chronico Malleacensi legimus. Sed de hoc fusius infra.

QUANDO NATUS.

Guigo in vita S. Hugon. Episc. Gratian.
Guibert. de vita sua, lib. I. c. II.

IV. Decursis infantiæ primordiis, degustatisque Coloniæ,

IN GALLIAS MISSUS.

ut par est credere, literarum rudimentis benedictus adolescens Bruno, quem ad Clericatum parentes, ad Monachatum et monastici unius Ordinis principatum Deus præparabat, in Gallias ablegatur, quatenus amplioris et sublimioris scientiæ messem capesceret, et mores informaret. Illum Lutetiam Parisiorum literis et disciplinis liberalibus erudiendum missum fuisse omnes fere recentiores autores scribunt, nulla tamen suæ sententiæ allata autoritate præter Cæsarem Egassium Bulæum, qui conjecturis aliquot illam fulcire conatur. « Unum dicam tantummodo, inquit, non videri posse negari, quin Bruno Lutetiæ olim studuerit, et quin ibidem etiam docuerit. » Quod confirmat ex istis Chronici Malleacensis verbis : « Gerbertus docuit Fulbertum Carnotensem Episcopum. Hic iterum docuit Berengarium canonicum S. Martini, qui item Brunonem Remensem et alios multos hæredes philosophiæ reliquit. Bruno quidem perfectus Philosophus, monachus effectus est, et Eremita apud Calabriam multorum monachorum Pater obiit in Christo. » Hæc ex Chronico. « At ubi, subdit Bulæus, Berengarius eum hæredem philosophiæ reliquit ? Certe ubi ipse docebat. At non legitur docuisse Remis sed Turonis, et præsumitur docuisse Parisiis post mortem Fulberti Carnotensis præceptoris sui. Itaque verisimile est Brunonem eum Lutetiæ audivisse, et ibidem postea docuisse. » Idem conjicit Bulæus ex autore anonymo, qui Historiam a Roberto Rege ad mortem usque Philippi I perduxit, cujus verba superius retulimus. « Quique Brunonem novit, inquit, aut nosse potuit; ille autem iis eum accenset, quos prope certum est studuisse et docuisse Parisiis. Nemo enim dixerit viros illos, quos idem Anonymus enumerat, docuisse Remis. » An revera Parisiis Bruno docuerit discutiemus postea, nunc tantum inquirimus utrum ibidem scholas frequentaverit; et utrum Berengarium, ut vult Chronographus Malleacensis, Magistrum habuerit. Utrumque valde incertum habeo. Et in eodem dubio, saltem circa horum alterum, ante me fuerunt duo viri eruditissimi Mabillonius et Marlotus. Hic postquam S. Brunonem dixit « præceptorem nactum

Surius in ejus vita.

Bul. in Hist. univer. Paris. t. 1. pag. 467.

Putatur Parisiis studuisse.

Chron. Mallea. ad an. 996.

Et Berengarium audiisse.

De hoc quidam dubitant.

Marl. Hist. Metr. Rem. t. 2. p. 135.

fuisse Berengarium S. Martini Turonensis Canonicum, statim addidit, si Chronographo Malleacensi Brunoni coætaneo credatur. » Mabillonius pariter confessioni S. Brunonis, quam a nobis sibi communicatam in lucem nuper emisit, hanc præfixit annotationem : « Deoduini epistolæ propter argumenti affinitatem subjacere visum est S. Brunonis fidei professionem quam morti proximus edidit, damnata hæresi Berengarii, cujus discipulus fuerat si fides est Chronico Malleacensi. » Neutro suæ dubitationis rationes afferente, nostras hic nobis liceat supponere.

Mabil. tom. 4. Vet. Annal. pag. 395.

Prima est, quia constat Berengarium Turonis docuisse, ut ipse Bulæus testatur, et præsumendus est potius docuisse Carnuti post Fulberti Carnotensis præsulis, præceptoris sui, mortem, quem ibidem non Parisiis audiit, ut discimus ex epistola Adelmani Leodiensis ad eumdem Berengarium ; nec tamen Bruno usquam legitur Turonis aut Carnuti studuisse. Præterea prorsus incertum est an Berengarius Parisiis docuerit : imo, ut eodem quo Bulæus ratiocinandi modo utar, si Bruno Berengarium unquam audierit, certe ubi ipse per totam adolescentiam studuit, eum audivit ; at non legitur studuisse Parisiis, nec Turonis, nec Carnuti, sed Remis ut postea certis ostendemus testimoniis ; itaque probabilius Berengarius censeretur Brunonem Remis docuisse, quam alibi. Sed etsi daremus Berengarium recte præsumi docuisse Parisiis, non propterea Bruno illum ibidem audivisse dicendus est, cum juxta Bulæum Berengarius a Lanfranco variis disputationibus devictus, et a discipulis propterea desertus, Parisios et scholas dimittere Turonasque repetere coactus sit, et quidem circa annum 1038, quo tempore decimum ætatis annum Bruno nondum attigerat, ut ex supra dictis colligere est.

Dubia proponuntur.

V. Epist. Gozechini tom. 4. Anal. Mabil. p. 383.

Ubi sup. pag. 405.

Alteram dubitandi rationem nobis posset aliquis suggerere ex diversis hujus seculi viris, quibus nomen fuit Bruno, maxime ex Eusebio Andegavensi Episcopo, Berengarii et ejus hæresis per aliquot tempus fautore, et olim, ut verisimile est, ejus condiscipulo, qui Brunonis cognomine ab autoribus sæpius designatur. Hunc enim facile cum nostro Brunone Chro-

VITA S. BRUNONIS

nographus Malleacensis confundere potuit, aut aliquis ejusdem Chronici ignarus excriptor, qui de suo addiderit *Eremitam apud Calabriam,* unde nata esset erroris origo. Verum etsi satis difficile sit et locum et tempus assignare, quibus noster Bruno Berengarium audiverit; attamen cum autor Chronici eum *Remensem* ad distinctionem aliorum ejusdem nominis vocasse videatur, illum falsi aut inepti erroris arguere non audeo, rem totam sagaciori Lectori permittens decidendam. Neque enim Brunoni et ejus filiis dedecori tribui potest, quod hominem de fide non recte sentientem in scholis forsan audierit; cum credendus sit eum, si fuit ejus discipulus, statim dereliquisse post primam illius in concilio Romano anno 1050 damnationem. Nisi dicamus cum Francisco Roïo antecessore Andegavensi Berengarium non statim, cum scholas Turonenses regere cœpit, prolapsum fuisse in hæresim ac *Satanæ Apostolum* effectum, ut de eo loquitur Gozechinus autor coævus; nec proinde Brunonem eum alibi habuisse Magistrum, si tamen unquam habuerit, nisi cum sanam doctrinam suis tradebat discipulis. Ut ut sit.

Tom. 2 Anal. Mabil. p. 479. et 3. 4. pag. 383.

Tertium dubium oriri potest ex alia conjectura, quam Bulæus ex fragmento Historiæ Franciæ ducit : nempe Brunonem Parisiis studia coluisse, quod autor præfati fragmenti « iis eum accenset, quos prope certum est ibidem studuisse et docuisse ». Hæc enim conjectura tum ex jam dictis, tum ex dicendis postea, plane incerta est de Brunone. An vero de Lanfranco et aliis viris in fragmento laudatis certior sit, non est meum decidere.

PROBATUR STUDUISSE REMIS.

V. Ultima denique nostri dubii causa in eo consistit, quod in confesso esse debet Brunonem studiorum curriculum ab adolescentia ad juventutem Remis tenuisse, ac confecisse; et post absoluta studia publice ibidem docuisse. Id enim probatur ex certissimis coævorum autorum testimoniis, quæ ab Elogiis funebribus statim post ejus mortem, ut jam diximus, editis mutuamur. De studiis ab adolescentia Remis exactis sic loquuntur Canonici Sanctæ Mariæ ejusdem urbis Metropolis, in suo Titulo :

Quem tenerum docuit mater Remensis alumnum, VITA S. BRUNONIS
Propositi tenuisse fidem lætata Brunonem,
Migrantem ad Dominum lacrymis precibusque salutat. Rot. funeb. tit. 5. S. Mariæ Rem.

Sed Monachi S. Vedasti Attrebatensis eadem studiorum primordia, progressusque in eis tum discendo tum docendo eodem in loco factos testantur panigyricis versibus, quorum inscriptio talis est : « Titulus S. Patris Vedasti ejusdem civitatis (Attrebatensis) Episcopi, Nobiliaci cœnobii scholæ. Deinde carmina sequuntur : Tit. 2. S. Pat. Vedasti.

Lumen et ordo viæ ducentis ad alta Sophiæ
Occidit, hinc cedens naturæ Bruno recedens,
Par pecudis brutæ tibi, Bruno Magister acute,
Viluit hic flore mundus sterilique decore.
Flos fuit in fœno, viguit sub sole sereno,
Dum tua cantaret, studio dum musa vacaret,
Dum modo lactaret Remos, modo pane cibaret.
Hinc tamen abjectis opibus studiisque rejectis,
Clausus in obscuro frueris libamine duro;
Nilque sequens Bruno varium, fundatus in uno :
Sic Pater, o Bruno, capis unum captus ab uno.

VI. Ex his testimoniis omni exceptione majoribus, perspicuum fit Brunonem Remos addiscendarum literarum causa primum adiisse, ibidemque plurimam ætatem peregisse non solum studendo, sed docendo et prædicando, ut tandem scholastici munus, canonicatum et alias in primario ejusdem urbis templo dignitates adeptus sit, clavum Ecclesiæ Remensis Gervasio tenente. ET IBIDEM DOCUISSE.

Volaterrani et aliorum post eum qui scribunt Brunonem fuisse canonicum Carnotensem, rejicimus opinionem, cum Remensem potius dicere debuerint ex autoritatibus scriptorum coævorum et supra relatorum Titulorum, apud quos dicitur Remensis Ecclesiæ canonicus et scholarum Rector. Id enim testatur noster Guigo in Catalogo Antecessorum suorum Cartusiæ Priorum. « Magister Bruno.... Ecclesiæ Remensis, quæ nulli inter Gallicanas secunda est, canonicus et scholarum magister eremum relicto seculo fundavit. » Eadem prorsus habentur in Chronographia Sigiberti. De mu-

Volater. lib. 21. Antropolog.

Theodor. Zuinger in Theatr. Vitæ Humanæ.

Fuit Remensis Canonicus.

Item scholasticus Remensis.

nere ac functione scholastici, plura sunt non minoris autoritatis testimonia. « Fuit non longe ab iis diebus, inquit Guibertus, Bruno quidam in urbe Remensi vir, et liberalibus instructus artibus et magnorum studiorum Rector. » Sed Ecclesia Metropolis Parisiensis, quæ mortis Brunonis tempore viris clarissimis sub Fulcone episcopo florebat, ejusdem honoris gradus amplioribus verbis in suo meminit Elogio.

> Ille magistrorum decus, informatio morum,
> Remigium turbæ Remensis, major in Urbe,
> Mundum despexit.

Verbum *Major* hic videtur substantive, non comparative sumendum, quasi diceretur primus in urbe Remensi. Nisi quis per hæc verba *Major in urbe,* vellet intelligi gratiam, qua postea apud Urbanum II Romæ præstitit. Conventus Nioliensium Canonicorum Ordinis S. Augustini tunc Pictaviensis, nunc Rupellanæ, audito Brunonis obitu, inter multas et egregias quibus memoriam ejus celebravit laudes, summum vocat Remensis sedis Didascalum, sic dicens : « Bruno namque veram scientiam et prudentiam liberalium Artium, nec non cæteras virtutes cardinales habuit et servavit, quas in bono fine consummavit. Siquidem sedis Ecclesiæ Remensium Summus Didascalus : utpote in Psalterio et cæteris scientiis luculentissimus, et columna totius Metropolis extitit. » Idem quidam ex ejus discipulis testati sunt, et maxime Mainardus Cormeriacensis monasterii in Turonensi agro Prior, Remis vero natus, Brunonem in eadem urbe audivisse indicat his verbis : « Mainardus ego in Cormariensi monasterio.... Prior, Remorum Civitatis oriundus fui, Domini hujus Brunonis aliquot annis doctrinam audivi. »

Cum igitur a præfatis autoribus nomina ei tribuantur « magnorum studiorum Rectoris, Ecclesiæ sedis Remorum Summi Didascali », et alii ejusmodi tituli, recte opinamur eum Remis docuisse, summaque ac gloriosa scholarchæ sive scholastici dignitate, in ejusdem urbis Ecclesia decoratum fuisse. Quod officium non nisi gravissimis doctissimisque

viris deferri solebat ; ad quorum curam præcipue spectabat theologicis facultatibus erudire clericos, bonis moribus eos informare, ecclesiasticam disciplinam promovere, et de omnibus ad divinum cultum spectantibus, dum interrogarentur, respondere. « In maximis Ecclesiis scholastici munus, inquit Papyrius Massonius Berengarii occasione, erat clerum docere : quo munere Bruno Remis, Berengarius Andegavi, Honorius Augustoduni Æduorum defuncti sunt. Et scholastici nomen in Ecclesia Andegavensi hodie retinetur ; quem honorem quisquis habet, Academiæ cancellarius est. » Utramque pariter dignitatem simul Bruno Remis tenuit, ut dicemus infra.

Papyr. Masson. Annal. in Philippo.

Quas scientias tradiderit.

Grammaticam, Dialecticam, ac præcipue Philosophiam satis diu Brunonem docuisse ex variis Titulis colligimus. Verum cum in dies pietate æque ac doctrina cresceret (vitam enim honestam et bene moratam illum ab adolescentia traduxisse probabimus), suas tandem curas omnes totumque vitæ tempus ad explicanda tum discipulis in scholis, tum populo pro concionibus divinæ Legis mysteria transferendum satius, ac Doctore Christiano dignius putavit. Id maxime discimus ex Titulo Cathedralis Ecclesiæ Andegavensis S. Mauritio dicatæ :

Gallia tristatur, Calaber populus lacrymatur ;
Doctoremque bonum gemit ista, flet illa patronum.
Vitæ præsentis hæc laudat cum documentis :
Ejus et eximia celebratur ubique Sophia.
Plusquam Maronis laudatur lingua Brunonis.
Gloria Platonis vilescit laude Brunonis.
Hic præcellebat doctoribus, hic faciebat
Summos doctores, non instituendo minores.
Doctor Doctorum fuit hic, non clericulorum :
Nam nec honestates verborum, nec gravitates
Sumpsit Brunonis, nisi vir magnæ rationis.
Rectio prudentis superabat acumina mentis,
Ut documentorum Doctor satis extitit horum.
His plus perfectam voluit præponere sectam.
Nunciat egregiam divina docendo Sophiam.
Primaque destruxit, et tanquam frivola duxit.
Dux prius erroris monstravit iter melioris
Postea doctrinæ quæ gaudia dat sine fine.

Sed nil mundana sapientia dat nisi vana ;
Hæc facit elatos pompa, facit illa beatos.
Factis complebat operando quod ore docebat.
Multos sermones faciebat per regiones.
Urbem transivit Romam Calabrosque petivit.
Hic Abbas factus, est tandem cœlica nactus.
Hinc gens illa gemit, quia Patrem casus ademit.
Cumque virum talem plorat tam spiritualem,
Non mors Pastoris, sed damnum causa doloris.

An possit in alicujus erroris suspicionem vocari.

VII. Qui Brunonem Berengarii discipulum fuisse plane voluerit, quædam credet in hoc Titulo concurrere, quæ prima fronte in animum legentis aliquam erroris de Brunone suspicionem videantur injicere; quam tamen quisque verba tum priora tum posteriora attentius perpendens, facile absterget. Sensus igitur autoris hic videtur esse. Brunonem primum laudat quod celebrioribus Doctoribus omni scientia profana (ut sunt Grammatica, Dialectica, et alia ejusmodi) excelluerit. Deinde illum majori laude dignum ostendit, quod *his plus perfectam voluit præponere sectam,* id est scientiam, videlicet Theologiam, ut sequenti versu explicat : « Nunciat egregiam divina docendo Sophiam ». Idcirco qui « dux erroris prius » fuerat, non quidem falsæ doctrinæ, sed periturae et mundanæ scientiæ, ut postea dicit, sive philosophiæ (quam multi sancti, tanquam quæ nihil aut modicum ad salutem valet, contempserunt), monstravit iter melioris postea doctrinæ », sive concionando, nam « multos sermones faciebat per regiones », sive docendo ac sacram Scripturam discipulis suis interpretando, ut canonici Nolienses superius declarasse vidimus, cum eum dixerunt dudum Ecclesiæ Remensis « Summum Didascalum, utpote in Psalterio et cæteris scientiis luculentissimum ». Idem etiam ejusdem conventus his verbis innuunt :

Lux fuerat mundo Bruno dum vixit in isto.
Novit Psalterium etc.

Quando Psalterium commentatus est.

Et a Monachis S. Maximini Miciacensis Ordinis Benedictini dicitur *doctus Psalmista, clarissimus atque sophista,* sive

Philosophus. Unde conjicitur suos in Psalmorum librum Commentarios, antequam e seculo in solitudinem se reciperet, scripsisse ac palam explanasse. In his data occasione contra Berengarianam hæresim suum zelum distrinxit, suæ fidei integritatem non solum verbis, sed suis scriptis cunctæ Ecclesiæ testatam volens. Itaque in expositione hujus versus psalmi vigesimi primi : *Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Edent pauperes* etc., Christum sic loquentem inducit : « Ego qui ab initio devovi eis (hominibus) ad salutem eorum me corpus meum et sanguinem daturum........... Timentes eum (Patrem) conspicient, illa vota credentes, scilicet sacramenta illa veraciter in corpus et sanguinem meum translata. » Deinde addit S. Bruno : « non imaginaria tantum, ut quidam hæretici falso asserunt, illud Evangelii exponendo perverse, *Hoc facite in meam commemorationem.* Solum enim corporis Dominici atque sanguinis memoriam in sacramentis illis absque realitate esse intelligunt, Domino ipsis inclamante : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Et paulo post : est igitur Dominicæ Passionis Sacramentum hoc, non sui ipsius memoria; nihil enim sui ipsius memoria esse potest, et cætera » quæ docte et pie prosequitur. In his commentariis Psalmos summarie quidem perstringit, sed medullam nihilominus uniuscujusque versus exprimit methodo facili et sane admirabili : cum nemo ante eum, quod sciam, ita lucide et breviter in tanta verborum angustia, tantam sententiarum plenitudinem comprehenderit proprio marte, et nullo præeunte ductore conceptus suos exponente. Si cui verominus arrideat prima fronte commatica hæc expositio, legat et ruminet bis terque (lectori maxime Cartusiensi loquor); sicque quasi comminuto nucleo inveniet, quo non tantum pascatur, sed et suaviter reficiatur. De his scribens Jodocus Badius vir doctus ad Laurentium Alamandi Episcopum Gratianopolitanum, ait : « Sed de operibus disquiramus...... Primum in omnes Psalmos Davidicos luculentam et artificiosam expositionem, plus in recessu exhibentem, quam in fronte pollicentem complectens : a fronte enim ad calcem, et a titulo usque ad

In eo contra Berengarium scribit et docet.

Comment. in 21. psal.

VITA S. BRUNONIS

finem eumdem servat tenorem, nusquam divaricans sed omnia inscriptione quadrare demonstrans. » Cardinalis Bona in notitia autorum suæ *Divinæ Psalmodiæ* præfixa, dicit S. Brunonem Cartusianorum Fundatorem scripsisse *Commentaria pia et docta in Scripturam,* quibus et ipse usus est in eodem opere. Forsan et aliam in omnes D. Pauli Epistolas explanationem adhuc in seculo positus edidit. Sed de his alibi.

Ejus fidei integritas.

Denique fidem illius sanam semper, atque integram nullaque unquam erroris pravitate labefactatam fuisse, ab infinitis discimus coætaneis testibus. A monachis namque Clusini cœnobii vocatur *insignis fidei magister eximius*, quem propterea Ecclesia S. Romani Lugdunensis his versibus affatur :

Domne tibi Bruno, qui semper Rege sub uno,
Sacram servasti fidem, nec eam violasti,
Finis adest vitæ.

Scholares Sanctæ Mariæ Carnutensis eum laudant quod fuerit « veri sectator ac divinæ Legis amator. » Et quidam Abbates, quos ipse Theologiam docuerat, se « ab ore ejus doctrinæ fluenta hausisse, et in eruditione catholicæ conversationis discipulos ejus fuisse profitentur. » Ab aliis denique laudatur ut « vir catholicus, Ecclesiæ catholicæ filius, et fidei Apostolicæ verus cultor, custos ac remigium. Ita ut syderis instar mundum universum suæ doctrinæ luce collustrarit. » Brunonem igitur cum S. Audomari Monachis nobis liceat sic compellare :

Tit. Abbat. S.Joan. Suess. et Pultar.

Ergo vera fides quam tu semper coluisti,
Te trahat ad Christi requiem quam, Bruno, petisti.

FULGET VIRTUTIBUS.

VIII. At Bruno sciens fidem sine operibus esse mortuam, cum sana doctrina studuit probam vitam conjungere; ita ut non minus ex morum honestate, quam ex scientiis divinis et dignitatibus, conspicuum se reddiderit ante suum secessum. Id nos docent Monachi S. Faronis Meldensis :

Cognitus iste satis doctrina erat, atque beatis
Moribus et vita, Bruno sapiens eremita.
Principiis primis, summis fulgebat et imis.
Post monachus factus.

Et juxta Canonicorum Laudunensium testimonium de Brunone :

Integritas morum cumulum supplevit honorum.

Unde et a Carnotensibus his cohonestatur nominibus :

Justus, sincerus, morum gravitate severus.

Ipsæ quoque sanctimoniales S. Joannis Laudunensis (quibus haud diu post Monachi Benedictini substituti sunt) laudes ejus suo celebrarunt Elogio, cujus inscriptio talis est : Ordo Monialium, Titulus S. Joannis Baptistæ :

Bruno laudaris ; tua vita docens renovatur
Versibus et scriptis, nec quanta fuit memoratur.
Ipse pius, simplex, plenus Deitatis amore,
Impiger et mundus fuit, omni dignus honore.

Quænam autem præcipuæ virtutes tunc in eo rutilarent, et Theologiæ suggestum exornarent : notari maxime possunt sapientia, facundia, gravitas a fastu aliena, morum suavitas et integritas, doctrina irreprehensibilis, vita denique exemplaris ; ad cujus ideam probi quique efformari et suos componere mores non refugerent. Harum virtutum corollarium hic succincte perstringere libet ex ejusdem Titulis funebribus ; non quidem earum, quæ in eo post conversionem abundantius et perfectius enituere, sed virtutum tantummodo, quibus in seculo adhuc positus orbi irradiavit. Ejus sapientiam, doctrinam et vitam exemplarem commendat Titulus S. Petri Neocastrensis, his paucis sed succidis versibus :

Justitia.

Quo vixit pago, vivens permansit imago
Veræ justitiæ, doctrinæ, philosophiæ.

Et in Titulo Ecclesiæ S. Mariæ Carnotensis :

Ecclesiæ murus Bruno fuit haud ruiturus :
Nam bonus, atque piæ mentis fuit, atque Sophiæ.
Doctor erat verus etc.

Charitas erga proximum.

Et post in versibus scholaribus eadem non solum prædicantur, sed et charitatis erga proximum, et ejus animi magnitudinis testimonia perhibentur :

Animi magnitudo.

Flos erat hic Patrum, solamen, gloria fratrum,
Veri sectator, divinæ Legis amator,
Semita justitiæ, fons hic et origo Sophiæ,
Lux, speculum mundi, rerum sublime cacumen,
Labentum baculus, miserorum dulce levamen,
Nec mens fracta malis, nec erat nimis alta secundis.

His adstipulatur Titulus Sanctæ Mariæ Baiocensis Ecclesiæ :

Pietas.

Solamen fratrum, sanctæ virtutis amator,
Morum corrector justus, pia spes miserorum,
Justitiæ rector, custos et ubique bonorum ;
Moribus ornatus, vas et plenum pietatis,
Fortiter armatus clypeo veræ probitatis.

Sed nullus sapientiam ejus ita commendavit ac Lambertus Abbas S. Nicolai Andegavensis, qui in suo Titulo sic loquitur :

Sapientia.

Brunonis sapientia tanta refulsit,
   Inter Francorum sidera solus ut hic
Esset cunctorum flos, et fons Philosophorum :
   Flos speciosus erat, fonsque profundus erat.
Ex hoc manavit sapientia tanta per orbem,
   Ut quos imbueret, Philosophos faceret.
Splendor sermonis fuit.

Quanta fuerit ejus ingenii sublimitas, licet ex scriptis ab eo libris ante conversionem possit innotescere, attestantur etiam variarum Ecclesiarum Tituli, inter quos sic habetur in Titulo sanctæ Mariæ Laudunensis :

Bruno decus cleri, decus et prudentia mundi,
Dum fuit in terris florebat acumine mentis,
Dum fuit inter nos florebat et in documentis.

VITA S. BRUNONIS

Et in Titulo Ecclesiæ Beati Vincentii conventus Nioliensium, vocatur incomparabilis Philosophus, ubi et subditur : « Quis enim non obstupesceret, imo ab intimis cordis non ingemisceret, cum tantum virum totius scientiæ et pene omnium clericorum lumen et fundamentum, naturæ concessisse audiret ? »

Ingenii sublimitas.

Ne autem quis arbitretur sancto huic Doctori linguam eruditam defuisse, qua sciret sustentare eum qui lassus est in verbo, accipiat ex Titulo sanctorum Martyrum Timothei et Apollinaris :

Hujus Doctoris fuit hæc vis cordis et oris,
Ut toto cunctos superaret in orbe Magistros.
Huic se tota dedit sapientia, totaque sedit,
Hujus in arcanis dives penetralibus hospes.
Quod dico novi, mecum quoque Francia novit,
Et totus novit per climata quatuor orbis.

Oris facundia.

Nec solum verbo, quod parum fuisset, sed et exemplo alios docebat, ut ex quibusdam Titulis discimus. Sic enim legimus in Titulo Ecclesiæ S. Audomari :

Exemplum miseris mortalibus esse solebas,
Ut colerent Christum quem semper, Bruno, colebas.

Exempli ejus efficacia.

Et in Titulo sanctæ Mariæ Attrebatensis :

Rectæ Bruno viæ dux, et fons Philosophiæ,
Non aliter docuit vivere quam studuit.
Dum bene vivendo fecit, quodcumque loquendo
Vir bonus ostendit.

Hinc non mirum si certatim ab Episcopis, Abbatibus et aliis celebrioribus viris, in eisdem Titulis dictus sit « firmissima Ecclesiæ columna, murus, lux, gemma Domus Domini, Cleri decus et lumen, » et aliis similibus nominibus fuerit decoratus.

VITA S. BRUNONIS
INSIGNES VIRI EX EJUS SCHOLA PRODIERUNT.

Timoth. 1. 2. 7.

IX. Tot naturæ ac gratiæ donis ditatus Bruno, velut alter Paulus videbatur *positus prædicator et doctor Gentium in fide et veritate.* Ad quem propterea non solum e remotioribus Galliæ Provinciis, sed etiam ex nationibus extraneis juvenes erudiendi mittebantur, nec quidem sine magno Ecclesiæ fructu ; summos namque Doctores, ut habet Andegavensis Titulus, ipse Doctor Doctorum faciebat, quos et simul omnium virtutum præceptionibus imbuere satagebat, ut satis eleganter de illo cecinit Titulus S. Dionysii Remensis :

Quatuor ut fontes ex una parte manantes
Quos Paradisus habet, mundi per regna fluentes
Exundant terras ; sic hic, quos imbuit, ornat,
Implet et informat, inflammat, dirigit, armat,
Cudit et illustrat, et adhuc regit, excolit, aptat :
Syderis instar erat cunctis quos ipse docebat.

Eidem adstipulantur alii Tituli S. Mariæ Bernaci his strictioribus verbis :

Doctor Doctorum fuit exemplarque bonorum
Nostris temporibus, Bruno vir eximius.

A discipulis plus amari quam timeri avebat, ut testatur Titulus S. Stephani Martyris Ecclesiæ Antissiodorensis:

Bruno pius Pastor, puræ pietatis amator,
Factis implebat quidquid per verba docebat;
Non se prælatum, sed se cupiebat amatum.

Urbanus Papa II.

In catalogo primor. Priorum Cart.

Sed quosdam liceat ex ejus discipulis illustriores enumerare qui ex ejus schola, velut e purissimo christianæ doctrinæ fonte prodeuntes, Ecclesiæ campum sua pietate et eruditione irrigarunt. Inter eos eminet ac primum merito locum obtinet Urbanus summus Pontifex hujus nominis secundus, *cujus quondam præceptor Bruno fuerat,* ut asserit noster Guigo, cui et assentitur Bulæus. Sed de eo plura alibi. Rangerius quidam sive Cardinalis sive Episcopus Urbanum debet sequi. Hic breve sui Magistri Elogium sic contexuit in rotulo :

VITA S. BRUNONIS

« Ego Rangerius viri venerabilis Brunonis quondam discipulus, precum supplicationes offerre desidero Deo omnipotenti, ut qui illum tanta honestavit gratia, tanta pietate decoravit, secundum fidei suæ meritum conferat et coronam. Specialiter autem et pro debito speciali et amoris privilegio, anniversariam ejus memoriam exhibebo pro opportunitate rerum et temporis. » Hunc quidam esse putant Rangerium Majoris Monasterii ad Turones monachum, Urbani II amicum et forsan ejus in scholis Brunonis condiscipulum, et ab eo inter Cardinales annumeratum, quique in Brunonis Rheginensem Archiepiscopatum recusantis locum suffectus fuerat. Verum cum ejus Titulus in rotulo, medius inter Fisciclensis cœnobii et S. Frigiani Lucensis Ecclesiæ Titulos reperiatur, eum potius credimus esse Rangerium, qui eidem Lucensis Ecclesiæ Episcopus tunc præsidebat quando Bruno defunctus est. Robertus Episcopus Lingonensis regia Ducum Burgundiæ stirpe satus, filius nempe Henrici a Burgundia nepotis Roberti Regis Franciæ, qui « vir clarus in omnibus » vocatur in Chronico Besuense, agnoscit pariter sanctissimum Patrem Brunonem Præceptorem suum in Titulo quem eidem inscripsit; et quantum in sanctis moribus sub eo profecerit, liquet satis ex eo quod, repudiatis infulis Pontificalibus, humilis monachus apud Molismum est effectus, ubi et meritis clarus obiit. Hunc etiam Parisiis potius quam Remis studuisse credibile est. En ejus Titulus :

Rangerius Cardinalis vel Episcopus.

Ex Mss. Montis Dei.

Ital. sacr. t. I. in Episc. Lucens.

Robertus Episcop. Lingon.

Sammarth. in Episc. Lingon.

« Robertus Ecclesiæ Lingonensis Servus, rogabit ejusdem Ecclesiæ canonicos et sacerdotes, monachos et eremitas in Episcopatu Lingonensi Domino servientes, ut orent pro anima carissimi magistri sui Brunonis, et eleemosynas pauperibus largiantur, memoriamque obitus sui in quibus poterit Ecclesiis scriptam observari faciet. » Egregie gratum Brunonis discipulum ! qui etiam cunctos suæ diœcesis clericos et monachos ad celebrandam magistri sui memoriam invitat.

X. Sed nullus ex ejus discipulis Ecclesiam tot tantisque illustravit meritis ut S. Hugo Gratianopolitanus, quem Majoris Cartusiæ Chronici Autor, « ejusdem Magistri Brunonis socium »

S. HUGO GRATIAN. EPISC. Chron. Ms. maj. Cart. in Præfat.

VITA S. BRUNONIS

in scholis fuisse scribit, melius dixisset discipulum, ut ætas utriusque cogit credere. Quando enim S. Hugo factus est Episcopus, annum ætatis vigesimum septimum vix attigerat; Sanctus vero Bruno quasi quinquagenarius erat. Asserit noster Guigo beatum Præsulem extra patriam studiis vacasse. « Amavit, inquit, studia literarum non mediocriter, propter « quæ etiam in exteras profectus nationes multa sustinuit. » Exteram regionem Remense forsan solum appellat respectu Valentinensis agri tunc temporis Franciæ regno non subditi. Remis patriam reversus et Ecclesiæ Valentinensis Canonicus effectus, ab Hugone Diensi Episcopo et Gregorii VII Legato Valentianam synodum summi Pontificis mandato celebrante, « in ejus certaminum comitem, ut loquitur Guigo, et participem » vix adolescentiæ annos superans assumptus est: apud quem quidquid auctoritate et gratia valebat, magistro suo Brunoni debuisse postea videbimus.

Guigo in vita S. Hugonis

Rodulphus Archiep. Rem.

Rodulphus, qui et post Brunonis mortem ad sedem Remensem evectus est, inter ejus discipulos merito accensendus est. Sed de eo plura occurrent postea dicenda. Nec dubium quin in eadem urbe plures extiterint, qui Brunonis doctrina imbuti Ecclesiæ Remensis verbo ac exemplo profuerint, inter quos, teste Marloto, elucet Godefridus cognomento Philosophus, Brunonis in Scholarum Rectoratu et postmodum in cancellaria dignitate successor. Rengerius Ecclesiæ S. Pauli Londoniensis in Anglia Archidiaconus, et quidam ejusdem Ecclesiæ Canonici Anniversarium singulis annis fieri concesserunt « pro Reverendo Magistro Domino Brunone ». Anselmus Ecclesiæ Laudunensis Decanus Brunonem quoque Remis audiisse creditur, et post illius decessum autorem fuisse Tituli S. Mariæ, Laudunensis, cujus jam quosdam versus præclariora Brunonis Elogia complectentes superius retulimus, quem tamen integrum repetere non piget :

Godefridus Cancellar. Rem.

Rengerius Anglus.

Anselmus Eccl. Laud. Decanus.

Mss. Montis Dei.

Bruno decus Cleri, decus et prudentia mundi,
Dum fuit in terris florebat acumine mentis;
Dum fuit inter nos florebat et in documentis.
Integritas morum cumulum supplevit honorum;

Sed postquam nostra selegit cedere vita,
Vester collega, vestrisque locis eremita,
Deposuit curam penitus totius honoris,
Amplectens curam Christi solius amoris.
Vos igitur, Fratres, Eremi deserta colentes,
Fallacem mundum sic jam superasse videntes
Egregium Patrem ; ne triste feratis obisse,
Quem nos regna Poli divina putamus adisse.
Cum sit cœlicola, potuit quid majus habere !
Dum fuit in terris, hæc illi vota fuere.

Hunc Anselmum Lutetiæ primum literis operam dedisse Bulæus scribit, probatque virum fuisse doctissimum ac pietate non minus celebrandum. Ex Abbatibus hi ex doctrina Brunonis profecisse profitentur.

Lambertus Abbas Pultar.

« Ego Frater Lambertus Pultariensis Monasterii ex necessitate Apostolicæ obedientiæ servus et procurator exiguus, hujus eximii Magistri Brunonis in literalis doctrinæ scientia a primordio meæ conversationis de seculo, in eruditione catholicæ conversationis et veræ Religionis discipulus, ejusdem piissimi Patris nostri et Informatoris memoriam in septenariis et tricenariis officiis, et Anniversaria die obitus cum canticis spiritualibus et pauperum refocillatione quotannis recolenda, cum commissis mihi filiis et fratribus procurare et devote prosequi non fatigabimur, et quos poterimus ad orandum pro eo excitabimus. »

Ex isto Titulo ab eodem Lamberto composito liquet illius humilitas qui, cum Abbas esset, vocat se *servum et* procuratorem exiguum sui monasterii, et hoc *ex necessitate Apostolicæ obedientiæ*. Ad illud namque regendum coegit eum Urbanus II, suus sub Brunone condiscipulus. Constat præterea ex eodem Titulo, quod S. Bruno non solum scientiam literarum, sed etiam bonos mores suis auditoribus instillabat. Lamberti non meminerunt Sammarthani in Abbatia Pultariensi ; de quo tamen in Episcopis Lingonensibus sub Roberto hæc habent : « Lambertus Abbas Pultariensis se Magistri eximii Brunonis discipulum profitetur. »

PETRUS ABBAS S. JOAN. IN VINEIS.

XI. Petrus Abbas Canonicorum S. Joannis in Vineis apud Suessiones, gloriatur quoque se habuisse S. Brunonem magis-

trum in Titulo particulari, quem ad Fratres Eremi Calabriæ in hæc verba misit :

« Dilectis in Christo et Deo dignis fratribus Calabriæ, reverendis Eremitis in monasterio Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ Deo famulantibus, Petrus S. Joannis Suessionensis Canonicorum Regularium humilis Abbas, totaque Fratrum cum eo degens et Deo serviens congregatio, bene incepisse, melius perseverare, feliciter consummare. Audito beato fine Sancti Patris vestri et magistri mei Brunonis, a cujus ore sanæ doctrinæ fluenta plerumque haurire contigit, etsi opere non complevi, de absentia vehementer tristamur; carnales tamen evasisse angustias, et quietem adeptum esse et cum Deo vivere, prout conjecturam de munditia et perfectione transactæ vitæ nobis satis notæ facere possumus, vehementius congaudemus. Ejus ergo memoriam, tum quia magister noster fuit, tum quia precibus ejus et vestris confidimus, tanto apud Deum efficacioribus quanto sanctioribus, hoc modo habituros promittimus, triginta diebus missas et vigilias pro remedio ejus vestrorumque Fratrum celebrantes, etc. » Vide gratitudinem et observantiam præfati Abbatis erga suum eruditorem Brunonem, cujus sanctitati tantum profert testimonium, cum summa humilitate et modestia, ex qua conjicere liceat ipsum sub Brunone captasse non solum scientiarum eruditionem, sed etiam morum pietatem. Quod etiam testatur Calendarium S. Gervasii, ubi ad 21 Martii de illo hæc habentur : « Obiit Petrus Abbas S. Joannis vir totius honestatis, Deo et mundo per omnia laudabilis, et memoriæ celebris. »

Claudius d'Ormay Episc. suess. to. 2. lib. 5. cap. 13.

Mainardus alius discipulus S. Brunonis Remis oriundus, deinde Cormeriacensis, sive Cormaricensis in districtu Turonensium monachus et Prior effectus, cum audisset conversionem S. Brunonis ejusque ad Calabros profectionem, cogitabat ad eum pergere et sub ejus ducatu cum aliis Cartusiensibus militare, donec eum cognovit vita functum. Id patet ex ejus Titulo satis eleganti, in quo inter cætera sic loquitur : « Gavisus utique super tanti viri (Brunonis) glorioso fine;

Mainardus Prior Cormeriacensis.

sed quia intentio indefessa mihi inerat ad eum in brevi pergere, eumque videre et audire, omnesque animi mei æstus in illum refundere, et vobiscum sub illius ducatu Sanctæ Trinitati obedire, ultra quam dicere possim de inopinato transitu ejus conturbatus sum, nec retinere potui habenas ultro profluentium lacrymarum. Mainardus, inquam, ego in Cormaricensi monasterio.... Prior, Remorum civitatis oriundus fui, Domini hujus Brunonis aliquot annis doctrinam audivi, Deoque volente admodum profeci, etc. » En alter gratissimus Brunonis discipulus, qui tam pie de suo magistro effatur ut sub eo vitæ novæ semitam apprehendere vehementer concupivisset, qui postea fuit Abbas ejusdem Ecclesiæ.

VITA S. BRUNONIS

Sammarth. in Abbat. Cormer.

Quis tandem finis horum, cum sint centum et octoginta Tituli, sive Elogia in ejus memoriam primo depositionis illius die edita ab totidem Ecclesiis per Italiam, Galliam et Angliam celebrioribus, in quibus non dubium quin Bruno prope infinitos sive amicos sive discipulos habuerit ? Quod etiam Lambertus Sancti Nicolai Andegavensis Abbas suo Titulo innuere visus est, cum sic cecinit post versus quos supra dedimus :

Splendor sermonis fuit et lux Relligionis,
Ejus relligio scitur ubique satis.
Ejus doctrina sunt facti tot sapientes,
Quos mea mens nescit et mea penna tacet.

Deinde de discipulis quos doctrinam crucis docuit, addit :

Ejus in exemplo sunt multi Religiosi
Et sectatores, discipulique crucis.

De his jam satis. Nec enim hujus loci est evolvere quos filios in sanctæ Religionis lucem genuerit.

XII. Mortuo Gervasio Remensi Archiepiscopo, viro de sua Ecclesia multis nominibus optime merito, ac præsertim quod scholas jamdiu ibi florentes, illustriores nostri Brunonis opera reddiderit, quem postea Canonici ac Scholastici dignitatibus ornaverat ; successit Manasses, homo generis nobilitate potentior quam bonorum operum ornatu. Hic licet

BRUNO FUIT CANCELLARIUS REMENSIS.

Marlot. in Metrop. Rem. t. 2. p. 115.

VITA S. BRUNONIS
Ex Mss. Mont. Dei.

non intrasset per ostium in ovile ovium, satis tamen modeste sui primitias Pontificatus decoravit, dum de viris conversatione gravibus bene mereri studuit. Cumque in tam augusto Clero animadverteret Brunonem virum omni honestate præcellentem, scientiæ ac probitatis fama celeberrimum, statuit ipsum strictiori sibi nexu conciliare, ne pravorum consiliorum, quæ animo agitabat, quandoque haberet adversarium. Defuncto itaque Oldarico, qui per viginti saltem annos Remensis Ecclesiæ Cancellariam egregie sustinuerat, idem munus Brunoni vel demandavit, vel a suorum Canonicorum collegio sategit demandari. Ex novæ dignitatis accessu Bruno inter primos Manassis consiliarios annumeratus, non dubium quin ipsum Præsulem ad multa præstanda instigaret et a multis, ut par est, retraheret. Si quid boni ille tunc præstitit homo profligatæ conscientiæ, id Brunoni utcumque tribuendum congruit. In hujus muneris a Brunone defuncti hic apographum subjicimus cujusdam chartæ, quam ipse Sanctus, Manassis Archiepiscopi nomine, in gratiam Abbatiæ sancti Basoli, et Stephani Abbatis amici sui composuit ac scripsit in hunc modum :

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Manasses ineffabili Dei providentia Remensis Archiepiscopus, præteritorum ac futurorum memor, qualiter omnia ruinarum atque defectus detrimenta irrecuperabiliter patiantur, quia vitæ meæ statum non semper duraturum cognovi, manum charitatis porrigendo, animæ meæ portum tranquillissimum studui præparare. Hac igitur necessitate et cura mihi commissarum Ecclesiarum compulsus, et Abbate Stephano id deposcente, dedi et subjeci cœnobio S. Basoli altaria duo, Alteiæ videlicet et Caprillæ, ut ea Fratres perpetuo sine personatu teneant, tantum summaticos persolvant et pro me quoad vivam, duas omni hebdomada missas, unam privatim, alteram vero communiter celebrent, atque per singulos annos in Anniversarii mei die ejusdem Ecclesiæ fratres, de illorum altarium reditibus in refectorio regulariter epulentur. Si quis ea inde abstulerit, anathema sit. Actum Remis, anno Domi-

nicæ Incarnationis millesimo septuagesimo sexto, regni autem Philippi Regis XVII, archiepiscopatus vero Domini Manasse VII, Indictione XIIII. Signum Guidonis Archidiaconi. Signum Garini Archidiaconi. Sign. Manasse Præpositi. Sign. Leuvini Decani. Sig. Odonis Cantoris. Sign. Henrici Abbatis. Sign. Jotzelini Abbatis. Signum Gebuini Abbatis. Sig. Raimbaldi Abbatis. Sig. Dudonis Decani. Sig. Dominici Decani. Sign. Lamberti Decani. Sign. Bavonis Decani. Sign. Widonis militis. Sign. Alberti militis. Sign. Rodulphi. Sign. Haymonis. Sign. Lamberti. *Bruno* Cancellarius scripsit et subscripsit. »

Hujus chartæ archetypum vidit quidam monachus Montis Dei cum sigillo ceræ flavæ, in cujus concha impressa est imago Beatæ Mariæ Virginis dextra lævaque Jesum puerum gestantis. Extat etiam edita in *Metropolis Ecclesiæ Remensis Historia,* sed cum aliquo testium discrimine. Circa idem tempus quo data fuit hæc charta, Manasses fundationem Abbatiæ S. Martini Gemellorum diœcesis Ambianensis ante tres annos factam firmavit, cujus instrumento hæc verba confirmatoria Bruno adjecit : « Anno Episcopatus sui VII firmavit eam Manasses Archiepiscopus. Signum Widonis Archidiaconi et Warici* Archidiaconi, et Manassetis Præpositi, et Leuvini Decani, Odonis Cantoris. *Bruno* cancellarius scripsit. » Oldaricus cancellariam adhuc tenebat anno 1074 calendis Novembris, et mortuus est anno sequenti, IX calendas Februarii. Unde colligimus tempus quo Bruno hunc honorem adeptus est. Porro etsi Bruno et illius successor Godefridus Scholarchatum cum Cancellaria simul obiverint, utrumque tamen honorem tunc temporis secretum fuisse constat: quandoquidem Oldarico Cancellarium agente, Bruno scholasticus erat; et anno 1192 vacante Cancellaria, magister Garnerius Magisterium scholarum obtinebat, ut apud Marlotum legimus.

Marlot. ubi sup. pag. 134. et 151.

Sammarth. in Abbat. S. Martini Gemell.

* Guarini.

Marlot. pag. 428.

XIII. Brunonem hactenus vidimus magnum generis splendore, magnum scientia et virtutibus, majorem vero sapientia, fide ac morum integritate: at nunc ipsum intuebimur

SIMONIACO PRÆSULI SANCTE RESISTIT.

VITA S. BRUNONIS
ExMss.Mont. Dei.

actum maximum ex ardenti studio et animi magnitudine, in tuendis contra Prælatum simoniacum Ecclesiæ juribus et libertate. Vix anno integro in Cancellarii officio transacto, cum videret Remensis Ecclesiæ Pastorem, non pastorem sed lupum agere, et aliquando dissimulasset, novissime animadvertens traditum in reprobum sensum Archiepiscopum, ratusque jam non esse ulterius dissimulandum, in faciem cœpit simoniaco resistere. At Manasse ex piis ejus monitis facto in sua malitia obstinatiore, elegit potius Remos relinquere dignitatesque suas amittere, quam aut conscius aut testis esse ipsius criminum. Sed de his audiamus Guibertum sic disserentem : « Manasses quidam post Gervasii famosissimi Archiepiscopi decessum, prædictæ urbis regimini simoniace se intrusit. Vir quidem nobilis, sed nihil prorsus serenitatis, quæ primam ingenuitatem decet, habens ; tantos enim fastus ex illa novitate conceperat, ut regias peregrinarum gentium majestates, imo majestatum ferocitates imitari videretur. » Et post pauca : « Is igitur cum milites summopere affectaret, Clerum negligeret, dixisse aliquando refertur : Bonus, ait, esset Remensis Archiepiscopatus si non Missas inde cantari oporteret. Hujus ergo mores prorsus improbos et stupidissimos habitus cum omnis honestus horreret, Bruno in Ecclesiis Galliæ tunc opinatissimus, cum aliis quibusdam Remensium clericorum nobilibus, infamis illius odio excessit ab urbe. » Non certe odio quo sanctus vir suum prosequeretur Præsulem, sed quo ipse Manasses Brunonem et quoscumque viros probos prosequebatur; odio, inquam, quo præcipue Brunonem insectatus, ut sibi magis obsistentem, varie afflixit spoliatumque fortunis, Remis, ut diximus, excedere coegit statimque Godefridum in ejus locum cancellarium instituit, qui postea interfuit Suessionensi synodo anno 1078, et 16 Calend. Maii subscripsit privilegio a Philippo Rege Abbatiæ S. Quintini ibidem concesso. Unde colligimus Brunonem circa annum 1077 ex urbe Remensi recessisse.

Guibert. ubi sup.

Illius odio Remis exit.

PARISIOS PRIMUM SE RECIPIT.

XIV. Remis Parisios Brunonem primum concessisse verisimillimum est, sed et ibidem etiam docuisse ab anno 1077 ad

secessum usque suum in solitudinem, variis conjecturis probare nititur Bulæus, forsan ægre ferens Joannem Launoium Doctorem Navarræum, famosum illum Antiquitatis censorem, in sua dissertatione *De vera causa secessus S. Brunonis in Eremum*, dixisse, et velut in contumeliam antiquissimæ et illustrissimæ Universitatis totis viribus contendisse Brunonem, non solum Lutetiæ nunquam legisse aut docuisse, sed « vix probari posse statum fuisse Parisiis Theologiæ studium ante Brunonis ætatem ». At sicut docte antiquitatem præstantissimæ Academiæ astruxit Bulæus, cui et in hoc libenter adstipulamur, ita et Brunonem illi a Launoio subtractum restituere conatus est. Ejus de Brunone sententiam velut nostris rebus accommodatissimam pansis ulnis, ut vulgo dicitur, fuissemus amplexati, ni veritatis amor, quem cunctis et qualibuscumque utilitatibus sine ulla hæsitatione semper præponemus, cogeret nos ad hic notanda quæ sequuntur. Nobis itaque longam Brunonis apud Parisios moram, qua ad docendum ei opus fuerat, cum Bulæo asserere cupientibus, certa et satis perspicua occurrerunt argumenta, aut saltem gravissimæ conjecturæ, quibus frequentes ejus ab hac urbe absentias potius deteximus. Eum namque sive ad astruendam confirmandamque quam de Manasse detulerat accusationem, sive ad suam in pristinas dignitates instaurationem, sive alias res domesticas procurandas, modo Augustodunum, modo Claromontum aut Coloniam, alias forsan et Romam per trium aut quatuor annorum spatium ab anno videlicet 1076 vel sequenti, quo Remis excessit, ad annum 1080 quo Manasses Lugduni damnatus est, se contulisse invenimus. An vero post annum 1080 Parisiis legere potuerit, dicemus postea. Sed de his omnibus jam disserendum est.

VITA S. BRUNONIS

Ubi sup. p. 467.

pag. 84. Edit. an. 1662.

XV. Sanctus itaque Bruno, quem zelus Domus Domini comedebat, adjunctis sibi quibusdam e clero Remensi clarioribus et zelatoribus, ad summum Pontificem Gregorium VII scripsit, audacter accusans Manassem tanquam simoniæ reum. Zeli sui socios habuisse Radulphum Viridem et Fulcium, (de quibus in sua epistola ad Radulphum) credibile est. Manassem

ARCHIEPISCOPUM DEFERT AD PAPAM.

vero tunc ejusdem Ecclesiæ Præpositum, et quemdam Pontium cum eo simoniæ Præsulis delatores simul fuisse certissimum est. Hos enim tres reus ipse ad Papam scribens accusatores suos nominat, ut paulo post videbimus. Ineunte igitur anno Christi 1077, Manasses Præpositus et Bruno noster et alii Remenses clerici Hugonem Diensem Episcopum et Gregorii VII Legatum, Claromontum, ubi synodus contra Stephanum Podiensem Episcopum celebrabatur, conveniunt. Manasses Præpositi dignitate Ecclesiæ Remensis primaria, quam ab ipso Præsule simoniaco obtinuerat, tanquam contra Canones adepta, apud Hugonem se abdicavit. Id enim ipsemet Legatus ad Summum Pontificem de eisdem Manasse et Brunone scribens testatus est, ut ex ejus ad Papam epistola inferius exscribenda patebit. In idem tamen beneficium statim ab Hugone fuisse restitutum colligimus ex Præpositorum indice apud Marlotum, in quo nomen Manassis ab anno 1076 ad annum 1095, quo in Archiepiscopum electus est, invenitur. Nihil opus fuit ut Cancellarii munus dimitteret Bruno, cum non esset beneficium sed simplex dignitas amobilis, qua propterea ab Archiepiscopo jam spoliatus fuerat; canonicatum vero videtur a Gervasio obtinuisse. Deinde in eadem synodo decretum est, ut Manasses Remensis Ecclesiæ invasor ad concilium eodem anno Augustoduni congregandum citaretur, de conjectis in se criminibus apud Patres se purgaturus. Ad locum et diem constitutam venit Bruno cum aliis Manassis accusatoribus. At ille spretis Legati monitis et mandatis, non solum neglexit concilio se sistere, sed Brunoni et ejus sociis dum redirent clam paratis insidiis, bonis ipsos spoliavit, domos evertit, beneficia et dignitates vendidit. Rei seriem sic enarrat Hugo Flaviniacensis : « Accusatus est in eodem concilio (Augustodunensi) Remensis Ecclesiæ invasor, et suspensus ab officio, quia vocatus ad concilium ut se purgaret non venit. Qui cum canonicis Remensis Ecclesiæ accusatoribus suis a concilio redeuntibus plurimas parasset insidias, demum domos eorum fregit, præbendas eorum vendidit et bona eorum diripuit. » Hugo Legatus auditis querimoniis,

Ad Concilia Claromont. et Augustod.

Ab eod. Archiepisc. bonis spoliatur.

quas Manasses Præpositus et Bruno totius Cleri Remensis nomine de Archiepiscopo ad eum detulerunt, Gregorium de violentiis et injuriis, quibus ille viros innocentes affecerat, per literam certiorem reddidit. Archiepiscopum vocat Hæresiarcham, præfatos Manassem et Brunonem, harum literarum forsan latores, tanquam catholicæ fidei sinceros defensores commendat, rogatque Papam ut utriusque opera utatur in promovendis per Gallias Ecclesiæ negotiis, et præsertim in regenda ipsa Remensi Metropoli post Archiepiscopi abdicationem. Sed Legatum ipsum audiamus, cujus epistolæ vetustate corrosæ apographum, a Jacobo Sirmundo cuidam Cartusiæ Montis Dei monacho communicatum, hic subjicimus :

A Legato commendatur Papæ.

« Reverendissimo Patri et Domino Papæ Gregorio suæ Sanctitati inutilissimus servus Hugo, humilis Presbyter Diensis, salutem. Quoniam didicimus R. vestrum Parisiensem rediisse, cui injunxeramus ut fideliter, sicut filius vester, vobis referret gesta Augustodunensis concilii cui interfuit, qui neque per nos rediit, neque quicquam de statu vestro nobis scripsit ; rogamus Paternitatem vestram, ut sententiam suam nobis dignetur scribere super ordinatione Remensis, Bituricensis et Carnotensis Ecclesiarum..... Sylvanectensis vero episcopus, accepta investitura de manu Regis, ordinatus est ab illo Remensi Hæresiarcha, cui literis vestris interdixistis ne hujusmodi in Episcopos acciperet. Manassem autem amicum nostrum in Christo, qui in Claromontano Concilio Remensis Ecclesiæ male acquisitam Præposituram in manu nostra dimisit, commendamus gratiæ Sanctitatis vestræ, sicut Catholicæ fidei sincerum defensorem, et Dominum Brunonem Remensis Ecclesiæ in omni honestate Magistrum. Digni sunt enim ambo a vobis, et in his quæ Dei sunt, vestra autoritate confirmari, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Et ideo consultores profuturos causæ Dei, et cooperatores in partibus Franciæ adhibeatis. Remensis hæretici depositionem con............ revelatam iniquitatem sanguis et cœli et......... clamat........ hos rogamus Ecclesiæ Remensi destinate. etc. »

Ex Mss. Mont. Dei.

Extat fusior to. X. Concil. Labb. p. 364.

VITA S. BRUNONIS

Ex his collige quantæ tunc fuerit famæ in Ecclesia noster futurus Patriarcha.

ARCHIEP. ROMAM PETIT.

XVI. « Cum vero Archiepiscopus, ut legitur apud jam citatum Hugonem Flaviniacensem, a Roma literas accepisset ut in concilio cum sex se purgaret Episcopis, Romam ivit. » At Præpositus, alter scilicet Manasses, in patriam redux cum quibusdam aliis clericis apud Ebalum Comitem se recepit. Ipse vero Comes Archiepiscopum Romam usque insecutus, Cleri causam coram Gregorio tuitus est. Summus Pontifex accusatum Præsulem benigne exceptum, speransque eum Apostolica indulgentia ad meliorem frugem rediturum, a suspensionis sententia in eum Augustoduni lata absolvit, et in pristinum gradum officiumque restitutum in Gallias remisit, quibusdam tamen conditionibus, quarum præcipuæ erant istæ : « Si vocatus a nuntio vel literis Apostolicis fuerit, nullo malo ingenio et nulla fraude se substrahet, sed veniens diffinitioni et judicio hujus Ecclesiæ fideliter obediat. Quod si Domino Papæ Gregorio vel successori suo placuerit eum de objectis ante Legatum suum respondere, idem per omnia faciet.» Sed nihil horum licet a Gregorio et ab ejus Legato non semel vocatus observavit. Remos reversus Gregorii animum contra Comitem et Manassem Præpositum ejusque conscios, ac proinde contra Brunonem præoccupare nisus est, scripta epistola in qua de illis sic conqueritur : « De comite Œbalo, qui me in præsentia vestra accusare tentabat, et se suamque fidelitatem vobis verbis simulantibus commendabat, satis in promptu habetis cognoscere cujus potius sinceritas fidelitatis erga vos videatur existere. Utrum mea qui Deo et vobis paratus sum per omnia obedire, an illius qui et apud vos per semetipsum impugnat B. Petri Ecclesiam, et apud nos per Manassem et suos sequaces in suo castro receptos persequitur Beatam Mariam. Manasses enim, de quo diximus, cui nos jussu vestro, quod in nos admiserat, si ad Ecclesiam Matrem suam rediret, indulsimus, conscientia sceleris sui depressus nec ad nos vult redire, nec paci Ecclesiæ concordare. Quin potius cum ille suis sequacibus, quia factis non potest, verbis et maledictis Eccle-

A Papa benigne excipitur.

Epist. Greg. lib. 5. Ep. 17.

Remos reversus de Brunone queritur.

Concil. Labb. t. X. p. 363.

siam meque lacerare non desinit. Unde....... super Manasse instanter deprecor Sanctitatem vestram, ut aut jubeatis eum ad sua regredi et ulterius non impugnare Ecclesiam, aut in eum ejusque fautores et cooperatores, Apostolici vigoris dirigatis animadversionem. » Acceptis hisce querimoniis de Remensibus Canonicis apud se ab Archiepiscopo delatis, Gregorius, ut omnes in tanto negotio formulas servaret, Hugoni Legato suo mandat, « quatenus inquirat et canonice finem imponere procuret negotiis, unde Remensis Archiepiscopus suis literis conquestus est et maxime de Manasse, quatenus laboret ut ad pacem redeat et ab inquietatione Ecclesiæ et persecutione Archiepiscopi quiescat..... nisi illum justam excusationem habere cognoverit. » Ipsum vero Archiepiscopum admonet, ut « (quemadmodum ipso Romæ posito Gregorius constituit) coram Diensi Episcopo et Cluniacensi Abbate, quibus in his vicem suam commisit, occasionibus cunctis obstaculisque remotis, super objectis omnibus sit respondere paratus. Se enim præfatis Prælatis scripsisse ut, de Manasse et de cæteris omnibus super quibus conquestionem ei collibuerit facere, cuncta studeant diligenter inquirere, sollicite discutere, discussa et indagata ad purum juste, legaliter et canonice judicare. »

Epist. 2. et 3. lib. 6.

Bruno Coloniam repetit.

Dum hæc ita se haberent Bruno bonis spoliatus, præsentiens Archiepiscopi causam diutius quam sibi promiserat, ex captiosis hominis potentis et callidi effugiis protrahendam, patriam suam a parentibus aut forsan a Coloniensi Archipræsule invitatus repetiisse videtur. Id certe licet conjicere, quod eum constet canonici dignitatem Coloniæ in Ecclesia Collegiali sancti Cuniberti aliquando obtinuisse. Manasses quippe ad concilium Lugdunense vocatus ut coram accusatoribus causam suam tueretur, in epistola sive in apologia quam tunc ad Hugonem Legatum scripsit, Brunonem vocat S. Cuniberti canonicum. « Bruno, inquit, nec noster Clericus, nec noster natus aut renatus est, sed S. Cuniberti Coloniensis in regno Teutonicorum positi canonicus est, » licet ex canonicatu Remensi magis esset notus, ut liquet ex *Chronico qua-*

tuor Primorum Priorum, autore nostro Guigone, et ex Sigiberto; sed sic de Brunone per contemptum Manasses locutus est, ut ipsum in Legati odium, si posset, adduceret. Apud quem Legatum, non propter S. Cuniberti canonicatum, sed præsertim propter Remensis Ecclesiæ in omni honestate magistri dignitatem, magna in veneratione Bruno erat.

S. HUGO EJUS DISCIPULUS FIT EPISC. GRATIANOP.

Hugo Flavin. ubi supra.

Epist. 27. et 28. lib. 6.

Guigo in vita S. Hugonis.

XVII. Brunone itaque Coloniæ aliquandiu consistente, Hugo Legatus plura celebravit concilia ad quæ, et præsertim ad Pictaviense, citatus Manasses simoniacus accedere semper recusavit. Anno sequenti, videlicet 1079, aliam synodum ad decidendam monachorum Dolensium causam, jubente Gregorio, Valentiæ tenuit, ubi cernens Hugonem de Castronovo ejusdem Ecclesiæ canonicum et olim Magistri Brunonis discipulum, juvenem quidem ætate sed eruditione ac moribus gravem, in socium laborum suorum, ut diximus, eum elegit statimque secum deduxit Avenionem, ubi paulo post grande celebravit concilium, ut verbis Guigonis utar. Dum ibi multa præclara a Legato sanciuntur, Gratianopolitani canonici Pastore orbati illuc accessere, Hugonem præfatum sibi in Præsulem dari postulantes; quibus Concilii Patres non solum assensere, sed eorum postulationi illum reluctantem acquiescere coegerunt. Sed de his fusius infra. Præfatum Avenionense concilium et Hugonis electio in annum 1080 a Baronio et ab aliis rejiciuntur: sed ad præcedentem esse revocanda facile est probatu.

Annus discutitur.

Scribit enim noster Guigo, cujus etiam autoritate usus est Baronius, S. Hugonem e vita discessisse « anno Christi M C XXXII, ætatis suæ ad minus octogesimo, mense quarto » id est septuagesimo nono et quatuor mensibus. Unde recte colligimus eum natum fuisse anno 1052 circa novembrem, ac proinde eodem tantum mense anni 1079, vigesimum septimum ætatis annum explevisse. Cum vero ab eodem autore dicatur fuisse « annorum fere viginti septem », quando a Gratianopolitano Clero in Pastorem postulatus est in Avenionensi Concilio, hinc videtur necessario conficiendum istud Concilium eodem anno ante novembrem coactum fuisse, quod etiam ex

Gregorii VII epistola, Laterani quarto calendas julias Indictione secunda data, conjicere licet, qua summus Pontifex quemdam Bosonem admonet, « quod si aliquid justitiæ in Ecclesia (de qua agebatur) se habere confidit, ante Legatum Diensem episcopum in concilio quod proxime celebraturus est se præsentare debeat. » Nec certe Gregorius loquitur de concilio Lugdunensi, quod tantum mense januario anni sequentis habendum esse testatur, in alia ad Manassem archiepiscopum Remensem epistola. Præterea juxta eumdem Guigonem Hugo « Romam cum Hugone Legato postea profectus est, ut a Sedis Apostolicæ summo consecraretur Antistite. » Idem refert Hugo Flaviniacensis de eodem Legato agens : « celebravit, inquit, et septimum apud Avenionem (concilium) in quo depositus est Achardus Arelatensis invasor, et electus est Gibilinus in Arelatensem archiepiscopum....... Hugo in Gratianopolitanum episcopum...... quos post expletionem concilii secum Romam duxit, et consecrati sunt a Papa, » qui concilium Romæ indixerat anno 1080 in Quadragesima, cujus prima Dominica calendis martiis occurrit : cui quidem concilio Hugonem Legatum, et consequenter Hugonem nostrum, adfuisse ex Gregorii epistolis discimus. Ex his iterum patet Hugonis ad episcopatum electionem (quam Baronius a consecratione non discernit), sicut et synodi Avenionensis celebrationem referendas esse ad præfatum annum 1079, consecrationem vero ad sequentem ; quod etiam absolute conficiendum est ex verbis Guigonis addentis eum : « obiisse anno consecrationis ad minus quinquagesimo secundo », quem ex justa supputatione ab anno 1080 deducta, invenimus jam expletum fuisse mense martio anni 1132 quo, ut diximus, prima aprilis defunctus est. Hæc necessario annotanda fuerunt ad astruendos Hugonis præsulatus annos, de quo adhuc plura occurrent dicenda.

VITA S. BRUNONIS

Epistol. 40. lib. 6.

Addit. Labb. ad Concil. Lugd.

Ep. 1. et 17. l. 7.

XVIII. Inter hæc Gregorius Manassis archiepiscopi Remensis pertinacia fatigatus et diverticulis, quibus Legatum Hugonem ipsumque Summum Pontificem ultra duos annos detinuerat, cernensque illum ex benignitate Apostolica factum

MANASSES JUDICIUM DECLINARE STUDET.

inemendabilem, Legato jubet concilium Lugduni cogere ibique totum negotium ultima sententia decidere. Bruno, qui tunc Romam fortasse petierat cum aliis Simoniaci accusatoribus, ad condictam diem se sistit; at Manasses ut judicium callide rursum declinaret, ad Gregorium, urgente jamjam concilii celebratione, scribit excusationem obtendens, « timore videlicet dissidentis Regni, ad Lugdunense concilium ad quod vocatus erat, venire non posse; sed quando tutæ essent viæ, Romam iterum petiturum, suam sententiam ab ipsomet Summo Pontifice pronunciante cum filiali summissione auditurum. » Verba ejus non accepit Gregorius, sed generose respondit se illius excusationem non admittere. « Quod si forte, inquit, ad prædictum concilium non iveris, aurem debitæ obedientiæ matri tuæ Romanæ Ecclesiæ diu te supportanti non inclinaveris; si quid contra te Diensis cum consensu religiosorum Fratrum nostrorum egerit, non solum sententiam in te prolatam non immutabimus, verum etiam Apostolica autoritate firmabimus. Quod si fraternitati tuæ videbitur prolatæ sententiæ rationabiliter posse obviari, volumus te magis coram vicario nostro, Diensi videlicet episcopo, aliisque religiosis in patria illa ubi accusatorum et defensorum major copia invenitur, rationes tuas exponere, quam Romam per tot labores et difficultates, ubi utrumque deest, frustra spe judicii quærere.... Data Romæ tertio Nonas Januarii, Indictione tertia, anno videlicet 1080. » Unde miror Hugonem Flaviniacensem autorem coævum, Lugdunensis synodi celebrationem posuisse ante Avenionensem, quam probavi, ni fallor, citius fuisse coactam. Manasses, novis machinis usus, pacem cum Manasse Præposito et quibusdam aliis suis accusatoribus coivit, vel simulavit coivisse. Brunonem vero et Pontium, quos zelantiores sciebat atque firmiores, tanquam testes sibi infestos recusare voluit, sed maxime Brunonem quem velut hominem ingratum apud Legatum calumniatus est, scripta propterea prolixa epistola sive apologia, cujus fragmentum a clarissimæ memoriæ Jacobo Sirmundo cuidam Montis Dei monacho traditum habemus; quam cum integram

Epist. 12. lib. 7.

Brunonem suspectum reddit.

VITA S. BRUNONIS
Mabill. in Musæo Ital. pag. 119.

nuper Mabillonius ediderit, quæ Brunonem spectant hic subjicimus. Sic autem inquit : « Domino H. Diensi episcopo M. Remorum episcopus, salutem. Monuistis me Lugduni ad concilium vobis occurrere. Ad quod quare non veniam dignum duxi literis vobis et omni concilio significare, ne quis forte vel in secreto vel in publico sit, qui nos pro hac causa merito possit inculpare. Quia vero de hoc uno concilio, infra tres hebdomadas, valde sibi dissimiles monitiones a vobis accepimus, primo de prima, deinde de secunda tractabimus. In prima dixistis ut accusatoribus nostris, scilicet Manassæ et sociis, responsuri ad concilium veniremus. At ego dico vobis, quia ego et Manasses pro omnibus sociis scilicet suis concordiam fecimus, exceptis duobus quorum unus, scilicet Bruno, nec noster clericus, nec noster natus aut renatus est, sed sancti Cuniberti Coloniensis in Regno Teutonicorum positi Canonicus est, cujus societatem non magnopere affectamus, utpote de cujus vita et libertate penitus ignoramus ; et quia quando apud nos fuit, multis beneficiis a nobis in eum collatis, male et nequiter tractati sumus. Alter vero, id est Pontius, in Romano concilio nobis præsentibus est falsatus ; et ideo nec uni nec alteri, in ecclesiastico judicio respondere aut volumus aut debemus. Dixistis etiam vos in Lugduno loci aptitudinem elegisse, eo quod prædicti Clerici non ausi venire Trecas, illic non timerent adesse. De secunda monitione consequenter hoc dicimus, quia dixistis, ut si accusatores deessent, ad concilium venirem paratus cum sex Episcopis, quorum vita non notetur infamia, me expurgare. Et nos e contra respondemus, quia si accusatores desunt, nos ex hoc respondere cuiquam non debemus : si vero adsunt, nonnisi illis qui se præsentialiter vel vidisse vel audisse affirment, nos respondere debere probamus. Quod et in sacris autoritatibus est statutum, et in sæpe dicto Romano concilio nobis a Domno Apostolico sub hac eadem conditione laudatum est. Cujus rei etiam testes idoneos qui interfuerunt habemus, et per eos derationare valemus ; quamvis nullam a prædicto Manasse et sociis speremus accusationem, eo quod

VITA S. BRUNONIS

ipsi, nisi forte pro hujus concilii occasione ad vomitum redeant, nobiscum fecerunt concordiæ compositionem, exceptis duobus, ut dixi, Brunone et Pontio, quibus juxta præcedentem rationem respondere nec volo nec debeo. Et si aliqui ex eis, quos concordare per Manassæ legationem diximus, illuc rupta pace profecti sunt et contra nos quidpiam dicere volunt, recipiendum non est, quia tunc temporis nec familiares mei erant nec canonici, ita ut de vita mea testimonium ferre possent. » Præterea sub finem epistolæ ipsi Legato sic ferocius insultat : « melius est ut mitius agendo et justitiam non excedendo, Romanæ Ecclesiæ commodum et honorem per Franciam adquiratis, quam exasperando Franciam, ejus justitiam et subjectionem Romanæ Ecclesiæ impediatis. Quod si in pertinacia, sicuti Domno Papæ iisdem verbis mandavimus permanere disposueritis, et pro sola voluntate vestra nos vel suspendere vel excommunicare volueritis, ostensa est nobis via quam sequamur, etc. » Denique juste timens ne Legatus excusationes ac minas sperneret, ejus animum muneribus corrumpere tentavit. « Posito namque eo, inquit sæpe citatus Hugo Flaviniacensis, apud Viennam pro corporis curatione (forsan post concilium Avenionense), nuntii præfati Archiepiscopi venerunt ad eum multis et magnis precibus et muneribus ad hoc flectere cupientes, ut ob id ei in præsenti trecentas puri auri uncias, domesticis quoque ejus pretiosa donaria offerentes.... Addentes etiam quod nec sperare poterant, sed tamen nihil intentatum relinquere volebant : quod si ei soli concederetur facultas se purgandi, inæstimabiles thesauros auri et qui etiam numerum excederent se juraturos, et insuper sacramentum ne cui hoc proderent. Quod totum virilis ejusdem Legati animus respuit. » Imo verisimillimum est eum, Brunonis opera, Manassem Præpositum quem ut amicum suum habebat, ab iniqua concordia quam cum simoniaco Præsule ejus forsan astutia deceptus inierat, retraxisse. Id enim præsensisse Archiepiscopus videtur, cum in citatis Apologiæ verbis declarat nihil sibi metuendum a Manasse et sociis ejus, « nisi forte pro hujus concilii occa-

Hugoni Legato insultat.

Eum pecunia tentat corrumpere.

Hugo Flavin. in Chron. Vird.

Testes quos deceperat a Brunone ad officium revocati.

sione ad vomitum redeant. » Quod si tamen « aliqui ex illis illuc, nempe Lugdunum, rupta pace profecti sunt et contra nos quicquam dicere volunt, recipiendum non est. » Et revera constat eumdem Præpositum unum fuisse ex illius in eodem concilio accusatoribus.

IN CONCILIO LUGDUNENSI DEPONITUR.

XIX. Legatus non pluris faciens munera Manassis quam ejus in Brunonem objecta, nullaque habita ratione illius absentiæ, auditis rursum in pleno Patrum consessu a præfato Præposito et a Brunone, quem *omnis honestatis magistrum,* ac sincerum veritatis et Ecclesiæ defensorem laudaverat, accusationum causis, sententiam depositionis in Manassem tulit, consentientibus Albanensi episcopo et Abbate Cluniacensi, quos eidem synodo interesse Gregorius voluerat. Deinde eisdem testibus, ut par est credere, certe sancto Hugone Gratianopolitano comitatus, Romam ad concilium in Quadragesima, ut diximus, convocandum perrexit; ibique a se latam sententiam confirmari vidit a Gregorio. Hic tamen adhuc mitius cum damnato reo agens, epistolam ad illum scripsit, qua quidem depositionis sententiam a Legato contra eum latam se confirmasse dicit; licentiam tamen adhuc indulget se se coram quibusdam Episcopis expurgandi, dummodo interim Manassæ Præpositi et Brunonis, aliorumque ejus accusatorum res in integrum restituantur, relictaque Remensi Ecclesia in alium locum secedat, ac clericos in ea secure Deo servire permittat. Epistolæ talis est tenor :

A Gregorio mitius tractatur.

Epist. 20. lib. 7.

« Gregorius etc. Manassæ Remensi. Sciat Fraternitas tua quod depositionis sententiam a Legato nostro Diensi episcopo in Lugdunensi concilio religiosorum virorum consilio prolatam, et nos dictante justitia in Romana synodo, Apostolica Autoritate firmavimus; sed tamen contra morem Romanæ Ecclesiæ, nimia, ut ita dixerim, misericordia ductus, adjunctis tibi Suessionensi, Laudunensi, Cameracensi, Catalaunensi episcopis vel eorum similibus, cum aliis duobus quorum testimonio æque confidamus, si de justitia confidis et eos habere poteris, usque ad festivitatem S. Michaëlis purgandi licentiam indulgemus, ea videlicet conditione ut Manassæ et

VITA S. BRUNONIS

Jubetur bona Brunoni restituere.

Brunoni, et cæteris qui pro justitia contra te locuti fuisse videntur, rebus suis in integrum restitutis usque ad Ascensionem Domini proximam, Remensem Ecclesiam a tua occupatione ex toto liberam deseras, et Cluniacum aut Casam Dei, cum uno clero et duobus laicis, tuis stipendiis, religiose victurus secedas. Quod si facere volueris, prædicto Diensi episcopo prænuntiare procures, ut in ejus præsentia sacramento confirmes de rebus prædictæ Ecclesiæ te nihil interim distracturum, nisi quantum tibi et prædictis sociis competenter suffecerit. Clericos autem qui tanto tempore pro justitia exilium passi sunt, in Ecclesia secure Deo servire permittas. Et quoniam laboriosum tibi fuerit ad nos usque venire, concedimus, ut coram Diensi episcopo et Abbate Cluniacensi, aut si Abbatem deesse contigerit, coram Amato, prædicto modo cum prædictis testibus, de infamia te expurges, etc. Data Romæ 15 calendas maii, Indictione tertia. »

Ex hac epistola colligimus sententiam in Manassem a Legato Lugduni ante prolatam fuisse, quam ipse Manasses recepisset alteram Gregorii epistolam tertio nonas januarii, ut vidimus supra, ad se scriptam : neque enim tam brevi temporis spatio, quod ab hac die usque ad concilii Romani celebrationem interfluxit, potuisset epistola recipi ac synodus Lugdunensis celebrari (quod ideo exeunte anno 1079 vel ineunte altero actum fuisse credendum est), et sententia depositionis mense martio Romæ confirmari.

Armis sibi sedem asserit.

Ex hac invitatione Apostolica et mansuetudine pejoratus Manasses, non tantum Gregorii mandatis non paruit, sed ultra modum excandescens deteriora molitus est, Ecclesiamque a qua merito dejectus fuerat, sive potius Ecclesiæ bona (his enim solum inhiabat) vi et armis sibi asserere cœpit. Quamobrem elapso tempore, quod ei ad se purgandum præstitutum fuerat, Summus Pontifex anno eodem exeunte, clerum ac populum Remensem admonet ut ei modis omnibus resistant, et de Episcopi Legati consensu alium Pastorem eligant. Comitem vero Ebolum, quem supra vidimus Manassem coram Summo Pontifice Romæ arguisse, et illius accu-

Epist. 17. 18. 19 et 20. lib. 8.

satores suum in castrum recepisse ac defendisse, præcipit ut tam seipsum, quam alios ab ejus amicitia retrahat, ipsique pro viribus resistat, et quem alium archiepiscopum major cleri pars cum Legati consensu elegerit, adjuvet. Scripsit et ejusdem sententiæ literas ad Remensis Ecclesiæ suffraganeos, quos præterea commonet, ut ab ejus participatione caveant, eumque excommunicatum cunctis sibi subditis populis denuntient. Regem vero Francorum Philippum « rogat, et ex parte B. Petri præcipit, ut Manassæ propter suas iniquitates irrecuperabiliter deposito nullum ulterius favoris solatium præbeat; nec electionem quam Clerus et populus, Deo annuente, facturus est, nullo ingenio aut studio, quominus canonice fiat, impediat. Sed et si quis impedire aliquo studio seculari tentaverit, illi omni modo contradicat, atque illi quem pars fidelior et religiosior elegerit, adjutorium impendat. Mandato Summi Pontificis a Remensibus accepto, « Proceres, clerus atque Burgenses, inquit Guibertus, cum ab Hugone qui Diensis tunc cognominabatur, postea archiepiscopo Lugdunensi, Apostolicæ Sedis Legato, viro in tenore justitiæ clarissimo, creberrimo anathemate feriretur, et ille manu militari thesauros Ecclesiæ dilapidare niteretur, a sede quam male obsederat, pepulerunt. » Deinde de luctuoso illius interitu sic subdit « exilio relegatus æterno, cum se ad excommunicatum tunc temporis Henricum Imperatorem ipse etiam excommunicatus contulisset, hac illacque oberrans sine communione postremo defungitur. » Quidam putant eum post lapsum resipuisse forsan quod Chartæ in gratiam Ecclesiæ Compendiensis a Rege Philippo concessæ præsens fuerit cum pluribus aliis Præsulibus, qui alioquin cum eo non communicassent. Quæ quidem Charta scribitur data anno 1092. Sed ejus confectionem citius revocandam esse recte Marlotus observat. Id enim præterea colligitur ex subscriptionibus quorumdam episcoporum qui diu ante designatum annum 1092 obierant.

A Remensibus expellitur.

Guibert. ubi sup.

Extat Spicileg. Dacher. tom. 2.

Marlot. ubi sup. to. 2. p. 177. et 201.

Manasse igitur e sede Remensi expulso, successoris ejus electio diu procrastinata est, eam impediente Elinando Laudunensi episcopo, qui « artibus archiepiscopatum insedit,

Elinandus sedem occupat.

Idem lib. 3. cap. 20.

VITA S. BRUNONIS

quem cum dilapidatis magnis censibus, ut habet idem Guibertus, biennio obtinuisset, a Domino Papa audivit : quia uxorem quis habens, alteram superinducere nequaquam possit. »

BRUNO PARISIIS MORATUR.

XX. Inter hæc Brunonem et quosdam e Clero Remensi insigniores, ut erant Manasses Præpositus, Radulphus Viridis subdiaconus et Fulcius Monoculus Canonici, Parisios repetiisse ipsumque Brunonem apud Adam hospitatum fuisse, et ibi postea (collationem illam) cujus fit mentio in Brunonis ad Radulphum epistola, de falsis oblectationibus, et perituris hujus mundi divitiis inter eos habitam fuisse contendit Bulæus, non vero Remis (ut pertinaciter Launoyus in sua dissertatione assererat). Neque enim verisimile est, ut sapienter argumentatur Bulæus, Brunonem Ecclesiæ Remensis Canonicum et Scholasticum alieno in hospitio ibidem mansisse. Imo dubitare nemo potest, quin congruum suæ dignitati domicilium habuerit; et quidem in ipso claustro communi, ubi istius Ecclesiæ canonicos diu ante et post Brunonis tempora regulariter convixisse certissimum est, et probari potest ex Flodoardi Historia, et Chronico Mosomensi, ex Stephani Tornacensis Epistolis aliisque antiquis monumentis. Præfatum Brunonis hospitem putat idem Doctor illum forsitan fuisse Adamum canonicum Parisiensem, qui post Gualeramum fuit ejusdem Ecclesiæ Cantor circa annum 1100. Sed cum et Remis et alibi canonicos et cives ejusdem nominis eodem vixisse tempore facile esset comprobatu, nihil certi de hoc hospite adstruere possumus. Conjicit præterea Bulæus Brunonem Parisiis docendi professionem tum resumpsisse (si tamen unquam ibidem prius docuerit). Et certe fas non est credere tantum virum tribus aut quatuor annis, quos a concilii Lugdunensis celebratione ad suam in Cartusiæ montes profectionem in seculo transegit, otiosum remansisse. Hæc conjectura fulciri potest ex ejus Titulis funebribus, inter quos sex recensentur ab illustrioribus ejusdem civitatis Ecclesiis editi, videlicet ab ipsa Cathedrali, et SS. Maglorii, Germani Pratensis, Dionysii, Mauri Fossatensis ac Petri Lati-

Laun. de vera causa secessus Brunonis.

Flod. lib. 2. c. 11. Chron. Mos. tom. 7. Spicil. Dach. Steph. Tornac. Ep. 160.

Ex Mss. Montis Dei.

niacensis Abbatiis, quæ omnes Brunonis obitum, velut viri sibi ex doctrina notissimi, celebribus planxere Elogiis. Eidem sententiæ favet Cartusiensium traditio, qua Bruno fertur iisdem quibus Remis literarum et studiorum exercitiis famosus habitus fuerat, sponte sua vel rogatus Parisiis incubuisse.

In priorem locum restituitur.

Ut ut sit dum ibi moratur, præfato Elinando juri quod in archiepiscopatum Remensem sibi vendicabat cedente, pax huic Ecclesiæ redditur; reversisque, sub anni finem 1083 vel sub initium sequentis, ex suo exilio Canonicis a Manasse quondam expulsis, de Pastore præficiendo Clerus et populus serio agere cœperunt. Brunonem et Manassem Præpositum a Legato Hugone electoribus propositos fuisse par est credere, cum ipse Legatus, ut vidimus supra, summo Pontifici utrumque jam eumdem in finem commendaverat : « Hos, inquit, rogamus Ecclesiæ Remensi destinate. » Deinde nostrum Patriarcham in possessionem tum bonorum tum dignitatum suarum jam restitutum, a multis expetitum fuisse colligimus ex illius Elogio, ab ipsa Cathedrali Ecclesia cui tunc, quando defunctus est Bruno, præfatus Manasses Præpositus præsidebat, condito in hæc verba :

In Archiepiscopum postulatur.

Hic Pater eximius, fundator Relligionis,
  Exemplar sese fratribus exhibuit.
Dans illis formam spernendi vilia mundi,
  Cœlestis patriæ præmia dum sequitur.
Pro cujus culpa non credimus esse gemendum,
  Quem jam gaudentem credimus in requie.
Nam si cui sancto requiem bona vita meretur,
  Huic quoque pro meritis summa datur requies.
Qui cum multimode nostra polleret in urbe,
  Solamenque suis atque decus fieret;
Cumque faveret ei fortuna per omnia, jamque
  Hunc præferremus omnibus, et merito,
Namque benignus erat, omnique peritus in arte,
  Facundusque satis, divitiisque potens;
Omnia postposuit Christo, nudumque secutus
  Christum, cum multis suscipit hunc Eremus.
Propterea requiem sibi credimus esse paratam :
  Si tamen ulla lævis hæsit ei macula,
(Nam patet in terris nullum sine labe morari,)
  Hanc Deus abstergat, dando sibi veniam.

Ejus in priorem statum instaurationem, et in Præsulem petitionem hæc verba satis declarant : *Qui cum multimode nostra polleret in urbe,* et, *jamque hunc præferremus omnibus.* Idem etiam non minus aperte innuitur ex altero ejusdem Ecclesiæ Titulo :

..... contempta jacet Bruno tibi gloria mundi
Amplecti dum te cuperet, tibi brachia tendens,
Multas mundus opes, multos obtendit amores. *
Tuque fuga lapsus, pompali veste rejecta,
Amplectens Eremum vestiris sorte beata.

**Al.* honores.

Eidem electioni seu postulationi videntur alludere Canonici primariæ Ecclesiæ Rothomagensis in Elogio suo, quod tale est :

Ecclesiæ sanctæ totius lugeat Ordo,
Humani generis flens irreparabile damnum :
Mundo decessit mundani victor honoris
Bruno, pater sanctæ fundator Relligionis.
Cujus tanta piam vitam commendat honestas,
Ut sit eum cuiquam non æquiparare potestas.
Ipse fuit sapiens, vir nobilis, indole fulgens,
Imbutus fonte totius Philosophiæ.
In quo cum virtus probitatis viva niteret,
Glorificos fasces qua promeruisse valeret,
Proculcator opum, cunctorum spretor honorum,
Et mundi stultam pede contudit ambitionem,
Et studio Sanctam fundavit Relligionem.
Mundum declinans, mundi sublimia vitans,
Elegit potius privata degere vita. Etc.

Illum præterea fortunæ bonis luculenter satis instructum fuisse alii testantur Tituli. « Nam dives fuerat, inquiunt Monachi Resbacenses, contempsit cuncta, post pauper est factus pro Domino. » Et Trecensis Ecclesiæ Canonici : « Bruno vir sapiens sprevit opes multas. » Et Titulus sancti Dionysii Remensis divitiarum et dignitatum sic meminit :

Cunctas liquit opes, cunctos simul orbis honores;
Pro te Christe pater, pro cœli munere pauper
Bruno factus.

Sunt passim et plures alii Tituli, qui valde exaggerant in Brunone, quod multas opes reliquisset. Sed hæc eo sensu in-

telligenda esse arbitror, quo hæc Petri verba in Evangelio : « Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. » Et revera eisdem verbis alludit, qui quartum Remensis Ecclesiæ titulum composuit :

VITA S. BRUNONIS
Marc. 10. 28.

Iste velut Petrus, Domini mandata secutus,
Omnia contempsit et Christo pauper adhæsit.
Maluit hic Christo pauper, quam vivere mundo
Dives, sicque Dei plene præcepta peregit.

Sed de his satis. Brunone itaque honorem oblatum recusante, Raynaldus Turonensis Ecclesiæ Thesaurarius, eximiæ virtutis vir et eruditione clarus, omnium votis eligitur, cujus Ordinationis primus annus haud dubie variis ex chartis probatur (apud Marlotum) incepisse anno 1084, quo revera Brunonem in Eremum se recepisse in Annalibus ostendemus. Si qui minus probarent quæ de Brunonis ad Archiepiscopatum electione aut postulatione protulimus, negare tamen non possent quin post Manassæ abrogationem, in pristinum statum, ut diximus, tam gloriæ et honoris quam facultatum et dignitatum restitutus fuerit ; vel certe ab ipso Manassæ successore plura majoraque sperare potuerit, nisi quem jamdiu animo volutabat in solitudinem secessum, quam citius ad exitum adducere serio tunc cogitasset.

Raynaldus in locum Manassis sublegitur.

XXI. Mutandæ vitæ, ac Instituti asperrimi amplectendi causam et occasionem hanc fuisse, tum ex constanti Patrum omni fide dignorum traditione, tum ex testimoniis scriptorum qui fuerunt nostri Ordinis alumni et discipulorum S. Brunonis discipuli didicimus. Ipso Remensis Ecclesiæ turbarum finem Parisiis præstolante, anno circiter 1082 quidam homo defunctus est, scientia et vitæ probitate spectabilis, ut ex indiciis externis apparebat, qui, cum domi donec ad ecclesiam efferretur, ab amicis preces pro animæ illius refrigerio funderentur, e feretro caput attollens voce lamentabiliter repetita, se justo Dei judicio accusatum, judicatum ac tandem condemnatum declaravit. Quo audito perterrefactus et compunctus Magister Bruno, cum quibusdam sociis mundo vale-

QUA OCCASIONE BRUNO DE MUTANDA VITA COGITAVIT.

VITA S. BRUNONIS

Socios sui secessus quærit.

S. Bruno in Epist. ad Radulp. Præpos. Remens.

dicere statuit. In virum alterum jam mutatus, in cunctis quos cum amicis habuit congressibus collocutionibusque, ardentes « de falsis oblectationibus et perituris mundi hujus divitiis » sermones serebat, ut consilii sui socios sibi adjungeret. Visitatus aliquando a Radulpho et Fulcio Remensis Ecclesiæ Canonicis, suis olim in Remensibus scholis discipulis tuncque sui sociis exilii, eorum animos valido ac vivido sermone adeo permovit, ut divino repente afflatu incitati, « voverint Spiritu sancto in proximo fugitiva seculi relinquere et æterna captare, nec non monachicum habitum recipere, quod et in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romam abiisset » suæ Ecclesiæ ab Elinando post ejectum Manassem callide occupatæ, negotia forsan gesturus. Potest tamen fieri quod votum ab eis prius emissum sit, quam horridum spectaculum evenerit. « Ad Fulcii itaque reditum peragenda distulerunt; quo moram faciente aliisque intervenientibus causis », ut fuerunt pax Remensibus reddita, novi Archiepiscopi electio et hujusmodi aliæ, in Radulphi et Fulcii cordibus « divinus amor elanguit, refriguit animus, fervorque ita evanuit » ut posthac neuter de voto solvendo parum curaverit, sed uterque de Raynaldo novo archiepiscopo bene meritus subdiaconi Ordine initiatus est : Radulphus factus paulo post camerarius, et inde Præpositus, tandem ad archiepiscopatum evectus in eo laudabiliter vixit et decessit. Fulcius, si tamen idem est ac Fulco, ab ipso Radulpho tum archiepiscopo Archidiaconi dignitate donatus, ultra annum 1112 in ea perseveravit. Horum mora pertæsus Bruno, sive etiam redivivi hominis prodigio perterritus (si tamen post votum res acta est) speque omni eos flectendi abscissa, timens ne oblatis honoribus ipse inescatus retro aspiceret, sex assumptis quos Deo lucratus fuerat sociis, in desertum aufugere decrevit.

Monasticam vitam vovet.

Marlot. ubi sup. pag. 181. et seqq.

Causa secessus probatur.

Ex Alithiphil. Cartus. Ms.

Hujus nostræ narrationis *substantiam*, prout eam mox exposuimus, separatis ab ea circunstantiis quæ veritati illius tenebras hactenus offuderunt, tueri suscipimus tribus potissimum argumentis sumptis : *primo* ex Patrum Traditione, *altero* ex quibusdam conjecturis, *tertio* ex testimoniis et auto-

ritate tum domesticorum tum exterorum autorum. Substantiam dico, hujus historiæ caput et fundamentum, de quo omnes scriptores inter se convenirent, nempe: hominem quempiam doctum, cum in speciem pie vixisset et obiisset, in feretro positum trina vociferatione, stupentibus qui aderant, se damnatum renuntiasse. Circunstantiæ vero appellari possunt (quantumvis pro Launoyo aliquis reclamet) quibus veritas sive essentia historiæ non evertitur, licet diversimode ab autoribus recenseantur. Quidam enim referunt tale spectaculum in ecclesia coram hominum multitudine; quidam in ejusdem defuncti domus aula paucis adstantibus evenisse. Alii tribus diebus, alii eadem die trinam vocem auditam fuisse. Sed hæc et similia adjuncta, ut diximus, nihil officiunt veritati si non acerbe accipiantur. Deinde validioribus a Launoyo propositis argumentis et autoritatibus ea dabimus responsa, ut cuiquam aliunde non præoccupato plene nos satisfacturos speremus. At lectorem prius monitum volumus nos contra neminem inire prælium. Nullum enim aggredi, nullum lacessere in animo habemus, nec ipsius Doctoris Launoyi memoriam quantulacumque macula aspergere, quem benigne volumus credere bona fide rem, sicut eam se comperisse putavit, exposuisse ac defendisse. Si quem contra nos hæc nostra defensio commoverit, qualiscumque fuerit ille, ei declaramus nullas nos penitus habituros in ore redargutiones aut responsiones in calamo, neque in posterum decertaturos nisi silentio, quod Cartusienses decet, ut pote fortitudo nostra. Nobis nihilominus modo liceat, rogamus, prout illam credimus invenisse, modeste exponere, ut sic scandalum e pusillorum animis evellatur, et multorum provideatur saluti ex hujus historiæ assertione, cujus occasione et lectione perplures scimus divinitus transverberatos vitam mutasse, et Spiritui sancto tandem obaudivisse. Ex quibus non paucos quotidie videmus inter nos, ad quietioris asperiorisque vitæ genus fortiter animatos. Sed ad illius probationes modo transeamus.

XXII. Et primum quod spectat Patrum traditionem, hæc TRADITIONE.

VITA S. BRUNONIS

satis superque solida ratiocinatione stabilitur ab ipso R. Patre Priore Cartusiæ tom. I horum Annalium quem Ipse composuit, ubi dilucide luculenterque ostenditur, omnes quotquot fuerunt et sunt in orbe Christiano Cartusienses, nullam unquam aliam instituendæ nostræ Religionis causam seu occasionem agnovisse, præter funestam hujus hominis anastasim, quam asserunt se accepisse ab antiquioribus, qui et ipsi eam a Patribus suis, ad quos a S. Brunone et sociis ejus eorumque discipulis ac sequacibus, per longam annorum traditionem pervenerit, didicerunt. Verum ne res tam insolens et stupenda, tamque creditu difficilis ex tam longa traditionis deductione plane videatur incredibilis, præsertim hominibus hujusseculi nequam, qui nihil fere credunt quam quod, ut vulgari dicitur proverbio, in oculos intuentium prosilit, hoc argumentum ex traditione petitum, quinque fere seculis, si ita loqui liceat, decurtabimus, hujusmodi traditionem non longiori quam septuaginta aut ad summum octoginta annorum ductu ab obitu quorumdam sociorum S. Brunonis protrahentes, ut sequitur.

Nihil de suo Ordine antiqui Patres scripserunt.

A fundatione Ordinis ad Bosonis ætatem qui Domos Vallis S. Hugonis et Majoris Cartusiæ cum toto Ordine rexit ab anno 1272 ad ann. 1313 quo decrepitus decessit, altum in suis claustris silentium Cartusienses tenuerant; nec quicquam aut de sui Ordinis ortu aut de mirabilibus, quæ passim inter eos fiebant, sinebant propalari. Hoc de his testatur, et amice conqueritur Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas : « Multa, inquit, in illo sacro Ordine miracula contigisse a pluribus accepi, sed ipsi humilitatis virtute, qua semper servi Dei miranda opera sua quanto possent nisu occultant, vix aliquid ex his prodere voluerunt. « Neque a Patrum tramite deflexisset Boso, nisi ad suum institutum a quorumdam alterius Ordinis religiosorum calumniis vindicandum, hujus humilis ac sancti silentii leges tamdiu servatas violare coactus fuisset, edito tractatu fusissimo, sive suo marte ut quidam volunt, sive suo jussu, usus nempe calamo Guillelmi de Hyporegia Cartusiensis itali, viri docti, quem tribus circiter ante suum obi-

Lib. 2. Mirac. c. 29.

Quæ tanti silentii causa.

tum annis ad Majorem evocaverat Cartusiam. Hunc tractatum inscripsit *de Origine et Veritate perfectæ Religionis*, *ad defendendum Ordinem Cartusiensem*. Nihil in eo de tragico hominis damnati fine egit. Neque enim tunc temporis hæc quæstio mota fuerat. Sed ad illius calcem voluit adjici *Chronica de Exordio Ordinis Cartusiensis* hanc Historiam enarrantia, ab autore incerti nominis, ejusdem tamen Ordinis professo olim conscripta, quem propterea Anonymi nuncupatione deinceps designabimus. Unum codicem tam Bosonis sive Guillelmi de Hyporegia tractatum, quam præfati Anonymi Chronicon complectentem e Montis Dei cartusia habuimus, sub initium seculi quarti decimi, id est circa finem regiminis Bosonis exaratum, ut ex charactere colligimus, quod etiam nobiscum sensit vir quidam doctissimus et in hujusmodi caracteribus versatissimus, quem Parisiis cujusdam amici interventu consuluimus. Cum igitur Boso medio seculo tertio decimo nostrum professus sit institutum, non dubium est quin autor Chronici anonymus ipso paulo sit antiquior, quod etiam probari potest ex Bibliothecæ Colbertinæ codice, in quo ejusdem Chronici exemplum reperitur exscriptum ante medium dicti seculi tertii decimi, ut nos Stephanus Baluzius vir doctrina clarissimus et de quovis bene merendi studiosissimus, per literas his verbis commonuit : « In codice 3806 est quædam tabula continens capita 51 *de Perfectione et Privilegiis Ordinis Cartusiensis :* est imperfecta, et incipit in capite 16. Codex ille est 450 annorum (id est circa annum 1240), continet Chronicam *de Exordio Ordinis Cartusiensis* (sic etiam in nostro codice inscribitur) usque ad annum 1137 quo obiit Guigo. Deinde sequitur Bernardus *de Contemplatione*. Incipit : Cum die quodam. » Verisimile est apographum istud ex ipso autographo (quod modo periit) expressum fuisse, et a quodam ex primis Cartusiæ Parisiensis e Majori Cartusia illuc allatum : quod postea Bibliothecæ Thuanæ traditum, tandem Colbertinæ adscriptum fuit.

VITA S. BRUNONIS Codex Cart. Mont. Dei.

XXIII. Cum igitur hic Anonymus suum Chronicon scripserit circa, vel ante 1240, potuit ineunte eodem seculo fieri

QUI TRADITIONIS AUTORES.

VITA S. BRUNONIS

monachus, et idcirco hanc historiam accipere ab antiquioribus patribus, qui eodem tempore superstites erant, ex quibus quosdam sociorum sancti Brunonis, et cum eo nostri propositi fundatorum discipulos fuisse constat, ut fuerunt B. Artaldus, qui regente Ordinem S. Antelmo, prior Domus Arveriæ effectus est, et inde Bellicensis Episcopus, tandemque abdicatis infulis vitam protraxit ad annum 1206 quo centenario major in cella occubuit; et Aynardus Conversus Majoris Cartusiæ professus, de quo res mirabiles narrantur in vita S. Hugonis Lincolniensis, ubi et dicitur sana mente obiisse anno ætatis suæ centesimo vigesimo sexto, quatuor circiter post S. Hugonem annis, scilicet circa 1204 quod vix credi posset, nisi qui illum cognovit id scriptis asseruisset, ut suo loco in Annalibus dicemus. Hos inter annumerari etiam merito possunt venerandi plane senes Bovo S. Hugonis Lincolniensis in Witamiensi prioratu successor, licet annis in Ordine transactis multo major; Jancelinus, qui matrem Cartusiam et totum Ordinem, paulo post Basilium S. Antelmi successorem, sexaginta fere annis moderatus est; Guifridus Cartusiæ Conversus, qui anno 1202 sexagenarius in Ordine, testatus est quibusdam in literis se vidisse fratrem Osmarum magni Guigonis tempore Conversum, et qui procul dubio quosdam ex septem Ordinis fundatores aliquando noverat. Ab his igitur, et quibusdam aliis ejusdem fidei et autoritatis monachis, hanc historiam noster Anonymus, aut certe qui eam ipsi Bosonique et ejus coætaneis retulerunt, potius acceperant quam « ex incerto credulæ plebis rumore », et quorumdam recentiorum fabulis, ut objicit Launoyus. Unde enim, quæso, tunc temporis ille « incertus rumor » nostris claustris dispergi potuit ? Nonne potius ex iisdem claustris longe lateque paulatim diffusus fuisse dicendus est ? Et quidem ab ipsis primorum patrum alumnis, viris utique gravissimis et sanctis quorum et successorum fidem tanti faciebat Guillelmus Durandus magni nominis autor, ut in *Speculo Juris,* quod Adriano V eo tempore dicavit, quo primi florebant hujus historiæ Scriptores, censuerit « Regulam Juris, qua nemini licet in sua causa tes-

Pag. 108.

Quantam fidem mereantur.

timonium dicere, non habere locum in Cartusiensibus et Cisterciensibus propter eorum sanctimoniam. » Hos certe, quos tam dignos fide existimabat Durandus, non sibi persuasisset hujus anastasis narrationi, si commentum fuisset (ut volunt adversarii) dedisse initium, ut Ordinis sui incunabula turgentibus buccis in populos disseminarent ex tam insolito prodigio, ex quo sive verum sive falsum esset, nihil tamen gloriæ aut dedecoris, nihil utilitatis aut damni suæ Religioni, satis aliunde insignibus præfulgenti pietatis prærogativis, conferre poterant; nec « credidissent (ut exprobrat Launoyus) non satis illustrem Brunonis historiam, quæ jam illo eventu careret. » Si enim tam ipsi quam eorum posteri « amabant, ut quidam pro nobis observavit, quæritabantque illustria et ad populi admirationem idonea dicere de Brunone, profecto longe illustriorem fecissent vitam ejus, et maxime ad vulgus admiratione suspendendum aptam, si quæ de Paulo, Antonio, aliisque seu monachis seu anachoretis antiquioribus legimus, affinxissent Brunoni ac sociis. » At viri veritatis amantes, ac omnis fictionis osores ingenue quod a Patribus audierant, de Brunone narraverunt, juxta illud Moysis : « Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, majores tuos et dicent tibi. »

VITA S. BRUNONIS

Durand. titul. de testibus.

Pag. 104.

Jo. Columbi in dissertat. de Cartusian. initiis pag. 14.

Deuteron. 32.

Itaque cum noster Anonymus hanc Historiam exscripserit ex ore narrantium, qui Brunonis socios noverant, vel saltem nostrum Institutum professi fuerant ante seculum tertium decimum, id est durante primo nostri Ordinis seculo, hinc sequitur traditionem istam ultra sexaginta aut septuaginta post quorumdam ex nostri Ordinis autoribus mortem annos, autoritate scripturæ non caruisse, quod vix reperire est in multis S. Ecclesiæ traditionibus. Quot enim (extra omnem comparationem loquor) quantaque fuerant non solum per unum, sed per duo, tria et adhuc plura secula ab Ecclesia credita, culta, servata, observata, quæ sola traditione scriptis nondum firmata nitebantur. Unde nihil hostes ejus habuerunt, nec hodie habent antiquius, quam ipsius impugnare traditiones : quibus etiam armis contra nos potissime usus est Launoyus, ut postea videbimus. Hujus nostræ Historiæ sic traditæ graves

et idonei testes modo producendi sunt, a Domesticis primum incipiendo, quos exteri sequentur.

Probatio ex conjectura.

S. Brunonem in eorum numero a nobis poni mirabitur, et forsan irridebit lectorum aliquis, cum sciat Launoyum affirmasse « in Brunonis operibus et homiliis nihil simile comparere. Imo ipsum Cartusianorum conditorem, qua ratione e seculo recesserit, perspicue (ut vult) declarare in epistola ad Radulphum Viridem, » de qua suo loco. Attamen quoniam conjecturis causa sæpe confirmatur, et « conjectura dicta est a conjectu, id est, directione quadam rationis ad veritatem, » nasciturque juxta Jurisconsultos a probabilibus; improperare nobis nemo potest, si quid in nostræ narrationis robur et veritatem tum ex nostri Fundatoris operibus, tum ex Elogiis ab ejus discipulis et amicis statim post illius mortem conscriptis per conjecturam colligamus. Unicum Epigramma Bruno composuit : in eo nihil ejus mentem altius penetrasse videtur quam timor divinorum Judiciorum et horror inferni ; et quamvis libere expatiari potuisset circa quampiam penitiorem et sublimiorem materiam, circa tamen mortis et inferni vulgarem descriptionem versatur, obscure quid nobis insinuans de ratione suæ conversionis.

Pag. 20. et 109.

Quintil. lib. 3. Mestit. c. 7.

Bald. in d.l. non hoc. c. unde legi.

ExMss.Montis Dei.

Ad calc. oper. S. Brun. ed. an. 1508.

Mortales Dominus cunctos in luce creavit,
  Ut capiant meritis gaudia summa poli.
Felix ille quidem qui mentem jugiter illuc
  Dirigit, atque nihil noxia quæque cavet.
Nec tamen infelix sceleris quem pœnitet acti,
  Quique suum facinus plangere sæpe solet.
Sed vivunt homines tanquam mors nulla sequatur,
  Et velut infernus fabula vana foret.
Cum doceat sensus viventes morte resolvi,
  Atque Erebi pœnas Pagina sacra probet :
Quas qui non metuit infelix prorsus et amens
  Vivit, et extinctus sentiet ille rogum.
Sic igitur cuncti mortales vivere certent,
  Ut nihil inferni sit metuenda palus.

ExMss.Montis Dei.

Quod obscure tantum his versibus innuit Bruno, paulo apertius indicant amici ejus ac discipuli, cum plane exprimunt illum ex Dei judiciorum et mortis ac inferi pavore in

solitudinem pulsum fuisse. Veram illius secessus causam nulli ita apprime cognoscere potuerunt, quam Ecclesiæ S. Mariæ Remensis Canonici, qui eam suo Titulo sic insinuant :

Judicis examen venturi Bruno pavescens,
Mundanas contempsit opes Eremumque petivit;
Atque suavis ibi fructus emisit odoris,
Ad Christum revocans quos gloria vana fefellit.

Radulphus Viridis Præposituræ dignitate in ea Ecclesia tum gaudebat, qui forsan hujus tituli autor, invitationem qua paulo ante per epistolam ad monasticum habitum ex voto induendum a Brunone incitatus fuerat, tacite significat his verbis, « ad Christum revocans quos gloria vana fefellit ». Ecclesiæ Remensi adstipulatur peculiaris Ecclesia S. Bartholomæi in Monte Or non longe ab eadem urbe dissita, cujus Elogium totum est de mortis et inferni horrore, quo territus Bruno dicitur Eremum penetrasse.

Orbis amarescens claudescit pondere mortis,
Et trahit ad speciem humanæ per devia sortis.
Mergit et exilio propriorum quæque tabescens :
Unde tumescis homo miser hac ætate senescens,
Fonte carybdineo mergeris ad ultima finis,
Ac cinis in cineres solveris ut umbra lucernis.
Est labor ejus amor et inextricabilis error,
Defectu cujus animam complectitur horror.
Postquam nudata fuerit de carcere carnis,
Vel satanæ ducibus heu circumsepta catervis.
Quod metuens animosus in hoc discrimine Bruno,
Servitio penetrat Eremum certaminis uno.
Linquit opes mundique decus, ne gloria pœna
Fiat in interitum, etc.

Simile quid primariæ Ecclesiæ Parisiensis Canonici, amico Brunoni parentantes succinunt :

O vos mundani, qui re gaudetis inani,
Spernite culturam carnis subito perituram.
Corpus enim vastum varia pinguedine pastum,
Quo magis impletur, putidum magis efficietur.
Cur impinguatur caro qua vermis satiatur ?
Cur adeo cupimus bona quæ retinere nequimus ?
Quos male seducit mundus per devia ducit,

Et sectatores carnis fallit per honores;
Blandaque prætendit, dum nobis retia tendit.
Est et in hoc mundo mundanis sollicitudo,
Pœnaque lucratur pœnam, caro bis cruciatur.
Qui lucra sectantur subita nece præcipitantur,
Et subeunt antrum carnes, animæque barathrum.
Hæc satis attente pertractans Bruno repente,
Ille magistrorum decus, informatio morum,
Remigium turbæ, Remensis major in urbe,
Mundum despexit, iter ac cœlestia flexit,
Vilibus indutus pannis te, Christe, secutus.
Huic igitur cœli pateant, populoque fideli
Cum quo lætatur Bruno, semper sociatur.

Monachi quoque S. Germani ejusdem urbis testantur Brunonem ultimi Judicii recordatione perterrefactum fuisse :

Mentibus in nostris deberet semper haberi
Lux in qua reprobi mala tollent, seu bona justi :
Hanc timuit Bruno, sophiæ qui verus amator.

Ex his et quibusdam aliis Titulis quæ similia indicant, non absurde conjectare possumus Brunonis amicos in eis implicite allusisse redivivi hominis spectaculo. Illos vero non clare historiam designasse, ne famam illius ejusque consanguineorum violare viderentur. Fatemur eadem de quolibet alio mundo valedicente, cujus conversionis causa latet, dici posse; sed cum apud omnes Cartusienses semper ratum fuerit Brunonem ex horrendo damnati Magistri judicio tremefactum mundo abrenuntiasse, gravis inde conjectura elicitur idem judicium in prædictorum Titulorum verbis tacite contineri. Cur enim amici ei chariores, qui optime callebant quænam illius conversionis causa fuerit, non aliam præter mortis, judicii, et inferni timorem attulerunt? Cur nihil de Manassæ simoniaci persecutionibus aut ejus perversis moribus meminerunt, si Brunonem in Eremum impulerunt, ut Launoyus ex Guiberto necessario consequi vult? Sed Historiæ nostræ testes modo proferamus, qui diserte illam scriptis tradiderunt.

PRIMUS HUJUS HISTORIÆ SCRIPTOR.

XXIV. Primus inter eos occurrit Anonymus ille Chronici tractatui *de Origine et Veritate perfectæ Religionis* adjecti autor, quem Joannes Columbi, qui uno etiam codice utrum-

que opus continente usus est, tempore Basilii S. Antelmi successoris vixisse quibusdam adductus conjecturis existimat. Sed eum non esse tam antiquum ex quibusdam notitiis quæ Columbo perviæ esse non potuerunt colligimus. Meminit ille, agens de sociorum S. Brunonis in Cartusiam reditu, quarumdam Urbani II Papæ et Seguini Casæ Dei Abbatis literarum, « quæ, inquit, circa principium Cartularii sunt conscriptæ. » Duo nunc apud Cartusiam Cartularia asservantur. Alterum Francisci Puteani curis collectum, et bina complectens volumina, in quorum priore non « circa principium », sed ad calcem præfatæ tam Urbani Papæ quam Seguini literæ exscriptæ sunt. Alterum duobus etiam distinctum voluminibus nullum ex his Instrumentis continet. Hujus primum volumen anno 1303 Priore Bosone inchoatum, et ab Aymone illius successore sive ejus sollicitudine absolutum, in fronte primi Instrumenti hæc habet verba : *Hic incipit Chartularium novum de Comitatu,* nempe bonorum quæ sita sunt in Sabaudiæ Comitis ditione. Cum igitur Urbani bulla et Seguini literæ mentionem faciant montium Cartusiæ in Sabaudia tunc temporis contentorum, nec in hoc *Novo Chartulario de Comitatu* reperiantur, inde quoddam chartularium vetustius extitisse, de quo commemorat noster Chronologus, necessario intelligimus, non quidem confectum Basilii tempore, quo non credibile est Cartusiæ Domum tot instructam fuisse instrumentis quot suffecissent ad conflandum chartularium, sed paulo ante tertii decimi seculi medium, quo vicinæ Cartusiæ, ut sunt Domus Portarum, Majorævi, Durbonis, Allionis et Vallis S. Hugonis suorum documentorum in chartularia, quæ integra etiamnum habentur, cogendorum sategisse probantur. Ex his iterum patet nostrum Anonymum altero a fundato Ordine Cartusiensi seculo non multum provecto, ut superius probavimus, vixisse ; ac proinde sociorum S. Brunonis discipulos novisse. Non igitur « post annos a condito Cartusianorum Ordine ducentos quadraginta et amplius, ficta est illa de Doctoris vel Canonici Parisiensis anastasi narratio », sed tantum post primum seculum Ordinis cœpit scriptis

Quo tempore vixerit.

Launoyus p. 89.

VITA S. BRUNONIS

mandari. Qualis vero fuerit noster Anonymus et quam dignus cui crederetur, ipsemet Boso vel Guillelmus de Hyporegia pro Bosone, ad calcem laudati tractatus *de Origine, etc.* testatur, lectorem adhortans ut « tractatum sequentem de narratione Historiæ inchoationis et promotionis Ordinis prædicti Cartusiensis, non negligat ad ædificationem scribere, vel legere, vel audire. » Quibus præterea verbis innuere videtur Boso non se, sed quempiam alium ejusdem Chronici esse autorem. Quod apertius conficit Joannes Columbi ex suo codice in quo idem Chronicon præfigitur tractatui *de Origine,* in cujus tractatus fine sic autor loquitur : « Explicit tractatus *de Origine et Veritate perfectæ religionis,* quem quicumque legerit orare dignetur pro illo peccatore, qui hunc ad honorem Dei et ad defensionem Ordinis Cartusiensis compilavit » ; quæ etiam verba habentur in nostro codice, quibus subjicitur oratiuncula illa, qua lector admonetur, ut tractatum præcedentem de narratione Historiæ (et cætera ut supra) scribat, vel legat, vel audiat. « Qui igitur, ut recte concludit Columbus, peccatorem dicit autorem tractatus *de Origine,* is profecto de se loquitur. Cum vero idem nihil ejusmodi adjungat de autore tractatus de narratione (sive Chronici), apertissimo est argumento negare se illius autorem. » Alioqui non debuisset brevi illi hortationi præponere verba illa, quibus pro se orari postulat.

Ubi sup. p. 35.

Quam sincere scripserit.

Quam vero sincere noster Anonymus suum erat Chronicon scripturus, in suo Prologo his verbis significat : « De antiquis sapientibus et sanctis fundatoribus Ordinis Cartusiensis aliqua ad perpetuam memoriam narraturi, inde invocato Spiritu Sancto exordium assumamus, unde narratur fuisse quasi prima occasionis inductio, et provenisse sanctum propositum fundatoribus ante dictis. » Certe viro religioso et inculpatæ fidei nihil scribenti nisi invocato Spiritu Sancto, et ea scribenti quæ audivit ab antiquis itidem fidei probatæ Patribus qui ordinis primipilorum Discipulos noverant, prorsus non est neganda fides.

Hic igitur damnati hominis exitium sic describit. « Anno

Dominicæ Incarnationis MLXXXII vel circiter, dum solemne studium floreret Parisiis, præcipue in Philosophia, in Theologia et Jure Canonico, tale prodigium ibi dicitur accidisse. Quidam enim Doctor præcipuus, et vitæ fama et doctrina inter cæteros famosissimus, gravi et ultima infirmitate præventus, non diu decumbens diem clausit extremum. Cumque tota illa die, qua defunctus est, more parisiensi, in aula in feretro funere decumbente, fuissent continue cantata Officia Defunctorum, in crastino mane congregata inibi Universitate Parisiensi tam scholarum quam Doctorum, ut tam honorabili viro solemnes celebrarent exequias, cum reverendi viri feretrum cum funere elevare vellent ad ecclesiam deferendum, subito cunctis stupentibus, qui defunctus erat, elevato capite resedit in feretro, et cunctis audientibus, alta et terribili voce clamavit : *Justo Dei judicio accusatus sum ;* et hoc dicto caput deposuit, et jacuit mortuus sicut prius. Qua voce cuncti attoniti et territi deliberaverunt ipsum illo die non esse sepeliendum, sed usque in crastinum reservandum. Mane igitur sequenti, cum multitudo maxima convenissent, et dictum funus, sicut prius, vellent ad ecclesiam deportare, defunctus, sicut prius elevato capite, dolorosa ac terribili voce intonuit : *Justo Dei judicio judicatus sum.* Quo audito cuncti territi sunt valde ; quærentes alterutrum quid sibi vellent isti clamores horribiles et insoliti, adhuc decernunt ipsum dimittere usque in sequenti mane. Tertio vero die, cum pene tota civitas propter hoc mirabile convenisset, et funus, sicut prius, vellent ad tumulum deportare, defunctus tertio, altissimo et mœstissimo clamore personuit : *Justo Dei judicio condemnatus sum.* Quo audito omnes qui aderant maximo terrore sunt percussi, certi tunc facti de damnatione tanti viri. Ea tempestate erat ibi Magister Bruno Doctor famosus, natione Teutonicus, de civitate Coloniæ nobilibus ortus natalibus, Ecclesiæ Remensis Canonicus et ibidem Scholarum Magister, qui supradictis vocibus salubriter territus et compunctus, allocutus est quosdam socios suos ibidem præsentes, iis vel similibus verbis, etc. » Hujus scriptoris auctoritas apud nos adeo va-

Historiæ narratio.

luit, ejusque Chronicon posteris suis ita probatum est, ut omnes fere Cartusienses, imo et ipsi extranei autores, qui scriptis hoc prodigium mandarunt, ejusdem verbis usi sunt.

QUI POST EUM ET EX EO SCRIPSERINT.

Alter Anonymus vixit 1298.

Joan. Columbi ubi sup. p. 32.

XXV. Ex nostris primus post antiquum illum prodeat alter Anonymus cartusiæ Majorævensis monachus, qui anno 1298 tractatulum scribens sub hoc titulo, *Quomodo Ordo Cartusiensis sumpsit exordium?* eamdem Historiam inseruit, prætermissis tamen aut mutatis aliquot dictionibus, quæ quosdam in errorem sensim induxere. Dicit enim defunctum voces edidisse « cum corpus ejus poni deberet in sepulchro », sive ex aula ad ecclesiam ferri et inde sepulturæ dari. Quæ verba minus attente quidam legentes, id in ecclesia actum crediderunt scripseruntque. Huic Monacho adsciscendi sunt Boso et Guillelmus de Hyporegia, quos diximus suo *de Origine* tractatui totum Anonymi Chronicon postposuisse, aut præposuisse, ut apud Columbum legitur. Alter quoque nostri Ordinis Anonymus (abscondi namque ac nesciri nostri majores semper elegerunt) qui Chronicon Matris Cartusiæ, quod in pluribus Ordinis Domibus reperitur, ampliavit et ad Elisarii Generalis Ministri tempus, quo ipse vixit, protraxit; eamdem anastasim verbis iisdem narrat, interjectis aliquibus parenthesibus, hisque immutatis verbis, nempe *aula* et *ecclesia*. Ubi enim vetus autor habet *in aula,* ille recentior posuit *in ecclesia,* et ubi apud priorem fit mentio ecclesiæ, apud hunc posteriorem legitur sepulchrum. Unde patet scriptores plerosque historiarum circunstantias accommodare ad usum temporis quo scribunt. Hunc vero primum Chronicon, ac Codicem Majorævensem Bosonisque Tractatum vidisse conjicimus ex his illius præfationis verbis: « Et licet primi quinque Priores hic inferius descripti in pluribus Chronicis reperiantur, tamen successores eorum... fuerunt oblivioni demandati. » Hic autor vivebat anno 1350. Nullum ex his noverat Launoyus. Unde non mirum si crediderit « ante Gersonis tempus nullum autorem qui sit exploratæ fidei, testimonium præbere huic narrationi, » ipsumque Gersonem non habuisse alium hujus Historiæ autorem præter famam.

Guill. de Hyporegia. 1313.

3. Anonym. 1350. ex variis codicibus.

Pag. 91. et 107.

Henricus Calkar doctor Parisiensis et postea Coloniensis et Argentinensis cartusiarum Prior, ac per plures annos diversarum Provinciarum Visitator et Commissarius, qui Gersoni notus esse potuit, cum abdicatis omnibus officiis in solitudinem se recepisset, inter plures quos edidit libros, unum conscripsit *de Ortu et Progressu Ordinis Cartusiensis,* cujus multa exemplaria variis in Bibliothecis asservantur. In eo idem portentum describit, verbis quidem concisioribus, sed integram, prout in veteri Anonymo habetur, narrationem comprehendentibus, affirmatque id se retulisse « prout hoc apud Cartusienses communiter reperitur scriptum ». Et sub totius operis finem : « Ego frater quidam pauper Cartusiensis septuagenarius fere, et plusquam triginta tribus annis in Ordine.... Hæc paucula inter et post multa, quæ adhuc Cartusienses habent de Ordine suo scripta, et ego scripsi pro charitate fraterna ex libris autenticis, testimoniis veridicis ac experientiis propriis; quippe qui Prior fui, licet indignus, diu et in diversis Domibus, et hoc pro consolatione ad animandum et invitandum multos bonos homines ad mutationem vitæ...... Actum anno 1398. » Quis hæc legens audeat dicere hanc Historiam « recens ab otiosis hominibus inventam », quam e contra Henricus Calkar vir gravis et doctus attestatur sic « apud Cartusienses communiter reperiri scriptam, se legisse et accepisse ex libris autenticis et testimoniis veridicis ? » Hermannus cognominatus Steenkenius, sive a Petra, cartusiæ Diestensis alumnus, vir sanctus, Calkaris coætaneus, in tractatu *Super oratione Dominica* non semel edito, idem spectaculum ex Chronicis Cartusiæ quæ citat, breviter recenset. Aymarus Savelli Matris Cartusiæ circa annum 1430 professus, et per annos viginti procurator, in uno librorum quos *Recognitiones* vocant, luctuosum hunc eventum iisdem prorsus verbis quæ habentur apud nostrum Anonymum, simul cum literis Fundationis Cartusiæ anno 1084 datis, excribi curavit. Hincque reor natum errorem, quo Polycarpus Riverius inter autoritates, quas ad tuendam hanc narrationem paraverat, has etiam literas tanquam de eadem commemorantes recensuerit;

VITA S. BRUNONIS
Henricus Calkar. 1398.

Ex Codice Cart. Divion. et Colon.

Herman. a Petra 1410.

Impress. Lovan. 1484. et Rothomagi. 1512.
Aymar. Savelli 1430.
Codex notatus E. 250. fol. 9.

contra quem propterea velut « malæ in scribendo fidei hominem » Launoyus forsan non temere invehitur. Eodem tempore florebat noster Dionysius dictus extaticus, qui nullam aliam nostræ institutionis causam agnovit præter « agnitum plane, atque famosum miraculum illud resuscitati Parisiis mortui, » ut ipse loquitur in breviuscula de eo enarratione, quam cuidam suorum opusculorum inseruit. Bernardus de Egra, vir in divinis Scripturis, teste Trithemio, studiosus et eruditus, originis nostræ occasionem ex altero Anonymo Elizarii ætate florente acceptam, evulgavit in *Dialogo de laudibus et miraculis B. M. Virginis,* Lipsiæ quandoque impresso. Henricus Arnoldi notarii munere in Basileensi Concilio perfunctus, dato nomine in ejusdem urbis cartusia, vitam S. Brunonis composuit incipientem his verbis : « Quod sapiens exhortationis gratia dicit », et in ea agit de famosi illius Doctoris funere.

Dionys. Cartus. et alii usq. ad an. 1500.

De laude Ord. Cartus. art. I. inter ejus opuscula.

Impressus Lipsiæ an. 1493.

Mab. to. 4. Vet. Analect.

Petrus Dorlandus præfato Henrico ævo suppar, integerrimæ vitæ monachus, in *Cartusiensi Chronico* nostræ Historiæ substantiam mutato quidem stylo retulit, sed nulla addita circunstantia quæ differat ab alterius Anonymi narratione. Nec ullam facit mentionem lectionis quartæ vigiliarum pro mortuis, ut incaute vel labente memoria Launoyus exprobrat. Denique cum ann. 1510 cuderentur Antiqua Statuta, idem prodigium eis insertum fuit eodem argumento, paucis tantum verbis additis aut immutatis, ut superius monuimus.

Pag. 132.

QUID NOTANDUM EX HORUM NARRATIONE.

XXVI. Ex citatis autoribus, sive potius ex antiquiore nostro Anonymo, a quo cæteri suam ab invicem narrationem mutuati sunt, quædam sunt nunc annotanda. 1° Nullum horum scriptorum damnati hominis nomen tradidisse, quod jam ducentis fere ante nos annis, Sutor noster observavit in responsione ad suum oblocutorem : « Fatemur ingenue, inquit, nullum Doctoris illius nomen per nos adductum esse, quod nullum sit literarum monumentis (quod viderimus) proditum. Itaque non fingere novum, sed incognitum tacere voluimus ». Petreius Sutorem imitatus Paragraphum peculiarem consulte edidit, « cur damnati ac ter infelicis Doctoris istius nomen

Dorland. de vita Cartus. lib. 1. tract. 2. c. 3.

Petr. in Elucidat. in lib. 1. Dorlandi.

literarum monumentis consignatum non sit? » 2°. Nostrum Anonymum perhibere trinam vociferationem non in templo, sed in aula funeris factam fuisse. 3° Apud omnes præfatos scriptores altum esse silentium de Ecclesia B. M. Parisiensis, de verbis *Responde mihi,* de humatione in sterquilinio et de quibusdam aliis circunstantiis, quæ a recentioribus autoribus tum domesticis tum extraneis primitivæ narrationi additæ, fidem toti Historiæ apud Criticos minus consulte abrogavere. 4° Neque a veterum quopiam damnatum illum dictum fuisse Parisiensem, vel alterius cujuslibet Ecclesiæ Canonicum.

Hæc historia nec Ecclesiæ, nec Universitati Parisien. dedecori fit.

Observandum quidem est illum sub nomine Doctoris vel Magistri, quod idem esse putamus, ab omnibus designatum fuisse. Sed sicut nec Clero Parisiensis Ecclesiæ, si Canonicus ejus fuisset, aliquid criminis vel injuriæ posset imponi; ita nec tantæ totque nominibus et prærogativis per totum orbem celebratæ Academiæ imponi debet, quod infelix ille homo nominetur Doctor aut Magister, cum propterea non constet utrum membrum illius fuerit, quia « ante Brunonis ætatem (si tamen credimus Launoyo) statum fuisse Parisiis Theologiæ studium, atque ibi magisterium in Theologia dari solitum vix probaretur. » Quamobrem « qui Theologiam docebant, et qui profitebantur in Ecclesiis et Monasteriis, audiebant Magistri. Et sic tunc nulli vel certe non omnes in Theologia Magistri, vocabantur Parisienses Magistri, » ut idem autor recte observat. Sed etsi daremus hominem illum in Academia Parisiensi docuisse; an ullam, quæso, propterea faceremus tanto tamque illustri corpori verecundiam, quod quidem pro uno Juda proditore non solum undecim, sed centum, sed mille alios merito reponeret sanctitate et doctrina præstantissimos, et pro ipso damnato Doctore prope infinitos, qui a sex seculis extitere Cartusienses pietate insignes? Communem enim omnium Cartusiensium (ut de omnibus Religiosorum Ordinibus, ipso in vestibulo suæ Historiæ annotat Bulæus) dicere se posset illustris hæc Academia, ac totius autorem Ordinis, quem per Brunonem et Lauduinum, si sui aliquando fuerunt (ut scribit idem Historicus) se fundasse non temere gloriaretur. Ita ut

Pag. 84.

Pag. 176.

illi duo longe plus ei decori essent ob suam sanctitatem, quam alter dedecori fuerit ob suam damnationem.

Nihil in ea creditu difficile.

Denique nihil in hac nostri Anonymi et ejus sequacium narratione, cuiquam lectori cordato rem simplici oculo, ut hominem christianum decet æque pium ac sapientem, consideranti, apparebit creditu difficile præter binas illas circunstantias, quibus dicuntur terrificæ voces, « tribus diebus continuis et coram infinita hominum multitudine, » ab ipso defuncto in suæ domus aula editæ. Fatemur enim non esse verisimile amicos ejus et consanguineos, qui primum soli convenerant, voluisse exequias in crastinum diem differre, aut si eas distulerint, rem divulgasse ac promiscuum vulgus in aulam secum admisisse, ad suam et amici aut propinqui turpitudinem magis revelandam. Satius est igitur dicere, sicut jam sub initium diximus, flebiles hos clamores non solum domi, ut apud Anonymum nostrum legitur, sed eadem die vel nocte et paucis audientibus emissos fuisse. Sicque duæ præfatæ circunstantiæ, quæ secum pugnare videntur, facile componentur. Neque propterea quisquam nobis exprobrare poterit, quod novam hujus prodigii Historiam comminiscamur : quandoquidem duæ illæ opiniones, Anonymi scilicet et nostra, ab antiquioribus Cartusiensibus Bosonis etiam tempore tenebantur. Nec id mirum certe videri debet, cum difficillimum sit ac pene impossibile, ut res a multis annis gesta mutationem aliquam, vel etiam vitium aliquod in quibusdam, licet non parvi momenti, circunstantiis ex diversorum narratorum relatione non patiatur. Id enim experimur quotidie fieri in rebus etiam recentissimis. Quam enim sæpe videmus duos homines rem eamdem, cujus oculati testes fuere, magno cum discrimine referre, et in multis etiam satis essentialibus sibi invicem esse contrarios. Idem nostris antecessoribus accidit. Narrabant quidem hominem in feretro in aula jacentem mortuum, inter preces defunctorum, miserum animæ suæ statum præsentibus amicis trina vice significasse, in quo certe tota videtur pendere Historiæ substantia : sed has voces alii tribus diebus (sic forsan pro « tribus vicibus » alicubi le-

gentes), alii eodem die ter fuisse repetitas asserebant. Seculo ignaro prior vicit sententia prævaluitque apud homines, hominibus nostræ ætatis subtilitate ingenii ac critices inferiores. Attamen quidam semper reperti sunt, qui aliam amplecterentur opinionem. Ex his fuit Monachus ille grandævus ac gravissimus, cujus meminit scriptor anonymus *de Quatuor Paradisi Fluminibus*. Hic igitur nostri Bosonis coævus aut suppar, hanc Historiam narrans retulit « defunctum Magistrum (non tribus diebus, sed) eadem nocte dum psalterium ab amicis recitaretur, trina voce judicatum se ac condemnatum, tandemque pœnis sempiternis addictum exclamasse. » De autore ex quo hæc excerpta sunt, plura posthæc dicemus. Hinc quidam extranei ejusdem scriptores Historiæ, nullam, ut mox videbimus, de tribus diebus mentionem habuerunt. Quæ traditio de voce uno tantum tempore repetita, ad posteros translata fuisse probatur ex S. Brunonis vita, Commentariis ipsius in S. Pauli Epistolas anno 1508 præfixa, cujus autor hæc verba narrationi hujus anastasis subdit : « narrasse quosdam, quibus non mediocris est fides adhibenda, audivimus triplicem hanc horrendam responsionem in uno eodemque die, ab illo infelici defuncto (quod minus a veritate et credulitate abhorrens videtur) esse datam. » Idem paulo post testatus est Petrus Sutor : « Præfatos, inquit, defuncti clamores eodem die factos nonnulli tradiderunt, sed nos tritum modum sectati sumus. » Similes in ipsa Sacra Scriptura diversitates occurrunt, quibus tamen veritas nullo modo labefactatur. Narrat Matthæus a Jesu Salvatore duos energumenos in Gerasenorum regione curatos fuisse, dæmonesque in porcos ejus jussu missos : e contra Marcus et Lucas unum tantum fuisse a dæmonibus possessum et liberatum asserunt, licet constet unum idemque miraculum fuisse. Idem S. Matthæus duos cæcos prope Jericho lumen dicit recepisse : cum præfati Evangelistæ Marcus et Lucas unum duntaxat illuminatum fuisse dicant ; nec tamen duo, sed unum tantum fuit miraculum. In Apostolorum Actibus refert Lucas Saulum proficiscentem Damascum circumfulsisse lucem de cœlo et vocem

VITA S. BRUNONIS

Sutor ubi supra cap. 2.

Matth. 8. 28.

Marc. 5. 1. Lucæ 8. 26.

Matth. 20. 29.

Marc. 10. 46. Luc. 18. 35.

Act. 9. 3. et 22. 6.

audivisse ; viros vero, qui comitabantur eum, audivisse quidem vocem, sed neminem vidisse. At infra, contrarium Paulus ipse testatur dicens eos qui secum erant, lumen quidem vidisse, vocem autem non audisse. Certe valde pugnant hæc verba « viderunt » et « non viderunt ; audierunt » et « non audierunt ». Attamen quis inde de hujus veritate visionis dubitaret, nisi ethnicus ? Visio itaque, sive visionis substantia verissima est, licet in circunstantiis quædam reperiatur diversitas. Sic conversio S. Brunonis, seclusa tamen omni cum B. Pauli visione comparatione, redivivi hominis suam damnationem denuntiantis spectaculo vera est, sive ejus voces ter una tantum nocte, sive tribus continuis diebus emissæ dicantur.

EXTRANEORUM TESTIMONIA.

XXVII. Post relatas domesticorum scriptorum autoritates, ad testimonia transimus extraneorum, sive qui de Cartusiensi Ordine non sunt, inter quos primas absque ulla controversia tenere mereretur Theodoricus S. Trudonis in diæcesi Leodiensi Abbas, ac S. Brunonis coætaneus, si liber quem *de Sacra Ratione Temporum* dicitur edidisse, non periisset. Hunc vidisse testatus est Joannes Galaudus sacerdos Tolosanus et Theologus Doctor, qui pio in Ordinem nostrum ductus affectu, Cartusiensium Historiam composuit, quam typis morte præventus dare non potuit. In ea ubi de Doctoris anastasi disseruit, ad astruendam illius veritatem duorum autorum testimoniis usus est, videlicet Cæsarii Eisterbacensis et laudati Theodorici, asserens in hujus tractatu ms. *de Sacra Ratione Temporum,* horrificum describi spectaculum, cui interfuisse et defunctum exclamantem suis auribus audiisse ipse autor testatur. Galaudus vir fuit honestus et doctus, nec puto fidem illius ulli unquam suspectam fuisse. Attamen cum Theodorici autoritatem pro nobis et ex nobis post Galaudum Bartholdus Nihusius attulisset, huic Launoyus ausus est exprobrare quod nostram Historiam « novo cumulasset mendacio ». Sed cum hæc injuria in Galaudum redundet, judicet lector cui potius huic an Launoyo fides habenda sit. Audivimus ejusdem libri *de Ratione Temporum* fragmentum, anastasim hanc conti-

[Margin notes: Theod. abb. S. Trudon. — Alithiph. carthus. Ms. — Pag. 174.]

nens, quandoque repertum fuisse inter fragmenta historica mss. Andreæ du Chesne; sed fides maneat apud suos autores, donec quid certius reveletur. Trithemius et alii post eum, inter tractatus ab Abbate Theodorico editos, non recensent quidem librum *de Ratione Temporum* ipsi a Galaudo adscriptum, sed quis neget posse contineri sub hac generali Trithemii conclusione, « multa alia scripsit quæ ad me non pervenerunt ? » Autoritatem Grandimontensis Chronici quod non vidimus missam facimus, fidem habentes Launoyo, quem mendacem non credimus, asserenti id quod de prodigio Parisiensi in hoc Chronico legitur, « diverso charactere recentique manu in loco non suo scriptum esse. » Miramur tamen nostrum antagonistam cum dicit « Chronicon illud causam nostram nihil juvare, quamvis id, quod in illo de tali eventu reperitur, veteri et manu et charactere exaratum concederetur; cum ibi nulla fiat Cartusianorum mentio. » Certe si prodigii hujus Historiam ab autore præfati Chronici S. Brunonis coævo diserte explicatum esse constaret, quis de veritate illius vellet ambigere ? et quod consequens est, cur vetustioribus Cartusiensibus fides non adderetur tradentibus, et scribentibus illam veram fuisse causam Brunonis in solitudinem secessus ?

VITA S. BRUNONIS

Pag. 176.

XXVIII. Primus igitur ex extraneis scriptoribus cujus autoritas apud viros nulla opinione præversos non parum habere debet ponderis, se offert Cæsarius Eisterbacensis Ordinis Cisterciensis, qui sub Clemente III Summo Pontifice florere cœpit, id est quinquaginta circiter annis post mortem quorumdam ex primis nostri Ordinis cum Brunone Institutoribus, aut saltem primo ab obitu S. Patriarchæ seculo. Hic igitur autor in suo opere (quod in duodecim libros ad formam dialogi digestum, *de Illustribus Miraculis et Historiis memorabilibus quæ ante vel circa sua tempora contigerunt in Germania, Italia et Gallia,* prænotavit) libro XI qui *de Morientibus* inscriptus est, damnati hujus anastasim his verbis exponit : « Fuit in Regno Franciæ Clericus quidam nobilis et dives, quæ duo sæpe homines extollunt malisque vitiis

CÆSAR EISTERB. PRIMUS HANC HISTORIAM EDIDIT.

Lib. XI. c. 49.

subjiciunt, qui cum mortuus esset et in feretro positus, multitudine populi circumsedente, tam ex Clericis quam ex Laïcis, ipse se erexit, cunctis audientibus in hæc verba prorumpens : Justus Judex judicavit, judicatum condemnavit, condemnatum tradidit in manus impiorum. Quibus dictis, se reclinans iterum non obdormivit, sed de requie transivit ad laborem, de deliciis ad miseriam. » In hac descriptione, nulla est cum Anonymo nostro dissonantia, sed quod Cæsarius compendio tantum attigit, ille paulo fusius descripsit. Pluribus tamen verbis et inanibus repetitionibus, Cæsarii historiam esse diversam ab ea quæ apud S. Antoninum legitur probare nititur Launoyus, ac propterea inter utriusque narrationes magnam putat invenisse repugnantiam.

Concordat cum anonymo Cartus.

Cum igitur S. Antoninus non multum in hoc differat a nostro Anonymo, non incongruum erit importunis undecim numero Launoyi objectionibus breviter respondere, inverso tamen articulorum ordine, ut plerisque, quæ sunt argumenti negativi, simul satisfaciamus. « Imprimis, inquit Launoyus, Cæsarius non designat certum tempus ; Antoninus vero designat annum ipsum, quem noster Anonymus prius designaverat. 2° Cæsarius non definit certum in Regno Franciæ locum ; Antoninus vero definit. 3° Cæsarius non tradit prodigium suum Parisiis contigisse ; Antoninus vero tradit. 4° Cæsarius Parisiensem Academiam hic ne verbo quidem attingit ; Antoninus vero illam prædicat. 5° Cæsarius non scribit Clericum suum has voces emisisse, dum statutum ab Ecclesia pro mortuis officium celebraretur ; Antoninus vero id omnino scribit. 6° Cæsarius neutiquam significat utrum Clericus ecclesiastica sepultura privatus fuerit, nec-ne ? neque etiam noster Anonymus significavit. Antoninus vero aperte significat. 7° Cæsarius non dicit Brunonem...... spectaculo quod narrat interfuisse ; Antoninus vero dicit...... interfuisse. 8° Cæsarius non affirmat ex suo spectaculo Brunonem instituendæ Religionis suæ occasionem cepisse ; Antoninus vero affirmat. 9° Cæsarius de Clerico quodam nobili ac divite sermonem habet ; Antoninus vero quemdam eximium Doctorem

Pag. 126. et seqq.

describit. 10° Cæsarius indicat Clericum suum nobilitate ac divitiis in hominem superbum evasisse ; Antoninus vero eum significat Doctorem, qui magna scientiæ et probitatis existimatione floreret. 11° Cæsarius aperte significat Clericum suum uno eodemque tempore dixisse : Justus Judex judicavit, etc; Antoninus vero diserte asserit Doctorem suum tribus distinctis diebus locutum esse. Quis vero quantumvis sagax et ad rigidiorem criticen proclivis, in his omnibus « mutuam contentionem » quam immodicis tot exaggerationibus extollit Launoyus, deprehendat. Plura siluit Cæsarius in sua contracta narratione, quæ Antoninus prolixiori sermone prosecutus est. Ergo uterque, ut vult adversarius, sibi adversantur. « O miserabilis consequentia ! » ut ejus probris utar. Sed ad singula respondeamus.

Ad 1.2.3. et 4. dicendum est, quod cum hæc quatuor eodem recidant, uno tantum opus est responso; nempe, quod Cæsarius omisit S. Antoninum supplevisse. Si « certum tempus, certum locum, certam urbem, et Parisiensem Academiam », si inquam, hæc omnia Cæsarius diversa designaret ab eis quæ S. Antoninus designat, in his revera appareret « mutua contentio » ; sed cum ea tantum sileat, nihil S. Antonino contrarium profecto profert ; ac proinde utriusque narrationis substantia eadem remanet. Et huic par est Andreæ Saussæi optima ratiocinatio, quantumvis dure pro suo genio in eam Launoyus exclamet : « O miserabile effugium ! » Siccine licet homini Christiano deficientibus justis rationibus ad injustas injurias confugere ?

Ad quintum objectum reponimus Launoyum, quando sibi placet, veritati oculos claudere. Quamvis enim Cæsarius distinctam officii mortuorum mentionem non faciat, nemo tamen inficias eat illud eum innuisse, cum scribit defunctum « in verba prorupisse, cum in feretro » positus esset, multitudine populi circumsedente tam ex Clericis quam ex laicis.

Ad sextum. Verum est Cæsarium non significare utrum homo ille fuerit ecclesiastica sepultura privatus. Neque id etiam significavit noster Anonymus. Ergo et ipse, sicut Cæsa-

rius Antonino contrarius est? Ergo et utriusque narratio diversa est ab Antonini narratione? Quis præter Launoyum talia cogitaret et scriberet?

Ad septimam et octavam objectionem, quæ nullam secum habent dissimilitudinem, dicimus tum sanctum Antoninum, tum nostrum Anonymum ducentis ante eum annis, scripsisse spectaculum hoc accidisse anno 1082. Brunonem vero duobus tantum post annis seculo valedixisse, ac propterea nullum præter eum et quibus prodere voluit, scivisse hanc fuisse secessus illius causam.

Ad 9 et 10. Hic etiam in duo Launoyus divisit, quod simul et semel dici poterat. Vix mihi persuadeo nostrum Aristarchum ignorasse binas illas dictiones « Clericus et Doctor » apud mediæ ætatis autores ejusdem esse notionis, ut multis exemplis apud Cangium videre est. Præterea Cæsarius qualis esset iste Clericus, an superbus malisque vitiis subjectus, evidenter non exponit; sed quod esset « nobilis et dives, quæ duo sæpe extollunt homines malisque vitiis subjiciunt ». Et hæc non repugnant S. Antonini et cæterorum narrationi, qua homo iste describitur « eminentia scientiæ, et probitate vitæ, et maxima fama pollens »; sed tantum juxta ea quæ exterius apparebant.

Cang. Glossar. verbo clericus.

Undecima objectio diluitur ex his quæ superius observavimus, videlicet quosdam e nostris scripsisse trinam hanc vocem a damnato homine tribus distinctis diebus, quosdam uno eodemque die prolatam fuisse. Sic enim Cæsarii verba cum ultima sententia concordant; Antonini vero cum prima. Nec propterea duæ censendæ sunt narrationes diversæ, cum in res conveniant. Præterea non ita « aperte (ut censet Launoyus) Cæsarius significat suum Clericum uno eodemque tempore locutum fuisse. » Non enim distincte exprimit quod hæc verba simul et semel, vel tribus distinctis vicibus, sed summatim tantum quod ea pronuntiavit, quæ sunt eadem quoad sensum, quæ post nostrum Anonymum Antoninus Doctorem suum pronuntiasse testatur; ita ut nulla sit in essentia rei contrarietas nec diversitas, nisi quod Cæsarius brevi-

tati studens rem non tam fuse ac late curavit exprimere. Omittimus quæ hic Launoyus habet de quarta vigiliarum de mortuis Lectione; quandoquidem non Cæsarius solum, sed et noster Anonymus, et S. Antoninus hujus Lectionis non meminerunt.

CUJUS SIT AUTORITATIS.

XXIX. « Cæterum, inquit Launoyus Cæsario et illius Dialogis fidem abrogare temere tentans, de autoritate Cæsarii perinde disputamus, quasi apud omnes constaret Cæsarium accuratum esse scriptorem. Etenim Nicolaus Coëffetæus Parisiensis Theologus et Massiliensis Episcopus, in Responsione ad Mysterium fidei iniquitatis, asserit hunc autorem plenos fabulis Dialogos edidisse; quod et judicio Gesneri confirmat. » Coëffetæi autoritate abutitur Launoyus, ut tanti viri nomine mentem lectoris occupare possit. Sed tantum abest ut ille asserat, aut quovis modo dicat Cæsarii Dialogos esse plenos fabulis, ut potius eorum autoritate partim contra suum adversarium Mornæum Plessiacum utiliter utatur. Verum cum hic hæreticus, quæ Cæsarius de S. Thomæ Cantuariensis martyrio narrat in contrariam partem detorsisset, Coëffetæus malam ejus fidem ostensurus sic primum loquitur; ejus verba e gallico in latinum vertimus : « Plessiacus in margine citat Cæsarium; ille est monachus cisterciensis qui composuit Dialogos, quos Gesnerus scribit plenos esse fabulis. » Deinde quis verborum ejus a Mornæo citatorum verus ac sanus sit sensus, fuse satis explicat. Certe qui sic loquitur, Cæsarium fabulatorem non asserit, nec « Gesneri judicio », ut Launoyus, id est hominis zuingliani autoritate (quod in re tam parva a tanto viro plane fuisset alienum), suam assertionem « confirmat »; sed potius tacite adversarium pungit, quod Cæsarium a Gesnero, æque ac ipse Catholicis viris infenso, ita despectum suæ sententiæ autorem prodiderit. Præter igitur fas, Launoyus Coëffetæi nomine Cæsarii famam vellicat. Gesnero, si placet sibi, credat : æquum est nos fidelibus, doctis ac sapientibus potius credere, videlicet Tilmanno Bredembrachio multis et scientiæ et virtutis titulis spectabili; Jacobo Fischero S. Theolog. Doctori Gesneri de Cæsario calumniam probe refutantibus; Possevino, et maxime cardinali Bonæ

Pag. 133.

Respons. ad myster. iniquit. p. 826. 862. et 945.

Cæsar. lib. 8. cap. 69.

A doctis et piis laudatur.

In præfat. ad Dial. Cæsar.

Bona in notit. Autorum psalm. præfixa.

religiosum nostrum scriptorem commendanti, velut « in Historiis Memorabilibus pium, veracem et simplicem » : nec immerito quidem cum ipse Cæsarius, qui post obitum miraculis claruit, se nihil contra veritatem in his Dialogis commentum fuisse sanctissime juret : « Testis mihi est Deus, inquit, nec unum quidem capitulum in hoc Dialogo me finxisse ». Ejus pietatem et doctrinam tanti faciebat Henricus Coloniensis tum archiepiscopus, ut eum ex sensatissimis Germaniæ viris elegerit, qui S. Engelberti illius decessoris vitam scriberet. Legat pius lector præfationem Dialogis illius a præfato Tilmanno et aliis præfixam, qua Cæsarius non solum ab Hæreticorum morsibus vindicatur, sed quinam e priscis Patribus in hoc scribendi genere laborarunt, pie docteque disseritur, ut eadem opera constet uberior istius operis usus, ut recte monet Possevinus.

Menol. Cisterc. 25. Septemb.

Cæsar. in Proleg. Dialog.

Suriusad 7. novemb.

Possev. in Appar. Sac.

Denique Launoyus in ejusdem capitis conclusione Saussæium, virum eruditissimum ac prælatum omni virtute conspicuum, prosequitur quasi ridiculum, quod in Cæsarii narratione substantiam rei dixerit ab ejus esse circunstantiis distinguendam. Hancque Saussæi distinctionem contra fas omne insulse Launoyus retorquet in Joannam Papissam. Sed cum profiteamur injuriam injuria non propulsare, lectoris judicio relinquimus num optima sit hæc disputandi ratio ad asserendam veritatem, et quoscumque autores, diversimode rem eamdem describentes, conciliandos. Verum Saussæio imponit Launoyus, dicens eum in eo posuisse rei substantiam « quod Cæsarius prodigium actum in Regno Franciæ, nec suo tempore actum referat ». Nam illud neutiquam Saussæius dixit. Postquam enim totam Cæsarii narrationem retulit, addit : « Hæc Cæsarius, qui substantiam rei de qua sermo est, patenter comprehendit in narratione sua. » Sic igitur loquens Saussæius monet quidem substantiam rei in Cæsarii descriptione reperiri, sed in quo consistat non explicat. Sub ejusdem conclusionis fine Criticus noster Cæsarium, sive potius Cartusienses ex Cæsario, rursum aggreditur, cùm ex eodem tractatu Cæsarii duo a se deprompta exempla integre

VITA S. BRUNONIS
Launoyus duo exempla a Cæsario allata perperam confundit.

describit, ex quibus vult « otiosos homines unum conflasse prodigium quod Cartusianorum initium tale, quale nunc excutit (sive excutere nititur), fingendi causam præbuisse » contendit. Unum est cujusdam Canonici Parisiensis, qui post mortem suam et honorificam sepulturam, amico apparens se damnatum nuntiavit, eo quod vera sibi morienti contritio defuisset. Alterum est historia illa quam Launoyus superius probare conatus est diversam esse ab Antonini narratione. Quis non miretur Launoyi astutiam ? Duo jungit quæ magnam habere similitudinis affinitatem asserit, ut subtilius oculos mentemque lectoris perstringat; sed constanter negamus aliquam inter duo illa exempla intercedere similitudinem, præter commune utrique homini damnationis infortunium, aut « otiosos homines » ex his duobus prodigiis, sive etiam ex uno tantum, causam secessus S. Brunonis finxisse progressione temporis, ut vult Launoyus : quandoquidem Anonymus ille Cartusiensis, qui primus rem scriptis mandavit, ipso Cæsarii tempore vivebat, a quo, non vero a Cæsario alii Cartusienses citati ejusdem Historiæ narrationem mutuati sunt.

CODEX MONTIS DEI.

Ex Mss. Cartus. Mont. Dei.

XXX. Post Cæsarium inter extraneos autores sequitur scriptor crassissimi cujusdam codicis optima membrana conscripti, in quo continentur plurium Sanctorum gesta sub hoc titulo : *Vita aurea super Legendas Sanctorum,* et ad calcem hæc de tempore scripti codicis leguntur. « Frater Joannes monachus S. Arnulphi Metensis, filius Bertrandi dicti Tracon, cognominatus de Sancta Cruce fecit fieri et scribi istum librum, et fuit finitus anno Domini MCCCXXII in vigilia sancti Vincentii Levitæ et Martyris. Finito libro, sit laus et gloria Christo. Amen. » Hic S. Arnulphi Monachus Cartusiensem habitum paulo post induit apud Montem Dei, ubi etiamnum videtur prælaudatus codex, cui inserta est spectaculi nostri descriptio eodem ferme sensu, quo reperitur apud S. Antoninum et in nostris Statutis. Ex hoc igitur codice totum ruit Launoyi argumentum, in quo omnis ejus versatur dissertatio, nempe « neminem ante Gersonem scripsisse nar-

rationem de Doctore redivivo. » Quandoquidem et noster Anonymus, et alii Cartusienses quos superius enumeravimus, sicut et laudatus codex, et alii autores extranei quos sumus jamjam allaturi, diu ante Gersonem idem prodigium suis scriptis evulgarunt. Huic codici alter adjungendus est, qui fuit olim Ecclesiæ Longipratensis in diœcesi Ambianensi, et cartusiæ Monstroliensi circa annum 1330 (ut existimant qui illum viderunt) traditus *par Messires Roberts Bataille Canoêne de Loncpré en Santers os Chartreux de Monstreuel.* In eo plurima metra gallica continentur cum tractatu *ad Fratres de Monte Dei* nomine Guillelmi, et narratione damnati hominis eodem tenore quo in priori codice legitur.

Codex famil. Lucemburg.

Quartam autoritatem assumimus ex veteri tractatu *de Quatuor Paradisi Fluminibus*, in Bibliotheca collegii Patrum Soc. Jesu Metensis modo asservato, in quo habetur spectaculi nostri historia gallico sermone conscripta, quam a Launoyo latine redditam hic subjicimus, quibusdam additis vel mutatis, quæ ab eo vel consulto omissa vel perperam mutata, italico charactere notabimus. « Narratur certum quemdam fuisse Magistrum Lutetiæ, qui doctores ætatis illius cæteros omnes scientia et judicio anteibat. *Hic juxta speciem honestæ videbatur conversationis, nec in eo ulli deprehendebantur perversi mores, ut quodcumque turpe vitium, nisi forte vanitas ob insignem scientiam et præstans judicium quo a Domino egregie instructus fuerat.* Hujus autem Magistri tempore adolescentes numero tres nobilitate summa præditi, Lutetiam studiorum causa venerunt et se in disciplinam illius dederunt; *cumque sub eo vacassent studiis, post longum tempus mortuus est ille. Unde multum contristati, quem in vita venerati fuerant magistrum, post mortem adhuc honorare studuerunt.* Itaque singulari pietate moti de nocte vigilant circa defunctum corpus, preces ad Deum multas fundunt, vespertinum mortuorum Officium recitant, tum psalterium et matutinum officium incipiunt. Quo absoluto erigit se cadaver, et stans dicit : Æquus est ille qui me judicavit. Tunc Clerici tres illi *et socii eorum qui aderant,* vehementer ob-

Pag. 97. et seqq.

stupescunt nec tamen in opere suo cessant. Nocturnum secundum incipiunt, quo ad finem perducto erigit se cadaver et stans dicit : Æquus et justus est ille qui me judicavit et condemnavit. Tunc tres Clerici magis adhuc quam antea obstupescunt, frontem signo crucis muniunt, et sese ad recitandum Nocturnum tertium accingunt, quo peracto erigit se cadaver et stans dixit : Æquus et justus est ille qui me judicavit et condemnavit, et tortoribus mancipavit. Quod cum dixisset, fuit qui turbinis in modum sese inter Clericos immiserit, et cadaver nescio quo abstulerit. Et post alia : hi Clerici tres, communi consilio et sancti Spiritus ductu aufugiunt, et petentes Burgundiam, in locum desertum, asperum et montosum secedunt; ibique cellis conditis includunt se et sanctissime vivunt. Hi porro viri tres sancti, et qui exemplum illorum secuti sunt, Cartusianorum Ordinis fundamenta jecere, ut audivi a quodam ex majoribus et antiquioribus ejusdem Ordinis, qui totum illud coram illustri fœmina sancti Pauli Comite narrabat. »

Ejus antiquitas.

Autorem hujus narrationis circa Gersonis, vel S. Antonini tempora tantum vixisse putat Launoyus; sed antiquiorem esse et circa seculi quarti decimi medium scripsisse tum ex gallica locutione conjicimus, tum quod existimamus illustrem hanc fœminam S. Pauli Comitem fuisse, vel Mathildem de Castillione Caroli Valesii Comitis uxorem et cum eo cartusiæ Fontis B. Mariæ fundatricem, vel alteram Mathildem fratris ejusdem Mathildis filiam quæ Guidoni Luxemburgio circa annum 1354 nupsit, et cum marito de Domibus Ordinis nostri in Picardia sitis bene merita est. Neque enim ullam aliam præter utramque Mathildem erga Cartusienses præcipue propensam fuisse reperimus. Cum igitur præfati tractatus scriptor eodem tempore vixerit, hancque Historiam acceperit a quodam e nostri Ordinis antiquioribus, qui Bosonem agnoscere potuit, hinc colligimus eam jam ratam fuisse apud omnes sub alterius seculi a morte Brunonis finem.

Theoph. Rayn. in Herc. Com.

Andr. Duchesn. hist. Castell. famil.

Porro hæc narratio satis ingenua et sincera videtur, totiusque Historiæ medullam prorsus candide exprimit. Ibi enim

habes prodigium illud accidisse Parisiis, nec non ex ejus occasione Cartusiense institutum habuisse originem. Trina quoque vociferatio perhibetur a solis damnati Magistri amicis in ejus domo audita. Nihilque occurrit pristinæ nostri Anonymi narrationi non consentaneum, prætertrinam vocum repetitionem, quam non tribus diebus sed eodem die ter factam dicit, juxta alteram opinionem quam ab antiquo plures e nostris tenuisse supra ostendimus.

LAUNOYI IN EUM OBJECTIONES DILUUNTUR.

XXXI. Launoyus qui veterum et modernorum circunstantias confundit, eorumque dissonantiam multis exaggerat, in hanc narrationem velut « ineptam plenamque ignorantiæ insurgit, ex tribus maxime. Primo, quod adolescentibus sive tribus Clericis, vel scholaribus Cartusianorum Ordinis initium ascribat. Secundo, quod ejusdem Ordinis fundamenta in montibus Burgundiæ jacta fuisse referat. Tertio, quod, quæ de sublato Magistri cadavere tradit, cum picturis et parietinis Monasterii Parisiensis non concordent. »

Ad primum vero objectum respondemus, eam narrationem fuisse verbo tenus solummodo factam ab illo Monacho, et ideo codicis scriptorem, qui forsan ea diu post scripsit, fallente memoria decipi potuisse. Fatemur tamen ibi de tribus tantum Clericis nominatim commemorari, sed satis designantur cæteri his verbis : « Tunc Clerici tres illi et socii eorum qui aderant, » quæ ultima verba : « et socii eorum, etc » Launoyus prætermisit. Et inferius : « Hi porro viri tres sancti et qui exemplum illorum secuti sunt, Cartusianorum Ordinis fundamenta jecere. » Ergo non solum tribus initium Ordinis ab illo autore ascribitur, ut vult Launoyus; sed etsi daremus nullam prorsus ibi fieri mentionem aliam quam de tribus Clericis, nonne fieri potuit, quod ex illo septenario numero tres quidem tantum funeri adfuerint, sed qui alios quatuor postea secum in solitudinem traxerint ? Nam revera eos idem vitæ genus pluribus aliis persuadere voluisse, conjicimus ex Radulpho et Fulcio quos lucrari Deo S. Bruno adnisus fuerat, etiam voto cum eis emisso habitum induendi monasticum : de quibus nihilominus jure dubitari potest an præsentes

fuerint spectaculo, quandoquidem et ante illud patratum, tale votum emisisse potuerunt. Præterea ex septem primis Patribus, tres tantum videntur proprie Clerici dicendi, nempe S. Bruno, Lauduinus, et Hugo; nam ex quatuor aliis duo erant Canonici sancti Ruffi, et duo Laici. Deinde in illa narratione Magister ille dicitur defunctus fuisse diu postquam tres illos Clericos docuisset. Sic enim ibi legitur : *Et quant il i orent estè et lonc tems leur mestre mourut;* id est : Cum sub eo studuissent, diu post magister eorum defunctus est. Launoyus vero hæc verba sic interpretatur : « qui cum illos aliquandiu docuisset, abiit e vita. » Sed in hac interpretatione non fuit sincerus; nam « aliquandiu » non significat *long-temps,* sive per longum tempus, sed per aliquod tempus. Cum igitur ille homo obierit diu postquam tres illos Clericos docuisset, non erant tunc illi in statu adolescentis, vocabulo *adolescens* stricte sumpto, ut videtur sumptum a Launoyo, ut narratio hæc ineptior inde appareret; nec etiam scholares erant, sed duo ex ipsis Magistri et Doctores, ut constat de S. Brunone et Lauduino; neque id impedit quominus quidam ex aliis sociis S. Brunonis scholares forsan fuerint; nam duo Stephani satis juvenes erant, qui nondum erant ad sacerdotium promoti. Nihil ergo ineptum in hac narratione occurret cuicumque lectori benigne et sine ulla animi occupatione interpretanti. Quidquid ad hæc reponant adversarii, fundum tamen, ut ita loquamur, ipsius Historiæ totaque illius substantia constanter perseverabit, nec illam subvertere poterunt tam leves in adjunctis dissonantiæ.

Ad 2. Haud satis possumus mirari Launoyi, viri perspicacissimi, in hac objectione inconsiderantiam, qui cum prius in expositione testimonii Petri Cluniacensis legisset et scripsisset, Pag. 49. « servari in *Burgundiæ* finibus (sive partibus ut alibi legitur) professionem quamdam, id est Cartusiensem, multis aliis Monastici Propositi sanctiorem »; et in expositione testimonii Jacobi de Vitriaco : « est alia sanctorum Congregatio, quos Cartusienses appellant, in ultimis *Burgundiæ* partibus »; Pag. 62. hic nihilominus autorem codicis ineptiæ et ignorantiæ arguit,

VITA S. BRUNONIS

quod fundamenta Ordinis in Burgundiæ montibus jacta fuisse retulerit. At, licet Major Cartusia modo sita sit in Delphinatu, olim tamen in Burgundia computabatur; quia et Sabaudia et Delphinatus partes erant veteris Burgundiæ. Unde et astruitur codicis Castellionei antiquitas, cujus autor si diu scripsisset post annum 1350 quo, vel circa quem Delphinatus Regno Franciæ ascribi cœpit, aliter de Delphinatu locutus fuisset.

Ad 3. Dicimus, quod ibi narratur de cadavere ab astantium oculis erepto, nullam ferre contradictionem; cum noster Anonymus et ejus sequaces, quid de eo factum fuerit, siluerint. Quædam alia Launoyus objicit in quibus refutandis tempus non teremus, cum argumentis tantum negativis pro more suo utatur. « De Brunone ipso, inquit, de literatis quatuor hominibus, de laicis duobus qui Brunoni collaborarunt, de Gratianopolitano Episcopo silet »; ergo falsa est Historia. Ad hæc simili ratiocinatione reponimus. De Manassæ persecutione, de collatione cum Radulpho, de voto emisso et de multis aliis silet; ergo hæc omnia falsa sunt. Quis hoc dixerit? Sed aliquis pro Launoyo referet Brunonem, juxta nos, nec Lutetiæ studiis vacasse nec docuisse. Sic certe nobis visum fuit. Verum cum Bulæus contrarium probare nisus sit, hinc apparet quam difficile sit antiquitatis tenebris lumen afferre. Si vera est Bulæi sententia, favet illa præfatæ narrationi. Si nostra tenetur, ei videtur adversari. Hæc igitur difficultas vel solvi, vel conciliari facile potest, si dicamus posse fieri infelicem illum Magistrum et Remis et Lutetiæ pro more horum temporum docuisse, illicque a Brunone quandoque auditum fuisse.

RANULPHUS LYGDEN.

XXXII. Quintum testem protulimus Ranulphum Lygden sive Hygdem, Anglum, per annos sexaginta quatuor (ab anno videlicet 1299 ad annum 1363) monachum Benedictinum, qui in suo *Polychronico* causam conversionis S. Brunonis sic recenset : « Bruno, Colonia Agrippina oriundus, literarum gratia Lutetiam studiorum nomine tunc celeberrimam se contulit. Ibi Canonicus factus, inter professores locum tenuit. Præceptoris autem sui, cui defuncto jam exequiæ parabantur,

Ex alithiph. Cartus. Ms.

voce qua, capite e feretro exerto, se damnatum querebatur, motus in eremum quamdam, sex aliis eum comitantibus egressus, vitam egit duram. » Ex hujus autoris verbis adhuc discimus nostræ Historiæ famam sub initium seculi quarti decimi apud exteras nationes vulgatam fuisse. Errat quidem cum Brunonem facit Canonicum Parisiensem, sed hic error levis est, nec potest veritati narrationis obesse, quæ in cæteris satis convenit cum nostri Ordinis scriptoribus.

Ranulpho suppar fuit Joannes Iperius Bertiniani monasterii sancti Benedicti Abbas in Audomaropolitana Diæcesi. Hic in Chronico sui cœnobii ms. originem Cartusiensis Ordinis eidem anastasi tribuit, rem paulo contractius quam noster Anonymus enarrans, sed eodem sensu, ut constat ex antigrapho quod nobis nuper R. P. Mabilonius officiose transmisit. Nec Ranulphum nec Iperium novit Launoyus. *Joan. Iper. abb. Bertin.*

Hos sequuntur Joannes Gerso, quem ille putat primum de Doctore redivivo scripsisse, et S. Antoninus, cui adversarius audet exprobrare quod aliorum (inter quos primus est Gerso) inventum amplificaverit, et ut fidem ejus apud lectores magis deprimat, Melchioris Cani de eo affert judicium, « quod se liberius judicasse » ipsemet Canus fatetur; nempe illum « non tam dedisse operam, ut res veras certasque describeret, quam ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur. » Canum fuisse magnæ eruditionis virum scimus. Nihilominus adversus S. Antonini Historias minus forsan moderate, sicut certe « adversus Dialogorum S. Gregorii libros inconstanter ac inconsulte nimis, teste Baronio, loqui visus est. » Cujus censuram propterea heterodoxi Chemnitius, Cocus, similesque Sanctorum osores studiosissime amplexi sunt. Neque ita absolute, ut vult Launoyus, Melchiori Cano Possevinus accinit in *Apparatu Sacro,* ubi modestius, velut qui ex charitate canit, de S. Antonino loquens lectorem admonet, « quod ad Chronicon ipsius attinet, desideratum esse diu ut emendatum prodiret in lucem : cum pleraque vir ille sanctus colligisset, sane quidem ex probatis Autoribus, sed ex iis, qui superio-

Joan. Gerso p. 93.

Bar. in Not. ad 23 Dec.

Ph. Labbe diss. 2. hist. de Script. Eccles.

VITA S. BRUNONIS

ribus proximis seculis non ita circumspecte autores quosque versaverant. » Quod vero desideratum est diu, effectum tandem fuisse innuit, cum inferius scribit « annotationibus ea illustrasse, ex Patribus Soc. Jesu, Petrum Maturum Arvernum Gallum....., quod et magno legentium bono præstitit. » Et in hac editione sic emendata et illustrata legitur de damnato homine spectaculum, cui S. Præsul nihil e suo marte addidit quod olim a nostris autoribus scriptum non fuerit, præter asininam sepulturam, quam forte alicubi legerat, vel ex idonea consequentia conficere potuit, quia damnatio istius hominis certa erat. Excepta itaque illa non gravi circunstantia, rem prorsus, ut noster Anonymus enarravit, mutatis tantum stylo, et aliquibus verbis, ut sunt : ecclesia pro aula, sepulchrum pro ecclesia, et aliis paucis similibus, ut ante illum fecerat alter Anonymus, quem medio quarto decimo seculo vixisse diximus, a quo propterea suam narrationem Antoninus desumpsisse credendus est. Nec etiam de suo « addidit aliquid orationi quam Bruno ad suos habuit. » Nam noster Anonymus ducentis ante ipsum annis idem præstiterat, non aliquid novi fingendo, sed Historicorum morem sequendo, qui suos Heroas sæpe ad populum orationem habentes inducunt, non quidem ipsismet oratoris verbis, sed verisimilibus juxta rerum materiam. Quod ille etiam se fecisse sic profitetur : « Erat ibi Magister Bruno, qui supradictis vocibus salubriter territus, allocutus est quosdam socios suos ibidem præsentes, iis vel similibus verbis. » Post S. Antoninum multi alii, ex quibus quosdam etiam noster adversarius recenset, ad nostra usque tempora eamdem Historiam suis scriptis commendarunt. Sed quia recentiores sunt, non commorabimur in eorum sententiis et autoritatibus singulatim exponendis : eo maxime quod, quibus præcitati Autores tum Cartusienses tum extranei non sufficient, nec mille alii sufficient, præsertim iis, quorum contradictio palam est, quibus veritatis et alienæ sententiæ impugnatio est in pruritu.

Pag. 96.

QUID EX TOT AUTORITATIBUS CONCLUDENDUM.

XXXIII. Ex præfatorum Autorum tum domesticorum tum

exterorum testimoniis, et ex iis omnibus quæ consequenter conclusimus aut disseruimus, multa in hujus Historiæ gratiam observanda sunt necessario, ut sequuntur : VITA S. BRUNONIS

Primum est amicos S. Brunoni chariores nullam aliam illius causam conversionis suis in Elogiis funebribus attulisse, præter horrorem quem ex morte, inferno, et divinis judiciis ipse Bruno conceperat. Unde videntur, tacite quidem, damnati hominis spectaculum inter privatos parietes peractum innuisse ; sed rem palam indicare noluisse, ne amicum aut genus illius diffamarent.

Secundum. Hanc Historiam non ex incerto sine autore credulæ plebis rumore, ut credit Launoyus, collectam esse, sed ab ipsis vetustioribus Cartusiensibus, sicut illam a primis nostri Ordinis conditoribus acceperant, traditam esse. Horum vero traditionem justis constare regulis, cum testes habuerit suppares qui eam scripto mandarunt : hincque ruere Launoyi dissertationem, quæ tota versatur ut probet ante Gersonis tempus nullum autorem, qui sit exploratæ fidei, testimonium præbere huic narrationi. Pag. 87 et 108.

Tertium. Anonymum illum nostri Ordinis monachum, qui primus scriptis illam prosecutus est, profiteri se narrationem suam a Patribus antiquis accepisse; ac proinde prodigium illud non excogitasse, nec illud conflasse ex similibus historiis, quæ apud Cæsarium Cisterciensem et Matthæum Parisiensem reperiuntur, ut quidam nobis objiciunt.

Quartum. Cæsarium ipsissimam Historiam uno eodemque sui operis loco describere, nec aliam ei parem præter communem damnationem alibi referre. Hujusque Autoris fidem nulli scriptori Catholico, nec ipsi Coeffetæo, ante Launoyi criticen, suspectam fuisse, sed a viris doctis laudatam et ab Hæreticorum morsibus vindicatam.

Quintum. Chronicon a nostro Anonymo scriptum hanc anastasim continens, a Bosone Cartusiæ Priore approbatum fuisse; imo et a toto Ordine qui suæ rationem institutionis non ignorabat, cuique propterea prodigium illud « ad ædificationem scribendum, legendum et audiendum » idem Boso

VITA S. BRUNONIS

proposuerat. Quod certe non fecisset si hæc narratio apud omnes, aut saltem apud plerosque seniores Cartusienses rata non fuisset.

Sextum. Vetustiores scriptores tam exteros quam domesticos, ad Gersonis usque tempora, rei tantum substantiam, quam in hoc potissimum consistere diximus quod homo mortuus ad breve tempus reviviscens se damnatum esse pronunciavit, retulisse tacitis illis circunstantiis; quæ a recentioribus inductæ, bilem Launoyo in se adeo provocarunt ut ille nec ipsi veritati pepercerit, modo totam, si posset, Historiam obliteraret.

Ultimum. Nullum, tum apud nos tum apud exteros, per quingentos annos repertum fuisse qui de hujus Historiæ veritate vel modicum dubitarit.

QUANDO DE HAC HISTORIA DUBITARI CŒPTUM.

XXXIV. Qui primi videntur eam in dubium revocasse, fuerunt Papyrius Massonus et Renatus Benedictus. Hic vel alius qui ejus nomine Sanctorum Legendam, ut vocamus, circa seculi decimi septimi occasum gallico idiomate publicavit, in vita S. Brunonis ad marginem e regione illius narrationis hæc verba adjecit : « Guigo nihil ejusmodi habet in vita S. Hugonis Episcopi. His etiam refragantur Clerici Parisiensis Ecclesiæ. » Ille vero, scilicet Massonus, in Francorum Annalibus circa idem tempus a se editis, postquam paucis verbis tempus quo Cartusiensis Ordo ortus est assignavit, observat « Petrum Cluniacensem Ordinis hujus autores Brunonem et Lauduinum nominare; cumque originem, institutum ac mores Cartusianorum accuratissime describat, nullam Canonici Parisiensis mentionem facere, qui inter solemnes inferias dicitur respondisse mortuus. » Ex bina illa præfatorum Autorum observatione colligere est huic Historiæ quempiam nunquam refragaturum, si de canonicatu Parisiensi apud recentiores (nam veteres et cum eis Surius nihil de eo habent), mentio non irrepsisset; ac solum videtur fuisse totius seminarium discordiæ. Deinde pluribus post annis, Gregorius XV « ut festum S. Brunonis in Missali et Breviario Romano reponi, officiumque de eo semiduplex ab omnibus

Lib. 3. in Philol.

Causa hujus dubitationis.

Ex Bulla data an. 1623. Pontif. an. 3.

ubique fidelibus recitare libere et licite possit et valeat, sua Bulla concessit et indulsit : quod Brunonis Officium anastasim continens nulla facta Canonici mentione, ex S. Congregationis Rituum Decreto anno præcedente recognitum et approbatum, Breviario Romano Parisiis de superiorum licentia impresso insertum fuit. Cum Urbanus VIII Gregorii successor simile dedisset decretum, quid tunc Lutetiæ acciderit narrat Andreas Saussæius ibidem Officialis his verbis : « Prodiit interim in lucem Breviarium Romanum, cui ex Urbani VIII Decreto, Officium sancti Brunonis recens insertum fuerat. In hoc narratio illa, brevi quidem sed aperta continebatur serie. At Parisiensi Breviario tunc recognoscendo, ego cum aliis illustrissimi Domini Archiepiscopi et venerabilis Capituli delegatis, operam impendebam. Instituerunt hac occasione Cartusiani Parisienses, ut S. Brunonis festum ac Officium die ejus natali consignaretur, siquidem in Breviario nostro hactenus locum non habuerat. Honestæ illorum postulationi visum est concedendum. Ascriptus fuit igitur S. Bruno Lutetianis fastis, sed eo pacto ut narrationis prædictæ in Officii ejus lectionibus neutiquam mentio fieret : quam suppressam paulo post etiam videre licuit in Romano divinorum Officiorum codice. » In his verbis detegitur totius discordiæ causa, quam putamus nullam aliam fuisse, ut jam monuimus, præter mentionem de canonicatu factam in quibusdam hujus Historiæ narrationibus.

VITA S. BRUNONIS

Decret. S. Cong. Rit. an. 1622.

Brev. Rom. edit. Paris. an. 1625.

Interim Joannes Launoyus æstimationis jam celebris, pro Laurea Doctorali decertans, typis edita Thesi venerabili Capitulo Parisiensi nuncupata, palam et publice in scholis theologicis stimulante Marsya viro doctissimo asseruit : « quidquid de defuncti Canonici, vel Doctoris Parisiensis trina e feretro emissa voce vulgatum fuerat, fictitium ac commentitium fuisse. » Plerisque astantium placuit propugnator, nam

A Launoyo impugnatur.

Alithiph. Ms. in præfat.

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.

Nonnullorum etiam aliorum extorsit assensum, ut legitur in Epistola didascalica.

...... Vera tamen capiet spectacula felix,

omnis sapiens et evangelicæ simplicitatis studiosus, ut tunc cœperunt Andreas du Val splendidum Sorbonæ, imo totius Galliæ jubar, et alter Andreas dictus du Saussay, cujus jam sæpe meminimus, et plures alii qui etiam scriptis nostram Historiam defenderunt. Launoyus tandem cupita merito donatus laurea Romam petens, multis artibus et laboribus institit, ut illud prodigium e Romani Breviarii Lectionibus abscinderetur, simulans maxime ex eo quod in ascribendo fastis Parisiensibus Brunonis nomine actum fuerat: Clerum, Academiam, totam Civitatem regiam ipsosque Cartusienses id expetere, etiamsi illa narratio vera esset. Hoc postremum docuerunt ejusdem Doctoris literæ. Qui sacræ Rituum Congregationi præerant, totius Breviarii jussu Urbani VIII tunc incumbentes recognitioni, viri religiosi et incorruptæ integritatis, non Launoyi artibus decepti sed sapientioribus inducti rationibus, non hujus solum Historiæ narrationem, sed et egregiam illam piissimamque fidei confessionem ab ipso Brunone morti proximo prolatam, et tertiæ secundi nocturni Lectioni jussu Gregorii XV insertam, simul ex eodem Breviario, sicut et multa alia ex aliis aliorum Sanctorum Lectionibus, expungi curaverunt. Hi a Procuratore Ordinis Generali, oblato libello supplici interrogati de causa recisionis, tale dederunt responsum : « Mentem sacræ Congregationis nunquam fuisse improbare, aut in dubium vocare narrationis hujus veritatem; sed consultius visum esse eam expungere, quod mos Ecclesiæ ferat, in sacris Officiis Sanctorum qui religiosas familias instituerunt, recensere eorum vitas, non causas ex quibus ad instituendum Ordinem suum fuerint impulsi. Cumque alicunde breviandæ essent Lectiones Officii sancti Brunonis, nihil occurrisse, quod minore incommodo removeri posset. Cæterum sacram Congregationem de convellenda ejus narrationis veritate, vel de ea depretianda ne cogitasse quidem. » Non absimile quid paulo ante testatus fuerat Bartoldus Nihusius, scribens ad præfatum Andream Saussæium his ver-

Ex Mss. Montis Dei.

Herc. Commod. pag. 115.

Cur e Breviario reciditur.

bis : « Sciscitatus fui Romæ per Janum Nicium Erythræum, e Sacra Congregatione quæ ritibus dirigendis invigilat ac præest, quid illa censeret. Et ecce respondetur, nequaquam istud quod diximus e Breviario summotum, quod judicaretur fabulosum esse, sed alia de causa » quæ diserte ac liquido prius expressa fuerat in actis præfatæ Congregationis, quæ in Bibliotheca Vaticana asservantur, ubi hoc decretum legitur : « Fuit resolutum quod de Lectionibus S. Brunonis amoveatur illud quod ponitur fuisse causam suæ conversionis, ob majorem brevitatem et quia nihil facit ad sanctitatem S. Brunonis. » Non itaque quod fabulosa censeretur, uti conabantur persuadere qui correctionem urgebant, hæc Historia e Breviario Romano expuncta est, sed « ob majorem brevitatem, et quia nihil faciebat ad sanctitatem S. Brunonis. » Nec propterea sacræ Congregationis mens fuit prohibere, ne qui vellent, suis eam Breviariis insererent. Quamobrem postea, nempe annis 1648 et 1652, Breviariis Lutetiæ Parisiorum editis *apud Societatem Typographicam Librorum Officii Ecclesiastici, ex Decreto Concilii Tridentini imprimendorum,* restituta est nullo reclamante.

VITA S. BRUNONIS Epist. Didascal. pag. 6 et 7.

Acta Mss. Congreg. super emendationem Breviarii.

XXXV. Denique Launoyus tum ut suam Thesim novis stabiliret argumentis, tum ut exprobrationes eorum, quæ minus prudenter circa Breviarii correctionem attentaverat, in se merito conjectas amoliretur, scripsit *de vera causa secessus sancti Brunonis in Eremum* dissertationem, qua pertinacius probare contendit « e Lectionibus sancti Brunonis solummodo deletum fuisse quidquid ad illud prodigium spectabat.... aliamque nullam potiorem causam summovendi aliquid e Breviario ecclesiasticis præscribi regulis, præterquam deprehensam falsitatem. » Sed qui melius potiorem hanc causam nosse potuerunt, quam ipsi Correctores qui declarant, ut vidimus, id se fecisse « ob majorem brevitatem » ? Præterea quis tam vecors erit, ut sentiat celeberrimam illam corporis et sanguinis Christi in Eucharistia professionem a S. Brunone factam sub mortem, ab ipsis sacræ Congregationi Præpositis sublatam fuisse quod falsa sit, sicut ex tam absurda Launoyi

TRACTATUM IN EAM SCRIBIT LAUNOYUS.

Pag. 175.

Joan. Columbi de Cartusian. initiis.

argumentatione, si justa esset, necessario consequeretur? Post tam male « defensam Romani Breviarii correctionem », nostram non felicius inficiatur de damnato homine narrationem, contra quam hoc fere uno et imbecilli argumento dimicat: « nemo ante Gersonem scripsit narrationem de Doctore redivivo, ergo falsa est. » Sed quam inane et enerve sit hujusmodi argumentum jam ostendimus, cum probavimus autores qui primi hanc anastasim scriptis consignarunt, Gersonem ducentis annis antecessisse. Verum cum præter autorum testimonia apud quos nulla reperitur spectaculi mentio, quosdam alios protulerit, qui non solum hanc narrationem tacuerunt, sed aliam videntur secessus S. Brunonis in Eremum causam revelasse, horum autoritatem primum diluere, sive potius enodare, et cum Historia damnati hominis conciliare aggredimur.

Præsertim argumento negativo usus.

An S. Bruno aliam sui secessus causam protulerit.

V. an. 1097.

Initium sumamus cum nostro antagonista ab ipso Cartusiensis Ordinis conditore Brunone, qui in præclara illa epistola ad Radulphum Viridem Remensis Ecclesiæ tunc Præpositum e Calabriæ finibus scripta, eum ad votum, quod simul de suscipiendo monastico habitu quondam ediderant, his vividis adhortatur verbis: « Fuge ergo, frater mi, fuge has molestias et miserias omnes, et transfer te a tempestate hujus mundi in tutam et quietam portus stationem....... Quapropter operæ pretium est diligenti examinatione prudentiam tuam ista perpendere; quod si amor Dei te non invitat, tantorum præmiorum utilitas te non provocat, saltem necessitas et timor pœnarum ad hoc compellere debet. Scis namque qua sponsione obligatus es, et quam omnipotens et terribilis sit, cui temetipsum munus gratum et omnino acceptabile devovisti, cui nec mentiri licet nec expedit. Nec enim patitur se injuste rideri. Reminiscitur quippe dilectio tua, quod cum ego et tu et Fulcius Monoculus, quadam die simul fuissemus in hortulo adjacenti domui Adæ ubi tunc hospitabar, de falsis oblectationibus et perituris mundi hujus divitiis, nec non de perennis gloriæ gaudiis aliquandiu, ut opinor, tractaremus, unde divino amore ferventes promisimus ac vovimus Spi-

ritui Sancto in proximo fugitiva seculi relinquere, et æterna captare, nec non monachicum habitum recipere, quod et in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romam abiisset, ad cujus reditum peragenda distulimus ; quo moram faciente aliisque intervenientibus causis, divinus amor elanguit, refriguit animus fervorque evanuit. Quid ergo superest, carissime, nisi a tanti debiti nexibus te citius expedire, ne pro tam gravi tamque diuturno mendacii crimine iram incurras Potentissimi, et propter hoc cruciatus immanes ? »

Quibus in verbis duo facile observari vult Launoyus. « Primum est instituendæ Cartusianorum Religionis occasio, quæ sumpta est ex ea collatione, quæ Brunonem inter et Radulphum habita est; non Lutetiæ quidem, sed Remis. Alterum, Canonici vel Doctoris Parisiensis a mortuis ad tempus regressi silentium. » Ad primum respondemus constare ex supradictis, collationem hanc non Remis habitam fuisse; eam vero ubicumque habita sit, non loqui de concilio fundandi novi Ordinis, sed tantum de voto « recipiendi monachicum habitum. » Hanc forsan quidam adversarius distinctionem irridebit, quæ nihilominus facilius quam illa « instituendæ Cartusianorum Religionis occasio, observabitur a quovis attentius verba S. Brunonis considerante. « Promisimus, inquit, ac vovimus Spiritui Sancto in proximo fugitiva seculi relinquere, et æterna captare, nec non monachicum habitum recipere. » Quis non videat aliud esse vovere vestem monasticam assumere, aliud inire consilium condendæ novæ Religionis ? Addens vero « quod (votum) et in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romam abiisset, » satis innuit nihil de novo Ordine in hac collatione actum fuisse, cum tanti momenti consilium tam cito ad effectum perducere non potuissent ; ut revera suum non statim Bruno perfecit, cui prius multa disponenda fuerunt ad tantum opus exequendum, ut sunt genus et modus vitæ, habitus, ædificia quantumvis humilia, locus imprimis ad propositum idoneus, et alia hujusmodi non pauca ad novam religionem rite instituendam absolute necessaria. Certe quod ad locum attinet,

VITA S. BRUNONIS
In vita S. Hug.

constat primos Instituti nostri conditores illum diu quæsivisse nec statim invenisse, donec ad S. Hugonem accederent. « Quærebant, inquit noster Guigo, locum Eremiticæ vitæ congruum, necdum repererant. »

Alithiph. Cart. Ms.

Præterea ex ejusdem epistolæ verborum contextu, clarius sole apparet totum hoc propositum in hac collatione susceptum, successu temporis ad nihilum recidisse, ut ipsemet Beatus vir ingenue fatetur his verbis : « Quod in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romam abiisset, ad cujus reditum peragenda distulimus. Quo moram faciente, aliisque intervenientibus causis, divinus amor elanguit, refriguit animus fervorque evanuit. » Quid dici potuit evidentius ? Quid enim est dicere quod « divinus amor elanguit, refriguit animus fervorque evanuit » ? nisi aperte dicere, quod non solum tunc non abrenunciaverunt seculo, sed etiam quod Radulphus et Fulcius abrenunciandi consilium abjecerunt, sanctus vero Bruno illud in aliud tempus rejecerit. Nec prodest cum Launoyo reponere : S. Brunonem non de sua loqui, sed de Radulphi procrastinatione ; nam in plurali numero locutus est, « ad cujus reditum peragenda distulimus », ut daret intelligi non Radulphum solum, sed etiam se cum eo distulisse. Id adhuc apertius fit, si consideremus S. Brunonem non cum his quibuscum collationem habuerat et voverat, sed cum sex aliis in solitudinem se recepisse. Hi vero cum Brunone Ordinis Cartusiensis autores, non ex hac collatione, cui non interfuerunt, conversionis suæ rationem vel initia nacti sunt : unde necessario consequens est contra Launoyum, « instituendæ Cartusianorum Religionis occasionem ex ea collatione sumptam non esse », sed ex aliqua alia causa, quam vetustiores Cartusienses et præfatis nostri Instituti fundatoribus suppares, ex redivivi hominis spectaculo ortam fuisse, verbo et scripto suis successoribus, tanquam ab ipso Brunone et ejus discipulis acceptam, tradiderunt.

Cur Bruno de spectaculo siluerit.

Verum rursus instat Launoyus, a S. Brunone inculcandum fuisse Radulpho id spectaculi genus, si quod unquam Parisiis actum esset, cum nihil paratius erat ad configendam illius

cunctationem. Et hoc est alterum quod in S. Brunonis verbis observavit adversarius, nempe de prodigio illo silentium. Sed quis veram hujus silentii causam post sexcentos annos divinare posset? Fatemur Brunonem in sua epistola de spectaculo tacuisse. An vero quod ex ore illius aut ejus discipulorum, se se audivisse ipsorum successores asseveraverunt, illud propterea falsum erit? Sed illud siluit (si tandem augurari licet) quia ejus mentio non spectabat Radulphum qui forsan votum suum diu ante emiserat, vel etiam illud prodigium ignoraverat; quippe quod in aula domus defuncti et paucis astantibus amicis gestum sit. Sed etsi daremus rem non fuisse Radulpho incognitam, non inde sequeretur a Brunone prodigii potius, quam voti emissi memoriam fuisse refricandam. Paratius enim erat ad configendam Radulphi cunctationem, ei opportune et importune inculcare votum quo tenebatur astrictus, ad quod exolvendum sub pœna peccati mortalis obligabatur, ex cujus defectu damnationem erat incursurus æternam, quam alias non erat incursurus, etsi non audiret nec obaudiret prædictum spectaculum. Quamobrem nihil frequentius ei S. Bruno in sua epistola ingerit quam obligationem votum exolvendi, et pœnas quas Deus promissa sibi non facientibus minatur. Quæ si Radulphi cor minime flecterent, neque ex proposito spectaculo movendum existimavit, juxta illud Evangelicum axioma : « Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent. »

VITA S. BRUNONIS

Luc. 16. 31.

XXXVI. Post Brunonis autoritatem, Guiberti Abbatis de Novigento testimonium nobis Launoyus opponit, velut validissimum arietem, quo damnati hominis Historiæ veritatem sperat penitus; evertendam. Guibertum autorem gravem habemus et veneramur, eumque tres *de Vita sua* libros scripsisse scimus; sed eorum apographum quo usus est Launoyus suspectum merito habere possemus. Cum enim Claudius Hemeræus, Doctor Sorbonicus, opus satis grande, anno 1627 Brunoni d'Affringues Ordinis nostri Præposito Generali dicasset, inscriptum : *Cartusianus sive Iter ad sapientiam*, et

QUID SENTIENDUM DE GUIBERTI ABBATIS TESTIMONIO.

Editum Augustæ Veromanduorum.

VITA S. BRUNONIS

ad ejusdem operis calcem, fragmentum ex Guiberti tractatu S. Brunonis et Instituti Cartusiensis laudes complectens curasset adjungi; de ejusdem fragmenti fide hæc idem Præpositus Generalis ad Joannem de Baeça, cartusiæ Paularitanæ in Castella Priorem, scripsit : « Imprudenter fecit Dominus ille Hemeræus, qui in suo Cartusiano, inseruit fragmentum de origine nostri Ordinis, quod est falsum et fictitium, ut monuit me Prior Parisiensis, scribens de præfato Domino Hemeræo autore dicti libri qui inscribitur *Cartusianus*. » Et revera Lucas d'Achery monachus Benedictinus, de Ecclesia ob editos codices bene meritus, totius tractatus apographum fatetur esse « recentiori manu scriptum, mendis scatens quam pluribus, inversa verba, sententias interdum aut mutatas aut prorsus sublatas, ut nonnulla penitius inspicienti sibi fuerint vix non divinanda. » Quamobrem cum cuncta Guiberti opera in lucem vellet emittere, omnem movit lapidem ut præfati tractatus autographum, quod paulo ante in manus cujusdam Doctoris Parisiensis devolutum fuisse audiverat, comperire posset, sed frustra. Verum licet hujus autographi jactura nostram non sine causa suspicionem augeat; cum tamen de fraude nobis non plane constet, nec Guiberti narratio, prout edita est, nostræ Historiæ adversetur ; placet jam discutere an conclusiones inde a Launoyo ductæ tanti sint ponderis, ut nostræ obscurent Historiæ veritatem aut qualitercumque deleant.

Epist. Mss. Brun. d'Affr. tom. 5. Epist. 843.

In præfat. ad Lect.

Quæ Launoyi argumenta.

Hæc autem sunt præcipua Guiberti verba, quibus ille suam in nos machinam struxit : « Fuit non longe ab his diebus Bruno quidam in urbe Remensi...... qui conversionis initia ex subjecta nactus occasione dignoscitur. Manasses quidam, post Gervasii famosissimi archiepiscopi decessum, prædictæ urbis regimini simoniace se intrusit...... Hujus ergo mores prorsus improbos et stupidissimos habitus, cum omnis honestus horreret, Bruno tunc in Ecclesia Galliæ opinatissimus cum aliis quibusdam Remensium clericorum nobilibus, infamis illius odio excessit ab urbe : quem postmodum Proceres, Clerus atque Burgenses, cum ab Hugone...... Apostolicæ Se-

dis Legato, creberrimo anathemate feriretur, et ille manu militari thesauros Ecclesiæ dilapidare niteretur, a sede quam male obsederat, pepulerunt..... At Bruno urbe deserta, seculo etiam abrenuntiare proposuit, qui suorum notitias horrens, ad Gratianopolitanum processit territorium, etc. » In hac Guiberti narratione plura animadvertit Launoyus, quæ nullus post illum alius animadvertet, nempe « Brunonem Remis habita cum Radulpho et Fulcio collatione recta discessisse Gratianopolim, nullosque post votum conversionis sensisse obices quibus ab eo implendo prohiberetur ; sed statim propter improbos Manassis mores ipsum, et alios quosdam nobiles Remensis Ecclesiæ Clericos, se se in solitudinem recepisse, ac propterea locum nullum relictum prodigiosæ Doctoris anastasi, quæ Brunonem in Eremum Cartusiæ impulerit. » Et ex his suis chimæricis observationibus autorem Epistolæ didascalicæ virum omni veneratione dignum, ut hominem ridiculum illudit, quod sanctum Brunonem dixerit non statim post præfatum colloquium desertum petiisse. At sole clarius ex iis quæ præmissa sunt liquet, inter illius ab urbe Remensi recessum et in Cartusiam profectionem, annos plures intercessisse. Imo conjecturis sat gravibus ostendit Bulæus (licet Launoyi sententiæ plus faveat quam nostræ) Brunonem, multo tempore intermedio Lutetiæ fuisse cum Remensibus clericis commoratum, quos quidem ab urbe simul excessisse Guibertus asserit ; sed an eorum ullus illum in solitudinem secutus sit, non meminit. Unum igitur in Guiberti verbis notatu dignum est, videlicet hunc autorem diserte scribere Brunonem « conversionis initia nactum dignosci, ex occasione morum Manassis prorsus improborum. » Quæ tamen verba nullum nostræ Historiæ damnum afferunt, cum facile possint cum ea conciliari. Aliud enim est initia conversionis exponere cum Guiberto, aliud integram conversionem, sive veram perfectæ conversionis causam enarrare, ut fecit noster Anonymus, qui eam a Sociorum Brunonis discipulis acceptam scriptis tradidit. Audierat Guibertus plures viros variis nominibus insignes, sub initium persecutionis a simoniaco Manasse excitatæ,

Pag. 36. et seqq.

VITA S. BRUNONIS

Vita S. Arnulphi apud Surium, ad 15. Aug.

Vide ad histor. Berthol. Constant.

mundo valedixisse, de quibus in vita S. Arnulphi Suessionensis episcopi hæc etiam legimus : « Propter ea mala quæ passim fiebant, nullo rempublicam moderante gubernatore, et illa quoque nobili Remorum moderatione tepescente propter Metropolitani juris ereptionem, consultius putabant homines pii abdere se in solitudinem quam multorum tumultus et contentiones excitare. » Quam ob rem Guibertus suum de Vita sua tractatum quadraginta et amplius post Manassæ damnationem annis scribens, persuadere sibi facile potuit Brunonem earumdem calamitatum testem ac participem, primum rerum fluxarum fastidium pari causa concepisse : verum quia optime noverat eum, licet « infamis Archiepiscopi odio Remis excessisset », haud tamen in desertum secessise nisi post sedatos Ecclesiæ Remensis tumultus. Hinc sapienter observavit eum « conversionis initia nactum fuisse ex occasione » improbi Præsulis, his verbis satis innuens ultimam ac veram perfectæ illius conversionis causam sibi ignotam fuisse. Et revera si Bruno ante latam in Manassem sententiam omnino constituisset desertum petere, non adeo vehementer, post ipsum Manassem in Lugdunensi Concilio damnatum, Summo Pontifici institisset, ut tum in dignitates suas, tum in pristinas facultates restitueretur. Id enim probatur ex literis Gregorii septimi superius exscriptis et post synodi celebrationem datis, quibus licentiam deposito Archipræsuli se se adhuc expurgandi indulget, dummodo interim « alteri Manassæ, et Brunoni, et cæteris Clericis qui tantopere pro justitia exilium passi sunt, rebus suis in integrum restitutis in Ecclesia Deo secure servire permittat. » Hunc ergo Papæ detrectantem, Proceres, Clerus atque Burgenses, teste eodem Guiberto, a sede quam male obsederat pepulerunt, et in illius successorem Brunonem elegissent, aut certe ipsum ad majores quam prius obtinuerat honores evexissent, nisi eodem tempore in desertum aufugisset, ut certis autoritatibus suo loco probavimus. Non igitur Manassæ persecutiones, quæ jam cessaverant, aut illius perversi mores qui non erant amplius timendi, integræ Brunonis conversionis causa fuerunt, licet

Supra num. XIX.

VITA S. BRUNONIS.

ex eis « conversionis initia nactus fuisset », sed quædam efficacior et validior causa, quæ nusquam legitur alia quam sæpe dicti damnati hominis spectaculum, non quidem juxta Gersonis et S. Antonini testimonia quorum antiquius nullum novit Launoyus, sed secundum alios autores qui ducentis et amplius annis utrumque antecesserunt, et discipulis Fundatorum nostrorum suppares fuerunt.

An Manassæ persecutio causa fuerit conversionis sociorum Brunonis.

Præterea quid de sex præfatorum nostri Ordinis cum Brunone Fundatorum conversione dicemus? Numquid ob improbos Manassæ mores quos ferre non possent, aut ejus persecutionem quam fugerent, mundo valedixerunt? minime certe. Quid enim eis mores illius impedimento vel offendiculo esse poterant, qui nihil eos attingebat, cum eorum non esset Archiepiscopus : nec ipsi ad eum pertinerent, cum Remenses Clerici non essent, ut nobiscum Bulæus censet? Lauduinus quippe erat italus Lucæ oriundus, nec legitur clericus Remensis fuisse ; duo Stephani erant S. Rufi Canonici, alter sebusianus, alter delphinas ; Hugo simplex capellanus nulla dignitate pollens ; reliqui duo, laici. Sed etsi concederemus unum aut alterum ex eis fuisse clericos Remenses, et mores Manassæ improbos ipsis ut S. Brunoni offendiculo vel impedimento aliquando fuisse, non amplius tamen eis jam esse poterant; cum priusquam cum Brunone Cartusiam adirent, Manasses a sua sede ut jam observavimus fuisset expulsus. Aliam ergo necessario fateri convenit eorum conversionis causam extitisse; nec alia tenenda est quam quæ conversionis S. Brunonis causa fuerit : aut quæ eorum conversionis causa fuerit, conversionis etiam S. Brunonis causam extitisse. Nec juvat reponere Guibertum tacuisse de spectaculo. Tacuit enim quia vel illud ignoravit si tantum inter privatos parietes evenit; vel si publicum fuit et coram ingenti hominum multitudine actum, nescivit utrum fuerit causa secessus S. Brunonis, qui annis fere duobus post illud actum recessit, ut legitur apud Anonymum nostrum. Unde non mirum, si solis Cartusiensibus hæc causa innotuerit; et maxime cum soleant ejusmodi consilia servari secreta, et nonnisi paucis intimisque

Epist. Didascal.

VITA S. BRUNONIS

aperiri et communicari. Denique judicet lector an nostræ traditionis autoritas minorem mereatur fidem, quam Fragmentum Guibertinum, quod jam ante thesim a Launoyo propositam et propugnatam, adulteratum credebatur : et certissime excerptum fuit ex recentiori autographo descripto manu « mendis scatenti quampluribus, cujus verba inversa sunt, et sententiæ interdum mutatæ aut prorsus sublatæ. »

AN GUIGONIS NOSTRI AUTORITAS ADVERSATUR HISTORIÆ.

XXXVII. Tertius a Launoyo testis producitur Guigo, hujus nominis primus, quintus vero Cartusiæ Prior, qui S. Hugonis Gratianopolitani Episcopi vitam juxta mandatum Papæ fuse describens, quædam de Cartusiensis Ordinis initiis sanctum illum Præsulem spectantia satis breviter perstringit. « In his, inquit, agebat S. Hugo, et ecce adest Magister Bruno vir religione scientiaque famosus...... Habebat autem socios Magistrum Lauduinum, ... et cæteros quos enumerat. Quærebant autem locum Eremiticæ vitæ congruum, necdum repererant. Hac ergo spe et suavi sanctæ conversationis ejus (Hugonis) odore trahente, ad virum sanctum venerunt, quos ille non solum gratanter, sed et reverenter suscepit, tractavit et voti compotes fecit. Ipso namque consulente, juvante, comitante, Cartusiæ solitudinem intraverunt atque extruxerunt. Viderat autem circa hoc tempus per somnium in eadem solitudine Deum suæ dignationi habitaculum construentem, stellas etiam septem ducatum illi præstantes itineris. Erant vero et hi septem. » Ex quibus verbis sic concludit Launoyus : « Hic autor Cartusianæ Religionis incunabula describit et minuta quæque diligentissime persequitur, nec verbo quidem attingit illa duo, » scilicet prodigium et ex eo Brunonis secessum in Eremum. Ad hæc reponimus unicum Guigonis scopum fuisse non S. Brunonis, sed S. Hugonis vitam conscribere; quod nec etiam fecit nisi a Summo Pontifice prius adactus. Quamobrem ex occasione tantum aliqua de sancto Brunone habuit, quantum ea sanctum Hugonem tangebant ; nec plura de Cartusiensium Ordine narrare voluit.

Sed videamus si Guigo « incunabula Cartusiensis Religio-

VITA S. BRUNONIS.

nis » ita descripserit, et « minuta quæque » ita diligenter prosecutus fuerit, ut ejus de spectaculo silentium sit argumentum illius falsitatis. Narrat quidem paucissimis verbis Brunonem cum sex sociis, quorum recenset nomina, Hugonis sanctitatis fama attractum, ad eum venisse ut « locum Eremiticæ vitæ congruum » ab eo obtineret : « ipsoque consulente, juvante, comitante, Cartusiæ solitudinem intrasse atque extruxisse. » Quomodo vero hæc fuerunt transacta non narrat. Neque etiam meminit unde venerit S. Bruno, an Remis ubi canonicus fuerat, aut Parisiis ubi ultimo vel docuerat ut censet Bulæus, vel saltem consilium relinquendi seculum susceperat. Silet de ejus dignitatibus in Ecclesia Remensi, de laboribus quos pro defensione libertatis et jurium Ecclesiæ in diversis conciliis sustinuerat, unde et gloriosos illos titulos meruerat : « columnæ totius Metropolis, et sinceri Catholicæ fidei defensoris. » Silet de collatione illa sanctum Brunonem inter et Radulphum et Fulcium, de voto recipiendi « monachicum habitum », de persecutionibus Manassæ; ita ut nihil omnino habeat de causa et occasione conversionis illius, quæcumque illæ fuerint. Silet denique de cunctis rebus ab eo gestis ab exitu ex urbe Remensi usque ad secessum in Cartusiam. Quæ quidem omnia et multa hujusmodi alia, in quibus enumerandis non est diutius immorandum, vere erant « minuta », licet maxima, et ad « incunabula » Ordinis rite describenda plane necessaria ; quæ nihilominus prætermisit Guigo, sicut et spectaculum Parisiense, quia nihil hæc faciebant ad sancti Hugonis vitam quam solummodo scribendam susceperat. Si igitur ex Guigonis silentio cætera vacillant quæ de Brunonis historia referri poterant, solum id tenendum erit quod Guigo scripsit; quod dicere vel cogitare plus quam ridiculum censendum est.

CUJUS VIS SIT TESTIMONIUM ORD. CARTUS. A LAUNOYO ALLATUM.

Pag. 45.

XXXVIII. Non solum Guigonis Cartusiæ Prioris, sed totius Ordinis testimonium velut tormentum desolatorium in nos librat Launoyus : « Hic vocamus, inquit, Ordinis Cartusianorum testimonium, quod ducimus ex vetere ms. codice Statutorum et Consuetudinum Ordinis, ubi vita Brunonis et

quatuor consequentium Cartusiæ Priorum summatim exaratur. » Huncque codicem apud Parisienses Cartusienses asservari dicit. At quid respondisset Magister gravis sibi dicenti et probanti hunc Statutorum codicem fuisse tantum medio seculo quarto decimo exaratum, ac propterea juxta sensum suum « eos qui codicem descripserunt, antiquis scriptoribus accensendos non esse ? » Sed pro eo et in ejus gratiam reponimus codicem hunc, etsi medio tantum 14° seculo descriptum, continere tamen non « vitam Brunonis, » ut vult ipsemet, sed brevissimum Eulogium, sive potius simplicem quinque primorum Cartusiæ Priorum Chronologiam, duo ante secula compactam, quam Labbæus ex codice sancti Remigii Remensis sub nomine *Institutionum Ordinis Cartusiensis* primo Novæ suæ Bibliothecæ tomo edidit. Quatuor primorum hujus Chronologiæ articulorum autor est ipse Guigo, qui eos præfixit Consuetudinum suarum codici, quem monachis ad Cartusiam Montis Dei incolendam euntibus ab ipso legislatore traditum, velut pretiosas illius reliquias Patres ejusdem Domus cum magna veneratione etiamnum custodiunt. Guigone mortuo, quidam quintum articulum, breve quidem illius sed cæteris paulo fusius elogium continentem, quatuor primis adjecit. In hoc igitur codice hæc « de Brunonis vita », quando quidem sic Launoyo placuit, habentur : « Magister Bruno natione Teutonicus, ex præclara urbe Colonia, parentibus non obscuris natus, literis tam secularibus quam divinis valde munitus, Ecclesiæ Remensis (quæ nulli inter Gallicanas secunda est) Canonicus et Scholarum Magister, relicto seculo Eremum Cartusiæ fundavit. » Notandum obiter hæc eadem verba hactenus exscripta haberi etiam apud Sigibertum, paucissimis tantum in præfato codice additis. Deinde sequitur in eodem codice : « Et rexit sex annis, qui cogente Urbano cujus quondam præceptor fuerat, Romanam perrexit ad Curiam, eumdem Papam solatio et consilio in ecclesiasticis negotiis juvaturus. Sed cum tumultus et mores Curiæ ferre non posset, relictæ solitudinis et quietis amore flagrans, relicta Curia, contempto etiam archiepiscopatu Risensis

Ecclesiæ ad quem ipso Papa volente electus fuerat, in Calabriæ heremum cui Turris nomen est, secessit : ibique laicis et clericis quamplurimis adunatis, solitariæ vitæ propositum quandiu vixit exercuit; ibique defunctus humatus est post egressum Cartusiæ XI° plus minus anno. » Hæc est vita S. Brunonis. Quatuor vero consequentium Priorum historiæ (sic enim a Launoyo appellantur) adhuc breviores sunt, si Guigonis historiam excipias. VITA S. BRUNONIS

His ita fideliter et accurate prænotatis, lectorem benevolum testem appellamus, utrum quæ de Brunone ejusque successoribus, in jejuno illo vitæ eorum Breviario, tam paucis verbis autor codicis præmisit, tanti sint ponderis, ut ex iis juste et merito Launoyus ducere potuerit hanc consequentiam : « Antiquis, inquit, scriptoribus non possum non accensere eos, qui codicem illum Statutorum Parisiis, ubi nunc apud Cartusienses asservatur, vel alio in loco descripserunt, et quinque primorum Cartusiæ Priorum historiam ita ediderunt, ut si quid in iis miraculi deprehensum est, observarint. » Ecce quantas « projicit ampullas », juxta Poetæ effatum ut stylo tumido suas extollat autoritates. « Non possum, inquit, eos qui codicem illum descripserunt. » Nonne melius veriusque dixisset, « eum qui codicem illum descripsit, » cum vix triginta folia contineat ? nisi velit tot fuisse scriptores, quot sunt codicis folia. Sed hæc levia sunt. Audi tumidiora : « Ii qui codicem illum descripserunt, quinque primorum Cartusiæ Priorum historiam ita ediderunt, ut si quid in eis miraculi deprehensum est, observarint. » Sed quæso, quænam sunt hæc miracula, quæ in tam brevi narratione uno foliolo contenta scriptores illi observarint ? Nulla certe, saltem in elogiis quatuor primorum Priorum. De Guigone enim nunc tacemus, quia ejus elogium, ut monuimus, post illius mortem adjectum fuit codici. Numquid propterea nihil miraculi inter hos primos Patres, aut ab eis actum est ? Pro nobis iterum respondeat Petrus Cluniacensis : « multa, inquit, in illo sacro Ordine miracula contigisse a pluribus accepi. » An igitur falsa sunt, quia codicis scriptores de iis siluerunt ?

Pag. 46.

VITA S. BRUNONIS.

Sed ad S. Brunonem redeamus. Scriptores, sive potius scriptor hujus codicis, ut correctius modo loquamur, totam ejus vitam ab infantia illius usque ad secessum in Cartusiam paucissimis his verbis complectitur : « Bruno Teutonicus, ex urbe Colonia non obscuris parentibus natus, literis tam secularibus quam divinis valde munitus, Ecclesiæ Remensis Canonicus et Scholarum Magister, relicto seculo Eremum Cartusiæ fundavit et rexit sex annis. » Ecce totam S. Brunonis conversionem quinque verbis comprehendit, *relicto seculo Eremum Cartusiæ fundavit,* quod de cujuslibet seculo abrenuntiantis conversione dici potest. An tam paucis verbis Brunonis historiam ita edidit, scriptor ille, ut si quid in ea miraculi deprehensum est, observarit, ut vult Launoyus? Sed sicut tacuit de septem stellarum visione S. Hugoni exhibita, de sex sancti Brunonis sociis, de persecutionibus Manassæ, de magnanimitate qua illum apud Summum Pontificem et in variis Conciliis accusavit, de illius voto, de scriptis et de multis aliis ab eo præclare gestis; ita non mirum si et spectaculum prætermisit. Denique notandum est, videri scriptoris scopum hunc fuisse unicum, nempe simplicem Catalogum ac Chronologiam, ut diximus, Priorum Cartusiæ contexere et eorum prælationis annos designare. Nihil enim accuratius describere videtur, cum maxime de Brunone observet, quod « sex annis Cartusiam rexerit, » et in Calabria obierit, undecimo plus minus anno post egressum Cartusiæ. » Quod et diligenter de aliis annotat, ita ut sub finem quarti et ultimi articuli annos summatim repetat, qui a fundatione Cartusiæ usque ad mortem Joannis Tusci effluxerant : « Colliguntur itaque, inquit, a primo Magistri Brunonis anno usque ad hujus (Joannis) ultimum, anni viginti quinque qui ante obitum ejus (qui est nonis octobris) circa nativitatem B. Joannis Baptistæ complentur; tali quippe tempore a Magistro Brunone præfata cœpit Eremus habitari. » Quod etiam ille Guigonis elogii autor observavit, ne a primi hujus Chronologiæ autoris scopo discederet.

PETRI CLUNIACEN. TESTIMONIUM ENUCLEATUR.

XXXIX. Petri Venerabilis, gravissimæ merito apud omnes

tum propter sanctitatem, tum propter doctrinam autoritatis viri, silentium de nostro spectaculo tanti facit Launoyus, post Papirium Massonum, ut narrationem illam in fabulis inde habendam esse audacter pronuntiet. In ejus sententiam plures etiam docti, solo tanti Abbatis nomine inducti, hodie delabuntur. Fatemur et nos fuisse aliquando illius silentium demiratos, donec totum ejus *de Miraculis* opus accuratiori examine expendentibus, cessavit nostra et, ut speramus, lectoris benevoli cessabit admiratio. Hæc certe Petri verba : « ad roborandam fidem et mores restituendos miracula nostro tempore vel circa tempora gesta, quorum cognitio indubia datur, scribere proposui. » Hæc, inquam, verba et similia mentem lectoris prima fronte feriunt ; statimque a plerisque cum stupore exclamatur : « Est-ne verisimile curiosum istum miraculorum indagatorem et perscrutatorem præteriturum fuisse prodigiosam illam anastasim, si paulo ante sua tempora contigisset ? » Sed desine obstupescere, amice lector ; quotquot enim historias, quotquot miracula Petrus enarrat ante vel circa sua tempora perpetrata, cuncta suum Ordinem spectare solummodo ; quæ vero a Cluniacensibus aliena recenset, ea, si unum excipias, eo vivente vel etiam præsidente evenisse ex diligenti totius operis lectione animadvertimus. Non igitur mirum, si de nostra anastasi non meminerit, quæ nihil suum Institutum attingebat, quæque pluribus antequam nasceretur annis peracta fuerat. Id paulo singularius præstat discutere. Hic de miraculis tractatus in duos libros distinctus sexaginta constat capitulis, quorum quinquaginta et unum res mirabiles ad ipsum Petrum vel ejus Ordinem pertinentes complectuntur. Ex septem aliis capitulis quæ de rebus Cluniacensi Ordini extraneis agunt (de duobus Cartusiensium mentionem habentibus dicemus infra), sex loquuntur de prodigiis quæ Petro vivente, vel etiam jam facto Abbate, ut diximus, accidisse videntur, et ei a viris sui Ordinis professis, inter quos annumerandus Aymericus Claromontensis Episcopus, relata fuerant. In eo quod superest capitulo, et est primum libri posterioris, spectaculum describitur diu ante Petri tempora

In Prologo lib. 2.

Bul. Hist. Univ. Par. ubi sup. pag. 474.

eventum, sed cujus ille tantum meminit occasione alterius, quod eodem loco, Matisconæ videlicet et eo vivente contigerat. Denique cuncta quæ toto illo opere percenset Petrus, vel propriis hauserat oculis, vel a viris audierat suum Ordinem professis, vel saltem ab hominibus, exteris quidem sed plerisque Cluniaco vicinis, et qui rerum quas narrabant testes oculati fuerant. Ita ut præcipuus Petri in hoc opere scopus videtur fuisse mira opera suo tempore, vel circa suum tempus in suo Ordine peracta exponere, et his quædam inserere quæ casu ab aliis acciperet.

His igitur ita sigillatim discussis, satis evidenter apparet Petri Cluniacensis silentium nostræ Historiæ veritati nihil detrahere. Quid enim mirum si inter quinque aut sex miracula, ad suum Ordinem non pertinentia, spectaculum nostrum siluerit ? Hæc præter unum aut alterum acta videntur circa Cluniacum, ipso vivente, et ei ab amicis vicinis relata ; prodigium vero damnati hominis Parisiis satis procul a Cluniaco, et forsan inter privatos parietes contigit, et annis fere septuaginta antequam suum Petrus opus ederet. Nec etiam dubium est quin multa alia prodigia in Galliis, in Hispaniis, in Anglia, in Italia Petri temporibus, vel circa ejus tempora evenerint; et tamen his exceptis, quæ ad suum Ordinem attinent, de nullo meminit, licet in has exteras regiones profectus fuisse legatur, non solum Monasteriorum sui Ordinis, sed totius Ecclesiæ negotia promoturus. Cur igitur nostrum potius, quam illa alia prodigia suo operi inseruisset ? Sed audio
Pag. 54. qui pro Launoyo reponit Petrum « ad secundi libri calcem Cartusianæ Religionis initium, statuta, mores uberiori oratione depingere, et inter ea quæ de prima Cartusianorum origine et miraculis disserit, stupendam Doctoris vel Canonici Parisiensis mortui narrationem desiderari. » Lectoris animum semper studuit Launoyus stylo suo tumido occupare : « Petrus Cluniacensis, inquit, Cartusianorum initium uberiori oratione depingit, et multa de eorum origine et miraculis disserit. » Sed e contra verissime asserimus sanctum illum Abbatem nihil fere de nostri Ordinis initio aut origine disse-

rere. Hæc enim tantum habet : « Servatur in Burgundiæ partibus professio quædam aliis sanctior et cautior, instituta nostro tempore (diu tamen antequam ipse nasceretur) a quibusdam Patribus magnis, doctis et sanctis, Magistro Brunone Coloniensi, Magistro Lauduino Italico, ac quibusdam aliis vere magnis, ut dixi, et Deum timentibus viris. » Hæc est uberior, quia sic placet Launoyo, sed revera sterilior narratio de nostri Instituti primordiis. Sed quia Petri scopus erat, ut sapienter observavit Saussæius, agere « de Instituto nostro, non de Institutione, » ideo statim post jejunam illam originis nostri mentionem, « Statuta et mores Cartusianæ Religionis ita uberiori oratione depingit, » ut nihil de victu, de vestitu, de reditibus, de divino Officio, nihil denique de moribus et consuetudinibus omittat. Unde et aptissime hoc totum capitulum tali inscribit titulo : *De Institutis Cartusiensium Monachorum,* quæ velut quædam miracula proponit.

Verum addit Beatus Abbas : « His, ne tam sanctam Institutionem omnino muti præteriisse videremur, breviter præmissis, ad miracula per quosdam ex ipsis nostro tempore (id est eo vivente) facta procedendum est. » Quis Petrum ita scribentem legens, non crederet eum multa multorum e nostris præclara et super naturæ vim perpetrata opera commemoraturum fore ? At licet affirmet « multa in illo sacro Ordine miracula contigisse, fatetur tamen rara, imo rarissima, quibus omnimoda fides accommodanda esset, ad se miracula pervenisse » ; hancque rationem affert, « quia ipsi humilitatis virtute, qua semper servi Dei miranda opera sua quanto possunt nisu occultant, vix aliquid ex his prodere alicui voluerunt. » Quamobrem duo tantum mirabilia de quodam fratre Converso, nec plura de illo vel de aliis narrat. Non igitur nostræ Historiæ veritatem enervat Petri silentium; neque illud, sed potius primorum Patrum humilitatem et modestiam mirari debemus, quibus præ sanctæ taciturnitatis amore, et istud spectaculum sicut et cætera sua suorumque miranda facinora Petrum celabant. Multa tamen ejus calamo digna illum latere non poterant. Quandoquidem paulo post

VITA S. BRUNONIS
Ex literis assoc. ord. clun. cum cartusian.

editum suum de miraculis tractatum, coram Generali Cluniacensium Conventu « Fratres Cartusienses quam sinceræ et famosæ Religionis semper fuerint, innumeris per orbem diffusis miraculis clarum esse » testatus est. Noverat certe illam septem stellarum visionem S. Hugoni factam, de qua noster Guigo in ejus vita, quæ tum præ manibus omnium habebatur, meminit. Noverat et miraculi plenam Auduini Cartusiæ Monachi intra nives et Monasterii ruinas duodecim post diebus vivi reperti historiam, cum de illo nivium et rupium casu consolatoriam ad Guigonem scripserit epistolam : at nihilominus hanc et illam siluit, uniusque tantum Conversi meminit. An propterea utramque et alia id genus memoratu dignissima, quæ de Ordine nostro illius ævo contigerunt, inter fabulas censebimus ? Debilem igitur ac nullius momenti argumentationem ex Abbatis Cluniacensis silentio rimatus est cum Massono Launoyus, qui sola illa ratione, damnati hominis Historiam fabulæ nomine et anilis narrationis traduxit. Denique infinita miracula, multis in locis quæ Petrus frequentabat patrata, tum ex ignoratione, tum ex memoriæ defectu eum fugisse aut latuisse facile esset probatu, sed de his satis.

QUID DE SIGIBERTI,

XL. Sigiberti ac Roberti de Monte silentium videtur etiam apud nonnullos alicujus esse ponderis, quod hi S. Brunoni suppares aut fere suppares fuerint. Sed paucis respondemus, quæ apud Sigibertum leguntur non esse ejus, sed diu post ab aliquo rerum nostrarum ignaro inserta fuisse. Nam Sigibertus obiit anno 1113, et quæ de Brunone in brevissima illa narratione habentur, eadem sunt, ut supra monuimus, quæ noster Guigo anno tantum 1136 vel circiter edidit. Quæ vero de S. Hugone narrantur, ipsum jam mortuum designant, licet Hugo Sigiberto pluribus annis superfuerit. Præterea sanctus hic Præsul crassissimo errore ibi dicitur « ab eodem Brunone habitum monachicum sumpsisse, » quod esse falsissimum in Annalibus probabimus. Denique etsi hæc concederentur ab ipso Sigiberto scripta fuisse, nihil nobis obessent, cum ille minus historicus dicendus sit quam compendiator, qui nihil

habet eorum quæ a cæteris digeruntur. Idem ad rejiciendam Roberti autoritatem annotare sufficiet. Quæ enim Launoyus in editione qua usus est, de Cartusiensibus et de S. Hugone ad annum 1131 et 1132 haberi scribit, in autographo cura Lucæ Dacherii typis excuso non reperiuntur. Imo nec ulla in tota Roberti Appendice de Cartusiensibus fit mentio. Non sunt igitur Sigibertus aut Robertus annumerandi inter autores, « qui famosam damnati hominis anastasim non prætermisissent, si eam aut legissent, aut audivissent accidisse. » Nec contrarium concludi potest ex eodem Roberto, qui in alio tractatu hæc de Cartusiensium origine scribit : « Eodem fere tempore, quo Ordo Cisterciensis in Cabillonensi parochia exortus est, Cartusiensis etiam in episcopatu Gratianopolitano adventus est. » Deinde quatuor aut quinque lineis quædam affert de Cartusiensium moribus, quæ ex Guigonis nostri Consuetudinibus videtur hausisse. De S. Brunone ne ipsius quidem nomen habet. Quid igitur mirum si de causa vel occasione, qua in Eremum impulsus est, tacuerit, cum et idem circa alios Ordines et Monasteria observaverit, contentus Fundatorum conversionis tempus cum annis assignare, quibus vel seculo abrenuntiaverunt vel suum Institutum inchoaverunt.

De Roberti de Monte

Pag. 65. et 66.

De immut. Ord. Monach. cap. 2.

Plures alios autores citat Launoyus, « quorum testimonia alias non recensere sine ullo suæ defensionis incommodo potuisset » Launoyus, ut ipsemet in sua præfatione fatetur. Et revera ad quid eorum autoritas, cum nullus ex tot laudatis ab eo scriptoribus vitam sancti Brunonis describere aggressus sit ; sed omnes quidquid de eo, vel de Cartusiensium Ordine scripserunt, paucissimis verbis, more compendiatorum, illud tradiderint. Imo plerique S. Brunonem de solo nomine appellarunt ; alii nec ipsum nomen expresserunt : aliis vero qui fusius de eo locuti sunt, satis fuit quatuor aut quinque lineis dicere quod fuerit Institutor Cartusiensis Ordinis, et illum tali anno et sub tali Pontifice instituerit. Quidam ergo Cartusienses bene affecti plura de eorum Statutis, moribus et consuetudinibus scripserunt ; sed nullus de eorum Institu-

Et aliorum autorum testimoniis sentiendum ?

VITA S. BRUNONIS

tione, de causa originis aut de aliis ab eis et apud nos præclare gestis singulariter tractare in animo habuit. Undė non mirum si apud citatos autores nihil occurrat de redivivi hominis spectaculo. Sed quando Cartusiensis Ordo cœpit propagari, Anonymus noster, qui primus sub seculi tertii decimi initia de industria suscepit illius originem literis mandare, fusius ac prolixius S. Brunonis acta describens, anastasim hanc illius in Eremum secessus causam fuisse ex certa Patrum traditione edisserere non omisit. Nec iterum nobis pro Launoyo insulse objiciendum est, hunc autorem non fuisse S. Brunonis vel sociorum ejus coævum, cum illum horum discipulis fuisse saltem supparem ostenderimus. Certe si de his, quæ de aliorum Ordinum antiquitatibus, et de sanctorum gestis et actionibus circumferuntur, statim ad vulgare istud asylum nos reciperemus, dicendo nullum esse autorem illius temporis, in quo Sanctus hic vel ille vixerit, qui de tali casu, miraculo, seu eventu scripserit : ad eum necessario deveniremus desperationis statum, ut fidem pene nulli autori possemus habere. Quot enim et quanta apud eruditissimorum agiographorum scripta, quibus hodie Mater gaudet Ecclesia, reperiuntur sanctorum gesta post longissima ab eorum morte annorum curricula, scriptis tradita, quæ tamen non minorem inde fidem merentur? Creditur Salustio, Crispo, Titoque Livio, ut jamdiu ante nos Lupus Servatus questus est, non pauca quæ illorum ætatem longe præcesserant, partim audita, partim lectione comperta narrantibus : et fides derogabitur nostro Anonymo « primam occasionis nostri Instituti inductionem, » ut loquitur, toto approbante Ordine describenti, prout a Patribus Fundatorum nostrorum Discipulis audierat?

Præfat. vitæ S. Wigb. in actis SS. Ord. Bened. Sect. 3.

In præfat. ad Chron. Cartus. Ms.

QUÆ FIDES HABENDA NOSTRÆ HISTORIÆ.

S. Ambr. sup. psal. 118.

XLI. Fidem dicimus et exposcimus non divinam sed humanam, sive potius fidei pietatem, « ad cujus sinum tantum debemus confugere, cum sit justorum tribunal. » Fatemur hujus spectaculi veritatem non esse de fide; quapropter sive admittatur, sive non, nihil refert. Verumtamen non putamus a cordatis lectoribus ei posse denegari locum inter veritates illas, quæ sine fidei læsione aliquam apud pios homines cre-

dulitatem obtinere possunt. De quibus Joannes Gerson, vir æque pius ac doctus, sic loquitur in declaratione veritatum quæ sunt de necessitate salutis credendæ : « Demum in sexto gradu qui quartus est modo dicto collocantur veritates illæ, quæ tantummodo faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionis religiosam pietatem, quæ magis inducuntur ad inflammandum affectum quam ad instruendum intellectum, ubi pietas devota magis aspicitur quam veritas certa etc. » Quibus verbis non labefactatur nec falsitatis damnatur, aut arguitur nostra de damnato homine narratio. Imo quis non videat eam aptissime posse collocari « inter veritates illas quæ tantummodo faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionis religiosam pietatem » ? et licet in eis « devota pietas magis aspiciatur quam veritas certa »; nihilominus « veritates » eas appellat piissimus Doctor, et in sexto gradu « veritatum credendarum » collocat. Quid convenientius confirmandæ stabiliendæque veritati nostræ narrationis dici poterat, quam quotidie experimur multum « facere ad nutriendam vel fovendam devotionis religiosam pietatem » ? cum multi et « devotam pietatem et veritatem in ea aspicere non contemnunt. » Attamen Gerson, non minus prudens quam religiosus, ne veritatem sub specie pietatis devotæ negligere videretur, præcitatis verbis moderamen statim adjecit dicens : « ubi hoc unum reprobatur, si adesset assertionis temeritas, priusquam elucidaretur alio modo per Ecclesiam vel rationem certam ipsa veritas. » Si videlicet temere res aliqua assereretur, de cujus veritate taliter dubitaretur, et esset adeo dubia ut per Ecclesiam vel rationem certam merito esset elucidanda.

Oper. part. I in Tract. de veritat. quæ credendæ sunt

Atqui nulla hic adest in asserta de damnato homine veritate « assertionis temeritas », neque ullam in ea esse temeritatem ipse Gerson credidit, quando postea « de plurimis, ut ipse loquitur, exemplum hoc unum et celebre proposuit ad inspirandum exercitatis timorem Domini, et ad nutriendam vel fovendam devotionis religiosam pietatem. » Nec opus fuit ut illa per Ecclesiam vel rationem certam elucidaretur, quæ satis erat lucida, quamque propterea « celebrem »

Ibid. part. 3. in Tract. de simplif. cordis. Notula 23.

VITA S. BRUNONIS

vocavit Gerson, ut pote ab Institutione Ordinis absque contradictione recepta et approbata; quam graves autores asseruerint, nullus damnavit ; cui hactenus universus populus Christianus aures accommodavit; quam universus Ordo Cartusiensis (etsi nonnisi valde remote spectet ad ejus laudem) per sexcentos annos ad hanc usque diem constanter, perseveranter, et unanimiter certam et veram esse crediderit, et credat, solo uno eam impugnante Launoyo; cui denique Summi Pontifices annuerint, et Gregorius XV et Urbanus VIII hanc aperte in Officio S. Brunonis appositam approbarint, licet postea Sacræ Rituum Congregationi visum fuerit eam cum fidei professione a sancto Brunone animam efflante edita, e lectionibus breviarii rescindere, non aliam ob causam, quam quod ex utraque factæ fuissent nimium longiusculæ, ut postea sapientissimi censores causam rescissionis sciscitantibus declararunt.

Alithiphil. Cartus. Ms.

Et sane si tanquam fabulosa e breviario tunc sublata fuisset, cur postea aliis breviariis annis 1648 et 1652 recens editis restituta fuisset? Cur quotidie Doctores variis in regionibus Legendas sanctorum suis chirographis comprobant, in quibus vita S. Brunonis cum ejusdem spectaculi narratione describitur? Id certe ab eis sic agitur, et a sacra Rituum Congregatione sinitur, quia in hac narratione nihil fidei contrarium deprehenditur. Juxta quod idem Magister Gerson censuit vitas sanctorum contineri sub sexto gradu veritatum credendarum. « Respicit, inquit, iste gradus Legendas et miracula sanctorum, vitas Patrum, visiones devotarum personarum, recitationes et opiniones sacrorum Doctorum, quæ omnia suscipit Ecclesia et legi permittit, non quod determinet talia de necessitate salutis esse credenda, sed quia proficiunt ad commovendos affectus pios fidelium, et in ædificationibus ipsorum, dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum, quamvis etiam nesciatur illud certitudinaliter esse verum. » Hæc ille, qui cum superius dixisset, in genere, « in sexto gradu collocandas esse veritates illas, quæ tantummodo faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionis religiosam

Ubi sup. de veritat. quæ cred. sunt.

pietatem » ; hic quænam sint illæ in specie declarat : « Legendæ scilicet et miracula sanctorum, vitæ Patrum, visiones, etc. » Quæ omnia inter veritates collocantur et pro talibus recognoscuntur, et censentur ab Ecclesia quæ illa legi permittit, neminem tamen cogens ad illa credenda sicut cogit ad Biblia, sed legi permittit, non prohibendo nec ut credantur esse vera præcipiendo. Et quidem permittit legi, quia, ut ait pius Doctor, « proficiunt ad commovendos affectus pios Fidelium et in ædificationibus ipsorum. » Et hoc cum tali conditione, « dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum, quamvis etiam nesciatur illud certitudinaliter esse verum. »

Vitas igitur et sanctorum miracula, visionesque et alia hujusmodi, juxta effatum tanti viri, permittit Ecclesia legi, et inter veritates reponit, id est, vera ea esse judicat et non falsa, quamvis « non determinet talia de necessitate salutis esse credenda, dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum. » Hoc autem de damnato homine miraculum, sive res mirabilis, ad legendam S. Brunonis spectat, et nihil in eo « de certitudine scitur esse falsum, quamvis etiam nesciatur illud certitudinaliter esse verum. » Ergo juxta Magistri Gersonis regulam ab Ecclesia receptam, inter veritates est reponendum. Idem ante nos censuit Duvallius Sorbonæ Alumnus, Doctor et splendidum jubar, quem, velut alterum Gersonem sanctitate et doctrina clarum, Gallia merito commendat et prædicat. Is aliquando rogatus a familiaribus quid de Historia damnati Doctoris sentiret, respondit rem illam a Surio et aliis descriptam non videri sibi fabulam. Imo ipsam narrationem eximio suo tractatui *de Quatuor Novissimis* inseruit. Sententiam pariter secundum nos novissime tulit cardinalis Bona in divino tractatu *de divina Psalmodia*. Hujus purpurati Patris æque pii ac docti, præfati Duvallii et Saussæi Academiæ Parisiensis Doctorum, Raynaudi et Joannis Columbi societatis Jesu Theologorum, et aliorum qui hujus nostræ Historiæ veritatem verbis et scriptis tuiti sunt, sententiam et zelum procul dubio secutus fuisset celebratissimus ille agiographus de tota Ecclesia Catholica optime meritus,

Epist. Didasc. pag. 19 et 20.

To. I. comment. in I. 2. p. summæ S. Thomæ.

De div. psal. cap. 18. §. 5.

VITA S. BRUNONIS

Joannes Bollandus, si vitam habuisset suo vastissimo operi parem. Hic audiens Saussæium pro Cartusiensibus de causa conversionis sancti Brunonis dissertationem scripsisse, amicis suis de ea congratulatus est, ut testatur Bartoldus Nihusius ad ipsum Saussæium his verbis scribens : « Gaudemus equidem vehementer, quicumque hic amici sumus, ac dissertationem tuam istam adeo insignem vidimus. Quin et gaudent qui necdum viderunt, sed solum auditu perceperunt in meis eam esse manibus. Adeoque in eorum numero cum primis gratulatur sibi quoque eo nomine Joannes Bollandus; qui vir quanti te faciat, exposuit nonnihil ipsemet in proœmio vasti operis sui de gestis sanctorum. » Sed quod Bollandus, nobis imo et orbi Christiano citius ereptus licet jam cœlo maturus, exequi non valuit, id effectum iri speramus a dignissimis illius Continuatoribus, fidem potius præstituris toti Ordini Cartusiensi, quo approbante et consentiente hi prodeunt Annales, quam quibusdam privatis Monachis, quos contrarium nullo prævio examine sentire ipsi in Cartusia constituti audierunt. Sed ad S. Brunonem redeamus.

Nihusius in Epist. præfixa Epistolæ Didascalicæ.

Boll. contin. in not. ad vit. Dionys. Cart. 12 mart.

BRUNO ET SOCII CONSILIUM SUSCIPIUNT PETENDÆ SOLITUDINIS.

XLII. Damnati itaque hominis « vocibus salubriter territus, ut habet noster Anonymus, atque compunctus, seipsum et socios quos Deo lucratus fuerat, alloquens et exhortans, deliberaverunt ipse et sex socii, probi viri, secum abrenuntiare seculo et pompis ejus, et ad perfectam pœnitentiam peragendam Eremi deserta loca competentia quærere, et ibidem relictis omnibus accipere singuli cruces suas, et nudum Christum nudi sequi per arctam viam quæ ducit ad gloriam; et latam et spatiosam relinquere, quæ amatores et sectatores mundi perducit ad mortem. » Horum Cartusiensis Ordinis Fundatorum nomina idem autor recenset. Primus et Patriarcha fuit Bruno, nunquam satis nominandus ; secundus Magister Lauduinus natione Tuscus ex civitate Luca, Doctor Theologus ; tertius Stephanus Burgensis ; quartus Stephanus Diensis, ambo Abbatiæ S. Ruffi extra urbis Avenionensis muros tunc sitæ, et diu post inde Valentiam translatæ, Canonici ; quintus Hugo Capellanus; sextus Andreas ; septimus

denique Garinus, ambo homines illiterati, qui ideo postea Conversorum habitum solummodo induti sunt. Hos igitur viros egregios cum Bruno congregasset, expeditis omnibus quæ sanctum suum propositum ulterius remorari poterant, duobus circiter post actum spectaculum annis, Gratianopolim ad sanctum Hugonem episcopum perrexit sibi optime notum, quippe quem in scholis discipulum habuerat, ut superius jam annotavimus. Eorum itineris sic meminit noster Anonymus: « et quia jam audiverant famam sanctitatis S. Hugonis episcopi Gratianopolitani, qui prius antiquo tempore ejusdem Magistri Brunonis in scholis dicitur socius fuisse, sancto Spiritu instigante, proposuerunt ad memoratum Episcopum sanctum accedere, et ejus consilium et auxilium requirere ut in ejus diœcesi, quam audiverant multis desertis montibus abundare, mererentur locum suæ devotioni congruum obtinere. Septem igitur viri sancti supradicti præfata de causa sanctum Episcopum adeunt. »

Ad Gratianopol. Episc. pergunt.

Vid. supra num. X.

Id accidisse anno 1082 quidam e nostris scripserunt, confundentes tempus quo spectaculum evenit, cum tempore quo reipsa primi Patres in Cartusiam se receperunt. Legimus enim apud nostrum Anonymum et in aliis Ordinis Chronicis, prodigium illud hoc ipso anno 1082 visum fuisse, Patres vero Eremum solum biennio post petiisse. Et quidem conjicere possumus ex nostro Guigone, eos non statim post patratum spectaculum seculum actu reliquisse cui jam animo abrenuntiarant, sed aliquod tempus consumpsisse in rebus parandis ad tantum opus necessariis, et maxime loco quærendo ad id idoneo. « Quærebant, inquit Guigo, locum Eremiticæ vitæ congruum, necdum repererant. » Cum dicit: « quærebant, necdum repererant, » satis innuit aliquod jam tempus effluxisse ante eorum adventum. Cum igitur apud quosdam legimus Cartusienses ortum habuisse anno 1082, id intelligere debemus de tempore quo nata est occasio instituendi Ordinis, non vero de tempore quo primum institutus est. In ipso itinere constituti ad quemdam magnæ virtutis Eremitam divertunt, ut ab eo tanquam experto discant vitæ solitariæ usum.

Tempus discutitur.

Henr. Calkar in Tractatu Ms. de ortu et progressu Ord. Cartus.

VITA S. BRUNONIS

Cujus sermonibus et piis adhortationibus alacriores effecti majorique amore in eam vitam inflammati, pergunt ire Gratianopolim ad S. Hugonem.

QUÆ FUERINT PRIMORDIA S. HUGONIS.

Alithiph. Cart. Ms.

XLIII. Verum enim vero, præ palatii episcopalis foribus sanctum Brunonem cum sociis expectantem tantisper dimittentes, quæ fuerint ejusdem beati Hugonis primordia paulo altius repetamus. Hæc enim ad perfectam perspicuamque nostræ historiæ intelligentiam necessaria censemus. Cuncta vero quæ de illo referemus, non aliunde mutuabimur quam ex chartaceis Ecclesiæ Gratianopolitanæ libris, et ab inculpato et domestico scriptore, scilicet a Guigone nostro, quinto Cartusiæ Priore, qui res beati hujusce Præsulis, sicuti præ coætaneis suis perspectiores habuit, ita etiam fidelius sinceriusque sempiternæ memoriæ, Innocentii Papæ II jussu, consecravit, ut suo loco exponemus. Hujus vitæ acta habemus in duobus codicibus, quorum unus antiquissimus in Majore Cartusia repertus, videtur paulo post S. Hugonis obitum exaratus ; alter recentior est ac medio seculo quinto decimo exscriptus, quem e Cartusia Bruxellensi habuimus. Uterque vero ad invicem collatus nullam habet differentiam, neque variat a Suriana et Henscheniana editionibus, nisi in quibusdam vocibus nullius momenti. Igitur post epistolam Innocentii II qua Guigoni mandat ut vitam Hugonis describat, et post prologum Guigonis ad Papam, sic ipse suam narrationem orditur :

« Cum ergo præfati sanctissimi Patris mores et opera Deo placentia, sufficientem sermoni adeo præstent materiam, ut non solum nostram sed et quorumlibet vincant facundiam ; carnis ejus tacendam ex toto duceremus originem, eo quod indifferenter de bonis bonos, de malis malos, de bonis malos et de malis bonos, per divini Judicii inscrutabilem altitudinem, nasci quotidie nullus ignoret; nec referat aliquid, qualibus sit ortus quisque parentibus, sed qualibus vixerit moribus, nec augmenta conferat meritorum, potentia, divitiis et nobilitate terrena claruisse, sed hæc omnia pro Christo contempsisse ; cum videamus et Dominum pauperibus ortum paren-

tibus, et in Apostolis insigniores sumptos ex piscatoribus. Unde et beatus ad Corinthios scribens Paulus : « Videte, « inquit, Fratres, vocationem vestram : quia non multi sapien- « tes secundum carnem, non multi potentes, non multi no- « biles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat « sapientes ; et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia ; « et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ « non sunt, ut ea quæ sunt destrueret ; ut non glorietur omnis « caro in conspectu ejus. » *1. Cor. 1.26.*

« Verum quoniam hi qui de veritatibus tractavere Sanctorum, eorum etiam carnales inveniuntur non tacuisse natales, dicamus et nos breviter quod Beatus Hugo, natione Valentinensis, loco juxta Isaram fluvium sito cui Castrumnovum nomen est, parentes habuerit et secundum seculi dignitatem non infimos; et quod excellit, sanctitatis prærogativa conspicuos. E quibus pater, Odilo nomine, præter alia quam plurima, quæ militari licet in habitu laudabiliter gessit vel habuit, veritatis et castitatis amator extitit. »

Ejus patria

Parentes.

Odilo Pater, postea Conversus Cartusiæ.

Habemus patriam et parentes sancti Hugonis. Unde corrigendi sunt Constantius Felix in Calendario suo historico, Venetiis anno 1577 edito, et post eum Arnoldus Wion in suo *de Ligno Vitæ* opere, qui scribunt S. Hugonem natum fuisse Valentiæ in Hispania et ibidem Canonicum extitisse. Sed videntur decepti ex homonymia duarum urbium, quarum una est in Hispania Tarraconensi, altera in Gallia Narbonensi, de qua fit mentio supra in verbis Guigonis. Pergit vero Guigo plura dicere de Odilone, qui postea factus est Cartusiæ Conversus, ut in Annalibus dicemus. Deinde de matre ejus sic subjungit : « Quæ videlicet venerabilis mater ejus, cum post mariti abscessum, præter quem nullum penitus noverat, vellet et ipsa cuncta relinquere; quia fœminarum religiosa raro tunc erant monasteria, pii filii salubribus instructa monitis, continentiæ et eleemosynis, orationibus atque jejuniis ac reliquis sanctis operibus, in domo propria quod reliquum erat impendit temporis, filios suos militaribus strenuos actibus, ab immoderatis quantum poterat frænans excessibus. Cui

Arn. Wion in Martyrol. ad 1. April.

Qualis fuerit mater ejus.

decumbenti ea qua obiit ægritudine, optata filii adest præsentia; adoranda tradit mysteria, extrema non multo post sepulturæ solvit obsequia, prompta complens obedientia quod imperat Deus Lege Mosaica dicens : Honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram. De qua utique terra Psalmista Domino dicere creditur : Tu es spes mea et portio mea in terra viventium.

Exod. 20. 12.

Psal. 141. 6.

Ab ea prægnante prævidetur ut sanctus.

« Hæc autem dicere fuerat solita, quod dum prægnans suis eum ferret in visceribus, visum sibi per somnium fuerit elegantem creasse parvulum; quem sistendum Dei conspectibus sancti (in quibus et Beatus erat Petrus) deferebant in cœlum. Hinc factum est, eadem annuente, ut discendis applicaretur literis. Sperabatur enim, nec frustra, singularis apud Deum gratiæ futurus et meriti. Amavit autem studia literarum non mediocriter. Propter quæ etiam in exteras profectus regiones multa sustinuit. Inerat quippe illi, et usque ad ultimam quoque senectam inesse non destitit, verecunda sobrietas quæ eum, et inter suos etiam necessariorum, sæpe cogebat ferre inopiam, dum nec amicis, si quid eum angebat, pudore victus poterat confiteri. Quo quasi fræno a multis comprimebatur illicitis. Cum autem a scholis reversus, Valentiæ, ubi majoris Canonicus erat Ecclesiæ, inter seculares et lubricos, juvenis licet, pudibundus demoraretur et sobrius. (Statuerat enim sicut ipse dicebat, ab omni deinceps contaminatione immunem se, Deo juvante, servare.) Contigit Domnum Hugonem Galliarum omnium ex præcepto beatæ memoriæ Gregorii septimi Legatum, ad eamdem venire civitatem : virum scilicet in ecclesiasticis negotiis strenuum et famosum, Ecclesiæ Diensis tunc Præsulem, postea Lugdunensem Archiepiscopum. » Hanc inter utrumque Hugonem necessitudinem verisimile est primum intercessisse anno 1079, quo Legatus synodum Valentiæ celebravit, ut colligere est ex Gregorii Papæ literis ad Dolensis monasterii monachos et nobiles Bituricenses scribentis ac præcipientis ut, « Dominica prima post Pentecosten, scilicet in octavis, coram vicario ejus Hugone Diense episcopo satisfacturi, Valentiæ videlicet

Studia absolvit in exteris regionibus.

Lib. 6. epist. 27. et 28.

urbi se repræsentent, et quod ipse eis præceperit obedienter teneant. » Datæ sunt literæ Romæ octavo Calendas Aprilis, Indictione, quæ designato anno currebat, secunda. Quid vero ex hac cum Legato juncta familiaritate juveni Canonico acciderit, narrat idem autor. « Qui (Legatus) cernens juvenem elegantem vultu, statura procerum, eloquio temperatum, moribus verecundum; edoctusque ab eis qui noverant, cujus esset eruditionis et generis, et ut erat in rebus tam humanis quam divinis ingenii perspicacis, agnoscens in eo magna quædam futuræ probitatis et sanctitatis insignia, hilariter et affabiliter amplexatus est, rogans ut ad se veniret, suorum certaminum comes futurus et particeps; quibus non solum adversus laicos, qui ecclesias, decimas ac cœmiteria sacrilege detinebant, sed et contra sacerdotes quorum vitam inhonesta conjugia maculabant, simoniacos etiam qui cupiditate cæcati sacra profanaque miscebant, paucis juvantibus, acerrimus insudabat. Quod ipse libenter amplexus est.

In Episcopum a Clero Gratianop. petitur.

« Aliquanto dehinc temporis exacto spatio, idem Legatus apud Avenionem non ignobilem Provinciæ civitatem, grande celebravit Concilium, in quo multa ad Dei honorem et Ecclesiæ utilitatem præconio digna patravit. Ad hoc Concilium Episcopo carentes et Episcopum quærentes Gratianopolitani venere Canonici; compertoque præfatum juvenem conventui præesse præsenti, petierunt suppliciter suffragante Concilio, ab ejus venerabili Patrono cui gratæ officium societatis exhibebat, ut hunc sibi sine dilatione daret Episcopum. Quibus ille protinus gratulabundus assensit, tum dilecti comitis gaudens honoribus, tum Ecclesiæ favens profectibus, cujus etiam sacris officiis futurum non dubitabat opportunum. »

Tempus Concilii Avenionensis disquiritur.

Quod spectat ad tempus Avenionensis Concilii, jam ostendimus supra, illud non tardius fuisse celebratum anno 1079. Nam præter rationes ibidem allatas, observandum est alterum Concilium ineunte anno sequenti Lugduni, de quo etiam supra, habitum fuisse, et Romæ alterum mense Martio. Quo tempore S. Hugo a Gregorio VII consecratus est, ut postea narrabit noster Guigo. Quod autem dixit Gratianopolitanos

VITA S. BRUNONIS

Sever. Bin. in notis ad Conc. Rom. an. 1076. to. 10. Concil. Labb.

Canonicos Episcopo carentes ad hoc Concilium venisse, sciendum est Pontium episcopum ejusdem Ecclesiæ in Concilio Romæ in Quadragesima an. 1076 habito excommunicatum fuisse, « quousque resipiscat », ut loquuntur ejusdem synodi acta. Et quidem par est credere illum resipuisse. Nam eodem anno suorum consensu Canonicorum multa bona fecit Ulciensi Ecclesiæ, cui plures Ecclesias curiales cessit; videturque in sede et in vivis fuisse usque ad præfatum annum 1079. Quo tandem defuncto, Canonici, ut vidimus, nostrum Hugonem in ejus successorem postularunt.

Cartul. Ulcien. Ex Mss. Nic. Chor.

ELECTIONI REFRAGATUR.

XLIV. Quid autem egerit modestus juvenis audita Cleri Gratianopolitani petitione, accipe a Guigone. « At vero ille repentino timore concussis ab imo visceribus, toto reniti corpore, magnisque reclamare vocibus, et se se ætate, scientia et postremo moribus et vita tantis mysteriis imparem affirmare cœpit ; nec ullatenus pati in suæ salutis periculum, sua vilitate officia veneranda fœdari. Quam utique de se sententiam profundissima humilitate conceptam usque ad finem non exuit. Semper enim in quantiscumque sanctitatis et bonorum profectibus operum, inutilem se servum, et Pontificatus administratione indignum protestari non erubuit, semperque ad deponendum illud onus sicut ex consequentibus liquebit, paratus fuit. Vir autem profundi consilii, qui prædictis eum concesserat clericis, etsi gaudebat quod in hac ætate et habitu (erat enim habitu secularis et annorum ferme viginti septem) honores non modo non appeteret indebitos, sed et repudiaret oblatos, cœpit tamen rationabili qua pollebat facundia, ejus erigere trepidationem, solari verecundiam, frangere pertinaciam, asserens in talibus vel subeundis vel portandis oneribus, non de sua quemque virtute, sed de Dei potius debere benignitate præsumere, a quo deberet sperare bonum quod deerat, et ad quem referre quicquid acceperat. Hujus itaque et cæterorum qui aderant virorum gravium consolationibus fractus atque hortatibus, tandem aliquando cessit electioni. »

Cui tandem consentit.

Ex his lapsus convincitur Arnoldus Wion, qui loco citato

sanctum Hugonem ex canonico factum Cluniacensem monachum et Abbatem Calesiensem, deinde episcopum Gratianopolitanum asserit; cum e contrario constet eum ex canonico Valentinensi factum episcopum Ecclesiæ Gratianopolitanæ, deinde per annum extitisse in Casæ Dei Abbatia novitium, ut ex eodem Guigone inferius narrabitur. Quo etiam teste absurditas Wionis detegetur, qua facit eum Abbatem Calesiensem, cujus Abbatiæ fuit tantum promotor : « Ipso enim adnitente cœpit » hæc Abbatia, inquit Guigo, qui sic ejus acta prosequitur :

Wion in Martyrol.

« Præerat autem eo tempore Viennensi Ecclesiæ archiepiscopus Garmundus nomine, quem propter simoniam, cujus sustinebat infamiam, sibi manus imponere non admisit. [Quia vero Episcopus Gratianopolitanus Archiepiscopi Viennensis suffraganeus est, ideo ad Garmundum pertinebat sancti Hugonis consecratio.] Sed quia propter simoniam male audiebat, cunctis itaque (pergit Guigo) præter Episcopi, a non sine reverentia memorando Legato sumptis Ordinibus, Romam eodem comitante profectus est, ut a Sedis Apostolicæ summo consecraretur Antistite. Ubi, dum consecrationis statutum opperiens diem commoraretur, in ipsis quodammodo divinæ servitutis initiis et in primis sacræ militiæ tirociniis, gravissimam hostis antiqui impugnationem rudis et talium inexpertus incurrit, quæ sanctam ipsius animam usque ad illam ægritudinem qua et decubuit moriturus, die noctuque nunc acrius, nunc mitius non destitit excruciare. Sed tamen consolatione suscepta, animæquior effectus, consecrationem ab eodem Summo Pontifice post modicum suscepit episcopalem. Tantus autem et in ipsa consecratione, et toto illo quo ibidem demoratus est tempore, illius tanti viri amor in eum ostensus est, ut patenter ostenderetur divinæ in eo gratiæ magnum aliquod præsensisse præsagium. Sed et comitissa Mathildis, habitus quidem fœminei, sed animi per cuncta virilis, quæ rerum humanarum tumultus atque pericula, instar Prophetissæ Deboræ, prudenter sedare et fortiter noverat tolerare, in suo Deum venerans famulo, diei consecrationis ejus ne-

Abnuit Sacros Ordines sumere a Simoniaco.

Pergit Romam.

Infestatur tentatione blasphemiæ.

A Gregorio VII consecratur,

Mathilde Comitissa necessaria consecrationis subministrante.

cessaria cuncta subministravit, pastoralem, quo diu usus est, baculum dedit, additis psalmorum secundum beatum Augustinum explanationibus, cum beati Ambrosii volumine, cujus est titulus *de Officiis;* totoque quo deinceps tempore vixit, tanquam verum Dei famulum sincera devotione specialiter honoravit et coluit, sitiens ejus instanter et consiliis instrui et oratione defendi. »

Gallias repetit.

Absoluta Romana Synodo, Hugo Legatus Diensis Episcopus Gallias repetens nostrum Hugonem assiduum habuit comitem, cum quo juxta Papæ mandatum per aliquot dies Taurini hæsit, ad causas controversiæ Divionensem inter et Fructuariensem Abbates natæ discutiendas : ibique auditis partibus coram Herimanno cardinali, et utroque jam nominato Hugone aliisque Episcopis, rei decisio ad aliam synodum Romæ pariter anno subsequenti Quadragesimali tempestate cogendam rejecta est, ut videre est ex Charta super his data Taurini anno MLXXX mense Maio. Inde in Gallias reversus Legatus plures synodos variis in locis, et præsertim Burdigalæ in octavis S. Michaelis celebravit, ipsum semper, ut verisimillimum est, comitante novo Præsule Gratianopolitano, quem suæ Ecclesiæ possessionem iniisse tantum exeunte prædicto anno ex variis Chartis conjicimus; ac proinde in Actis hujus temporis annos illius episcopatus, non ab electione aut consecratione, sed ab adepta possessione numerari solitos fuisse. Asservatur in Majoris Cartusiæ tabulario donatio per Guigonem comitem, et reginam Mathildem illius uxorem domui Calesiensi facta, quæ data est « anno Incarn. Domini MCX°. XI°. Kal. novembris anno Pontificatus Domini Hugonis Episcopi Gratianopolitani XXX°. » Hic annus pontificatus Hugonis non est electionis aut consecrationis, alias enim notandus fuisset XXXI vel etiam XXXII. Dicendus igitur annus possessionis, quam nondum adeptum fuisse anno 1080 mense octobri sequitur ex die designata XI Kal. novemb. Idem necessario conficiendum est ex alio instrumento quod extat editum in tractatu de *Usu Feodorum Delphinatus,* cujus initium et finis sic habent : « Ego Hugo

Ex probation. Hist. Sab. Sam.Guichen. pag. 19.

Legatum comitatur.

Jacob.Sirm. in notis ad Goffr. vindoc. pag. 21.

Joan. Mabill. de re Diplom. p. 587.

Quando Episcopatus possessionem inierit.

Integram habes ad annum 1110.

Gratianop. Episcopus, rogatu Canonicorum, concessi Abbati Bosoni S. Mariæ Crudatensis et successoribus suis tres Ecclesias.... Facta est hæc donatio de tribus prædictis Ecclesiis.... IV Nonas novembris anno Incarn. Dom. MCX, anno Pontificatus Domni Hugonis Episcopi XXX. » Ergo necdum episcopatum Hugo inierat sub initium novembris anni sæpe dicti 1080. Quo quidem anno, sed incerto die, Hector de Cassenatico et uxor ejus Cana cum filiis suis « peccatorum nostrorum, inquit, multitudine compuncti relinquimus, sive donamus omnipotenti Deo, et ipsius Dei et Domini nostri Jesu Christi Genitrici B. semper Virgini Mariæ, necnon et Beato Vincentio gloriosissimo martyri cui Ecclesia Gratianopolitana dicata est, et episcopo Gratianopol. Hugoni et successoribus ejus, omnes Ecclesias quas possideo in episcopatu Gratianop. cum tertia parte decimarum..... Feci vero hoc donum, ego Hector cum uxore mea ac filiis in Ecclesia sancti Vincentii, ponens librum super altare sub testimonio Hugonis Episcopi et Canonicorum ejusdem Ecclesiæ atque Monachorum de Casa Dei, scilicet Bernardi et Duranni, anno MLXXX, Indict. III, anno Pontificatus Domni Hugonis I.

Ex Cartul. 2. Eccl. Gratian. nu. 83.

ECCL. VISIL. DAT PRIORATUI S. LAUR.

XLV. Eodem ferme tempore ipse S. Præsul Visiliensem Ecclesiam, quæ suæ Ecclesiæ juris quondam fuerat, jamjamque ab usurpatoribus recuperatam, monasterio S. Laurentii rogatu Guillelmi ejusdem Prioris, et interventu maxime sæpe nominati Hugonis Diensis episcopi adscripsit, datis sequentibus literis :

Ex Cartul. abbat. Sancti Theofr. inter Mss. Nic. Chorier.

« Quoniam B. Laurentii Martyris Ecclesiam non longe a Gratianopolitana urbe positam, ab antecessoribus nostris non solum novimus ædificatam, verum solemniter auctam atque multipliciter ditatam; pro posse nostro eorum imitari vestigia non incongruum duxerim. Ego enim Ugo Dei gratia Gratianop. episcopus, necnon Sanctæ Dei Ecclesiæ Gratianop. omnis conventus B. Mariæ, Visiliensem cum sibi jure pertinentibus Ecclesiam diu nobis tyrannica potestate subreptam, ad ultimum a fratribus prædictæ Ecclesiæ Beati Laurentii ab eadem potestate acquisitam, sed quia nostræ Eccle-

siæ juris erat sub virorum religiosorum judicio nobis redditam, B. Petro ac S. Theofredo, necnon et gloriosissimo Martyri Laurentio, fratribusque ibidem commorantibus, interventu Religiosissimi Ugonis Dei gratia Diensium episcopi atque S. R. et Apostolicæ Ecclesiæ vicarii donavimus, tali scilicet retento servitio ut in die sanctæ ac Dominicæ Ascensionis, etc. » Ex his veritas partim probatur eorum quæ noster Guigo, post superius exscripta verba, ita subjungit :

Depravatos mores in diœcesi reperit.

« His ita non solum prospere sed et religiose peractis, ad susceptam reversus Ecclesiam invenit Clerum et populum in divinis nimis rudem et incompositum, et sanctarum observationum in tantum inscium, ut non solum gradus inferioris Clerici, sed etiam sacerdotes uxores ducerent, nuptias publice celebrarent, emere ac vendere sancta non hæsitarent ; ecclesias, oblationes, decimas et cœmiteria Laici, et eorum ditioni sacerdotes subditi possiderent ; usurarii sive fœneratores injusta ex alienis damnis lucra coacervarent, nec ob hoc tamen minus eorum aliqui vel ecclesias intrarent, vel mysteria sacrosancta perciperent : adeo erant disciplinæ totius expertes. » Harum pravitatum multa argumenta reperiuntur in cartulariis Ecclesiæ Gratianopolitanæ, quorum hic libet quædam exempla interserere : « Ego Hugo de.... qui male vixeram et inordinate, ut pote qui Ordinem meum reliqueram, et uxorem de facto duxeram, quod de jure non poteram, unde sententiam excommunicationis infeliciter diu sustinueram obstinatus, tandem gratia Spiritus Sancti præstito sacramento, tactis manualiter Evangeliis, quod starem mandato Ecclesiæ, quod bonos fidejussores et obsides optimos exponerem, ad voluntatem Domni Episcopi, ut hoc inviolabiliter observarem, dedi, imo reddidi matri meæ Ecclesiæ Gratianop. cujus Canonicus eram, mille solidos quos acquisiveram in prato, etc. » Et de decimis a laicis usurpatis hæc ibi leguntur : « Notum est Ecclesiæ Gratianop. filiis quod diu est quod decimæ in præfato Episcopatu in calumpniam positæ sunt. Et illi qui sunt Laici, qui contra jus ecclesiasticum decimas tenent in interdicto positi sunt. De ipsis erat unus Pontius no-

Ex eod. Cartul. nu. 113.

Ibid. nu. 48.

VITA S. BRUNONIS

mine, de..., qui contra præceptum Domini decimas possidebat, qui cum pergeret contra inimicos suos vulnus mortale accepit, » et mortuus est, quem S. Hugo non permisit tradi sepulturæ, nisi post restitutionem ab ejus fratribus Nantelmo et Gerardo factam de decimarum parte, « propter quam frater eorum Pontius in calumpnia erat. » Pergit Guigo : « Porro substantia Domus episcopalis, dissipantibus non tam Episcopis quam tyrannis qui præcesserant, pene fuerat tota consumpta. Unde multas ibidem etiam necessarii victus inopias per plures annos pertulit, eo quod nec illicitis contractibus, sicut pluribus mos est, suas indigentias supplere volebat, et mutuare unde redderet, non habere se cogitans, minime præsumebat. Verum tot et tanta suscepti populi vitia vel peccata, quanta vigilantia, quibusve prædicationis et disciplinæ flagellis persecutus fuerit ; quos ibidem labores, quos discursus, quasve sollicitudines insumpserit, quæ jejunia, quas vigilias, quas psalmodias, quos gemitus, quas preces quosque lacrymarum imbres ad propitiandum pro eis Dominum, paterna pro eis compassione profuderit, non est nostræ facultatis evolvere. Sed nec quis ex tantis laboribus provenerit fructus, nostris exponi verbis aut potest aut opus est : cum rerum in melius manifesta mutatio, idipsum cernentium evidenter ingerat oculis. Ipse vero interim pennatorum in Ezechiele Animalium coram sua semper facie gradientium sedulus imitator, se se ante se ponere, et sua vel pericula vel profectus subtili examinatione discutere non cessabat.

Fit monachus Casæ Dei.

« Contemplans itaque suam vel ætatem, vel morum imperfectionem, in quam præcipue usque ad mortem mentis oculos intentos et ipse habuit et alios habere persuasit, et suscepti pondus officii ; necdum duobus post consecrationem expletis annis, contemptis omnibus, Casæ Dei factus est Monachus. Ibi quippe majus tunc et paupertatis et humilitatis studium visebatur. Ubi sanctorum quorum ibidem aderat copia virorum, succensus exemplis, eosque suis, quanquam novitius, non minus ipse succendens, annum fecit. Cum cæteris bonis, tum præcipue humilitate cujus præ cunctis virtutibus sec-

VITA S. BRUNONIS

A summo Pontifice cogitur redire ad Episcopatum.

tator extitit indefessus, cunctis amabilis. Ita namque sese gerebat, ut cunctorum imitatione pariter et veneratione dignus existeret. Post hæc cogente qui se consecraverat, memorato Sedis Apostolicæ Præsule Gregorio Septimo, ad episcopatum a monasterio quo fervens intraverat, ferventior est reversus; ex unius anni studiis tanta virtutis incrementa reportans, quanta de diuturnæ vitæ laboribus vix assolent multi. Pro claustro circumspectionem habens pervigilem, qua non tantum sui sensus corporis, sed et cogitationes comprimeret cordis; pro Abbate Justitiam, a cujus mandatis, nec prosperis unquam potuit nec adversis abduci; pro Congregatione autem Religiosos, quibus propter illud : « cum sancto sanctus eris, et cum innocente innocens eris, » carere nunquam voluit, socios; imo totam universaliter Ecclesiam, quam tam sinceræ dilectionis complectebatur affectu, ut ejus nec adversa nec prospera inconcussis posset tolerare visceribus. Nam juxta illud Apostoli : « Quis infirmatur et ego non infirmor; quis scandalisatur et ego non uror? » semper Ecclesiæ et lætabatur prosperis et torquebatur adversis.

Ps. 17. 26.

2. Cor. 11. 29.

S. BRUNO CUM SOCIIS AD EUM VENIT.

XLVI. « In his agebat, cum ecce tribus nondum in Episcopatu, post Monasterii reditum, completis annis, adest Magister Bruno, vir religione scientiaque famosus, honestatis et gravitatis, ac totius maturitatis quasi quoddam simulachrum. Habebat autem socios Magistrum Lauduinum qui post eum Cartusiæ Prior extitit; duos Stephanos, Burgensem et Diensem : hi Sancti Rufi Canonici fuerant, sed vitæ solitariæ desiderio, ei, Abbate favente, se se conjunxerant. Hugonem etiam quem cognominabant Capellanum, eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio : duos Laicos, quos appellamus Conversos, Andream et Garinum. Quærebant locum Eremiticæ vitæ congruum, necdumque repererant. Hac ergo spe simul et suavi sanctæ conversationis ejus odore trahente, ad virum sanctum venerunt, quos ille non solum gratanter sed et reverenter suscepit, tractavit, et voti compotes fecit. Ipso namque consulente, juvante, comitante, Cartusiæ solitudinem intraverunt atque extruxerunt. Viderat

autem circa id tempus per somnium, in eadem solitudine Deum suæ dignationi habitaculum construentem; stellas etiam septem ducatum sibi præstantes itineris. Erant vero et hi septem. Quapropter non istorum tantum, sed et qui successerunt eis, consilia libenter amplexus est; et usque ad mortem habitatores consiliis fovit semper et beneficiis. »

An S. Bruno fuerit sacerdos.

Cum noster Guigo Hugonem e Brunonis sociis quintum, scribit « cognominatum fuisse Capellanum eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio »; non inde sequitur, ut quidam opinati sunt, Brunonem et socios, præter præfatum Hugonem nunquam fuisse sacerdotes. Nam, quod ad Brunonem spectat, si verba Guigonis juste expendantur, videntur esse tantum intelligenda de sociis ejus. « Adest, inquit, Magister Bruno.... habebat autem socios Lauduinum, » et alios quos recenset: « Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum, eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio. » Cum primum ergo dicat « habebat autem socios, » statimque recensitis eorum nominibus subjungat, « solus ex eis sacerdos erat » : hæc verba *ex eis,* ad socios non ad Brunonem videntur referenda. Neque enim probabile est beatum virum ætate maturum, doctrina et multis virtutibus ornatum, animarum jam destinatum regimini, vel brevi destinandum, sacerdotio præditum non fuisse; quem Legatus velut episcopatu dignum commendaverat; quem Episcopi, Abbates, aliique docti « Reverendum Patrem » appellabant; quem Clerus ut suum « decus, lumen, et gloriam » intuebatur, et venerabatur; quem denique alii, « muri Ecclesiæ, Ecclesiarum lucis, totius Metropolis columnæ » titulis, ante illius in eremum secessum decorabant, ut ex supra dictis liquet. Sed etsi concederemus Guigonem aperte declarare eum sacerdotis dignitate tunc caruisse, non propterea negari posset, quin ad eam fuerit postea evectus; quod extra omnium dubium esse debet, cum alioquin novi sui gregis superior esse non potuisset. Nec opponenda sunt exempla quorumdam Abbatum, qui monasteria gubernarunt etiamsi nunquam fuerint sacerdotis munere potiti. Eo enim tempore quo Cartusiensis Ordo cœpit, jam

Eug. II. in Syn. Rom. c. 27.

Can. Abon. cap. 16.

sancitum erat ut « Abbates sacerdotalem quoque honorem sint adepti; » quod decretum Hugone et Roberto Francorum regibus renovatum fuisse indicant Canones Abonis Abbatis Floriacensis, ubi legimus quod « Abbates, qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant aut prælationes amittant. » Concilium Pictaviense, cui forsan Bruno interfuerat, paulo ante ab Hugone Legato ejus amico celebratum idem decreverat, quod et ad quoscumque Præpositos in Decretalibus extenditur. Denique si Bruno sacerdos non fuisset, filium Rogerii Calabriæ comitis in ecclesia Militensi cum omnibus Ecclesiæ cæremoniis publice (ut in Annalibus videbimus) aquis baptismi non lustrasset; neque etiam in Episcopum electus fuisset; quandoquidem et Concilium Beneventanum eodem tempore habitum prohibuerat, « ne ullus in Episcopum eligeretur, nisi qui sacris ordinibus religiose vivens inventus est. »

Conc. Pict. an. 1078. can. 7.

Can. ut Abbates 1. de ætat. et qualit.

Conc. Benevent. an. 1091. c. 1.

De Lauduino autem nec dubium est, quin post suam professionem, aut saltem post suam in Cartusiæ Prioratu institutionem sacerdos sit ordinatus; cum constet S. Patriarcham suos sequaces de Canonibus Ecclesiæ circa hanc materiam docuisse. Unde noster Guigo Cartusiæ Consuetudines, sicut eas ille viva voce instituerat, scriptis mandans declaravit quod mortuo Priore Conventuales, « majorum meliorumque concilio, ex seipsis unum eligant aut sacerdotem aut ad sacerdotium promovendum, » qui in quibusdam festis solemnioribus « et cum frater aliquis professionem facturus est, missam cantat majorem. » De Stephano Burgensi idem tenendum erit, si Protoprior cartusiæ Majorævensis a Guigone institutus est. Hunc vero et alterum Stephanum, Lauduinumque ante suum discessum ad tantæ dignitatis fastigium provectos non fuisse ideo credimus, quia nondum fortasse attigerant trigesimum ætatis suæ annum, ante quem nullus his temporibus presbyter poterat promoveri. Et hæc una videtur esse ratio cur Hugo solus ex sociis Brunonis sacerdotis fungeretur officio, nempe quod ille jam annos ad id requisitos excessisset.

Cons. Guig. cap. 15. n. 1. et 5.

Can. Presbyter. ante 4. dist. 78.

Explicit Procemium

ANNALES

SECULUM PRIMUM

1084 — 1184.

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM PRIMUM

JESU CHRISTI ANNUS 1084.

Gregorii Papæ VII Annus 12.	Ordinis Cartus. Annus 1.	Brunonis Patriarchæ Annus 1.

S. BRUNO ASCENDIT IN MONTEM CARTUSIÆ.

I. JESU Christi octogesimus quartus post millesimum annus, Indictione septima, decurrebat, nasciturae familiæ Cartusiensi faustissimus; cum Beatus Bruno et terrenæ pertæsus consortionis, et « a Gehennæ Judicio » fugiens, una cum sex sociis ascendit in Cartusiæ montem « mundare sancta et renovare » pene extinctum Eremiticæ vitæ Institutum. Non fuerat tunc forsan sancti mens Fundatoris sui cœtus in religiosum Ordinem formandi, qui extra Cartusiæ limites propagaretur : nec illum paulo post, nisi casu tantum, in Calabriam usque transportavit. Verum, quis vocet in dubium, divinam ac rerum omnium moderatricem Sapientiam, quæ silentio maxime colitur et solitudine, Brunonem licet inscium suscitasse ad serendum novum in Ecclesia Ordinem, quo solitaria vita quæ tot virtutum splendore Orientem diutissime collustrarat, jam in Occi-

Matth. 23. 33.

Mach. 4. 36.

Bohic. in Annal. Mss.

Instaurat vitam Eremiticam.

ANNUS 1084

dente reviviscens, primævum reciperet fervorem, tandemque tempore a Deo constituto longe lateque diffunderetur? Id testatur vir integerrimus et ab omnibus probatus, celeberrimæ istius Epistolæ *Ad Fratres de Monte Dei* tamdiu sancto Bernardo addictæ autor, Guillelmus Abbas sancti Theodorici, qui universos Ordinis Cartusiensis professores, Fratrum de Monte Dei nomine, sic alloquitur eis congratulans de fervore antiquæ Religionis innovato :

Ep. ad Frat. de Monte Dei.

« Fratribus de Monte Dei, orientale lumen et antiquum illum in Religione ægyptium fervorem tenebris occiduis et gallicanis frigoribus inferentibus, vitæ scilicet solitariæ exemplar, et cœlestis formam conversationis. Occurre et concurre in gaudio S. Spiritus anima mea, et risu cordis in fervore pietatis, et in omni obsequio devotæ voluntatis. Quidni? Etenim epulari et gaudere in Domino oportet, quia Christianæ devotionis ac religionis speciosissima portio, quæ cœlos propinquius tangere videbatur, mortua erat et revixit, perierat de mundo et inventa est. Auditu auris audieramus, nec credebamus : legebamus in libris, et mirabamur de antiqua vitæ solitariæ gloria, et magna in ea gratia Dei; cum subito invenimus eam in campis sylvæ, in monte Dei,

Psal. 64. 13.

in monte pingui : ubi jam pinguescunt speciosa deserti, et exultatione colles accinguntur. Ibi enim jam per vos offert se omnibus, et in vobis se demonstrat, et ignota hactenus innotescit in paucis simplicibus, Ipso etiam vobis ingerente, qui in paucis simplicibus totum olim sibi mundum subjecit, ipso mundo mirante. » Hæc adhuc apertius declarantur in tractatu jam sæpe citato *de Origine et Veritate perfectæ Religionis*.

Ex Cod. Mss.

« Postquam deserta fuerunt a Paganis et a Saracenis occupata, periit et defecit illa tota observantia sanctitatis. » Et post pauca : « Verum est quod Camaldulenses ab illa prima observantia laudabili laudabiliter assumpserunt, quod in illo Ordine primo monachi intrantes, quinque annis exercerentur in cœnobio, et communis vitæ opera et officia exercendo, post quintum annum, si eis placeret, ad cellas soli-

tarias sitas ac semotas in montium solitudine convolarent. Sed ipsi ita sunt pauci...., ita etiam paucæ eorumdem cellæ vel eremi, quod pro modico reputantur..... Et ideo talis vita anachoretica ante adventum Ordinis Cartusiensis jam defecerat, et videbatur ex toto orbe penitus exulasse. Illi enim solitarii qui remanserant, erant et sunt de secta sarabaïtarum potius, quam de vero anachoretarum Ordine judicandi. In adventu vero Ordinis Cartusiensis prædicta vita anachoretica veraciter resurrexit. » Deinde pergit probare Cartusiensem Ordinem coalescere ex vita tum anachoretica, tum cœnobitica : sed de utraque infra dicemus. ANNUS 1084

II. Hinc fuit quod S. Bruno ab omnibus suis amicis magnus diceretur eremita, et inde laudatus sit post mortem in funebribus Titulis, ex quibus accipe testimonia. In Titulo Fratrum Fisciclensium Ordinis Vallis Umbrosæ vocatur « eminentissimus eremita ». Ecclesia S. Georgii Bajocensis inter cæteras laudes, has peculiares ei tribuit, nempe quod fuerit AB OMNIBUS VOCATUR EREMITA.

Flos eremitarum, lumen mirabile, clarum
Sydus Bruno Patrum, vigor, ordo, regula Fratrum,
Exemplarque viæ cœlestis, fonsque Sophiæ.

Et in Titulo Sanctæ Mariæ ejusdem urbis nominatur :

Strenuus et fortis conservator Monachorum,
Sanctorumque Patrum pius et clemens imitator.

Unde et Titulus sancti Hilarii Pictaviensis admonet, ut

Brunonis vitæ seriem spectent eremitæ.

Et in Titulo sancti Luciani Belvacensis, monachis ejusdem Abbatiæ sancti Brunonis interitum lugentibus dicitur :

Dux eremitarum, lux corruit Ecclesiarum,
Hunc Eremus plorat, quem quisque fidelis honorat.
Est enim dignus, quoniam fuit ipse benignus;
Nam mundum sprevit mundanaque cuncta reliquit,

ANNUS 1084

Exercens vitam, de se faciens eremitam.
Verus in æthereis eremita sit ipse choreis,
Vivens cum nostris hic fratribus attitulatis.

Sunt et alia ejusmodi in multis aliis Titulis, quæ eum tanquam eremitam et vitæ solitariæ instauratorem prædicant. Ipsi quoque Monachi Calabriæ in suo Titulo sic se inscribunt : « humiles eremitæ Calabriæ. » Quo etiam nomine prisci Cartusienses designabantur, ut constat ex variarum Domorum Cartulariis.

ORDO CARTUSIEN. INSTITUTUS AD COLENDAM VITAM CHRISTI ABSCONDITAM.

III. Aliud præterea Dei consilium in Cartusiensis Instituti fundatione facile est animadvertere. Sicut enim divina Providentia tot diversorum Religiosorum familias eo videtur fine in Domo sua suscitasse, ut diversos Verbi incarnati status certatim repræsentent et venerentur : alii ejus infantiam, alii ejus paupertatem, quidam ejus inter homines conversationem et prædicationis labores, quidam ejus Passionis dolores, alii denique alia ejus vitæ mysteria; ita pie credimus Deum singulari decreto Cartusienses elegisse, qui Christum in diebus suis absconditum, et maxime per quadraginta dies vitam solitariam et asperam in deserto agentem, utcumque colerent et imitari adniterentur. In id divini consilii collimans Bruno, et ab ipso Deo instinctus, sibi suisque sociis duo præcipue in Christo admiranda proposuit et elegit : unum est vitæ austeritas ; alterum, arctissima solitudo. Ad hæc duo referuntur alia media, quæ sanctus Patriarcha suo exemplo, et post eum Guigo quintus Cartusiæ Prior suis scriptis nobis subministravere, ad facilius consequendum Propositi Cartusiensis verum finem : de quibus fusissime agitur Libro horum Annalium primo.

An institutus præcipue ad colendum S. Altaris Sacramentum.

Quidam pius sacerdos erga Cartusiensem Ordinem bene affectus, nuperrime tractatum edidit gallico idiomate inscriptum *Agneau Paschal,* id est Agnus Paschalis, in quo cæremonias explicat a Judæis circa Paschalis Agni esum olim observatas, quas in sensu mystico ad esum divini Agni in Eucharistia realiter sumpti docta solertia accommodat. Ut vero studii erga nos sui majorem nobis totique gallicano

ANNUS 1084

orbi daret significationem, ex variis tum novorum, tum antiquorum Statutorum, sed maxime Guigonis Consuetudinum locis conatur probare, S. Brunonem suum Ordinem in primis fundasse ac stabilivisse fide et adoratione sanctissimo Eucharistiæ sacramento debita. Ita ut finis ejus et scopus præcipuus fuerit suscitare ac renovare fidem hanc et venerationem erga illud augustissimum omnium Ecclesiæ mysteriorum, ex hæresi Berengariana quasi languescentem et imminutam. Hoc suum systema vir ille doctus, sive quispiam alius pro eo (nam ante sui libri editionem obiit), probari, suo zelo ita suadente, firmarique asserit septem usibus quos dicit in sancti Brunonis Regula contineri; sic enim vocat Consuetudines viginti quinque circiter annis post divi nostri Patriarchæ obitum a Guigone editas et compositas; unde non Brunonis, sed Guigonis Statuta sive Consuetudines merito hactenus appellatæ sunt.

Fatemur quidem sanctum Brunonem et ejus sequaces, nosque tantorum Patrum quantumvis indignos filios, speciali semper veneratione coluisse atque colere sacrosancta Christi Corporis mysteria; sed vix concedere possumus nostrum Institutum « primo ac per se », ut Scholæ verbis utamur, a Deo eum in finem S. Brunoni fuisse aspiratum. Aliud enim prorsus in Ordinis Institutione divinum fuisse consilium animadvertimus ex vitæ solitariæ Tractatus autore, et verbis nostri Bosonis superius relatis. Imo ex ipsis primorum Patrum usibus a præfato scriptore in suum sensum pie detortis, sole clarius apparet nihil omnino ejus sententiæ conferri; quin potius eam aliquando etiam evertant.

DISCUTITUR ANNUS FUNDATIONIS ORD. CARTUS.

IV. Antequam res hujus anni gestas ulterius recenseamus, quia Cartusiensis Ordinis exordium inter chronologos controversum est, necessario nobis est primo disquirendum quo anno id acciderit; ut hoc posito fundamento, cætera deinceps firmius tutiusque superædificentur. Quidam[1] scribunt Cartusienses ortum habuisse anno 1077; quidam[2] anno 1080 et[3] sequenti; alii annum[4] designant 1085; alii adhuc multo tardius[5] id referunt. Sed quia hi omnes fundati Ordinis

[1] Joan. Bront. in Chron. Angl.
[2] Fr. Modius in ordinib. Eccles.
[3] Monach. Antiss. in Chron.

ANNUS 1084

[4] Aym. Falco in comp. hist. Anton.
[5] Platina in Urb. 2.

tempus videntur non plane referre ad præfatos annos, cum dubie dicant circa hæc tempora Ordinem incepisse, ideo non est immorandum in eorum refutandis opinionibus. Sententia vero eorum qui annum ponunt 1082, facile conciliatur ex verbis nostri Anonymi suo loco in vita S. Brunonis relatis, quibus historia damnati hominis dicitur evenisse circa eumdem annum, licet S. Bruno non statim in Cartusiam se receperit. Gaufridus Vosiensis monasterii Prior in suis Chronicis; Autores etiam Chronicorum S. Martini Turonensis et S. Medardi Suessionensis; Joannes Frasquetus monachus S. Germani Antissiodorensis, in alio Chronico; et ex recentioribus, S. Antoninus, Schedelius, Trithemius, Nauclerus, Massæus, Papyrius Massonus et plures alii Chronicorum sive Annalium scriptores, Cartusiensium Ordinem anno 1086 exortum fuisse asserunt. Huic opinioni favens cardinalis Baronius eam Guigonis nostri autoritate fulcire studuit: « Cum, inquit, superius dictum sit ex ejusdem S. Hugonis vitæ actis, illum anno 1080 creatum fuisse episcopum Gratianopolitanum, post duos vero annos adiisse Cluniacenses, ibique moratum annum unum, inde ad episcopatum reversum in eo transegisse tres annos : plane invenies sexto anno a sua Ordinatione Brunonem cum sociis, hoc nempe anno 1086 petiisse Cartusiam. » Ex his apparet Baronium annos fractos, pro integris accepisse. Guigo enim ait Hugonem « necdum duobus post consecrationem expletis annis »; Baronius « post duos annos » factum fuisse monachum Cluniacensem. Apud Guigonem iterum legitur ad sanctum Episcopum, « tribus necdum in episcopatu, post monasterii reditum, completis annis, » Magistrum Brunonem accessisse. At Baronius habet eum in episcopatu post reditum jam « transegisse tres annos. »

Baronii opinio refellitur.

Baron. ad an. 1086. n. 17.

Ad an. 1084 revocatur.

Cum igitur ex illis mutilis incertisque annis certus calculus attingi non possit, relicta pariter hac posteriori sententia, nostrum sequimur Anonymum qui visionem sancto Hugoni in ipso primorum Patrum ad eum adventu factam, ad hunc annum refert sic scribens: « Anno Domini 1084,

episcopatus vero dicti episcopi Hugonis quarto, viderat dictus episcopus circa id tempus per somnium in eadem solitudine Deum suæ dignationi habitaculum construentem. » Scio in quibusdam apographis legi anno 1083. Sed in multis aliis, et in omnibus Ordinis Chronicis ex ejusdem Anonymi codice exscriptis, præsens annus designatur. Sigibertus aut quicumque ejus continuator, ad idem tempus nostri exordium instituti revocavit. Quidam Adamus apud Launoyum et Vincentius Bellovacensis annum notant regni Henrici vigesimum octavum, qui revera cum præsenti volvebatur. Idem cum præfatis sentiunt Philippus Bergomas, Paulus Æmilius et alii passim autores extranei. Nullus etiam quod sciamus ex domesticis scriptoribus aliam nostræ origini epocham tribuerunt. Quibus omnibus suffragantur versus de ortu Ordinis, quos in codice Majoris Cartusiæ vetustissimo legimus in hunc modum :

ANNUS 1084

Launoyus pag. 70.

Vinc. Bell. in spec. Hist.

Anno milleno cum quarto, si bene penses,
Atque octogeno sunt orti Cartusienses.
His ortum tribuit excellens Bruno Magister.
Consul hic inde fuit Papæ pariterque Minister ;
Hinc eremum petiit divino pneumate flante,
Et populos adiit Calabros, ubi vixit ut ante :
Et tumulatus ibi cum summa pace quievit.

Extant etiam lib. 5. de reb. gest. Franc. Paul. Æmil.

Sed majus his omnibus, quod nullatenus vocari potest in controversiam, proferimus testimonium ex Charta Domus fundationis Cartusiæ inferius excribenda, in qua distincte declaratur quod « præfata terra his terminationibus conclusa, a Magistro Brunone et ab his qui cum eo erant fratribus, cœpit inhabitari ac construi anno ab Incarnatione Domini MLXXXIV, episcopatus vero Domni Hugonis Gratianopolitani episcopi IV, etc. » Hujus Chartæ autoritate confirmantur præterea quæ superius in Vita S. Brunonis ante secessum annotavimus; nempe annos episcopatus S. Hugonis in actis hujus temporis, a die quo possessionem inierat numeratos fuisse. Cumque ibidem ostenderimus eum non ante novembrem anni 1080 ad Ecclesiam suam primum

ANNUS 1084

accessisse, hinc recte in præfato fundationis instrumento illius Pontificatus annus tantum designatur quartus. Præterea in Catalogo quatuor primorum Priorum Cartusiæ, autore nostro Guigone, S. Bruno dicitur « Eremum Cartusiæ rexisse sex annis », evocatusque ab Urbano II tandem defunctus esse « post egressum Cartusiæ undecimo plus minus anno » ; id est septemdecim et amplius annis postquam in solitudinem se receperat. Cumque obierit anno 1101 mense octobri, hinc rursum liquet Cartusiam ab eo et sociis ejus inhabitari cœpisse hoc præsenti anno. Quod ulterius probabitur ex dicendis anno 1090.

V. in vita ante secessum, num. XXXVIII

Circa festum S. Joan. Bapt. Cartusia inhabitatur.

Ordo itaque Cartusiensis ortus est anno millesimo octogesimo quarto quo, circa festum solemnitatis sancti Joannis Baptistæ, sanctus Patriarcha Bruno et sex ejus socii ex episcopio Gratianopolitano egressi ad Cartusiæ desertum, eos antecedente, comitante, et dirigente, ac in omnibus et per omnia adjuvante et de necessariis providente beatissimo Præsule Hugone. Idem temporis punctum noster Guigo exprimit in citato suorum Antecessorum Catalogo, ubi in Joannis quarti Prioris articulo annos a fundatione Ordinis ad obitum ejus elapsos sic resumit : « Colliguntur itaque a primo Magistri Brunonis anno, usque ad hujus Joannis ultimum, viginti quinque qui ante obitum ejus (qui est nonis octobris) circa Nativitatem S. Joannis Baptistæ complentur : tali quippe tempore a Magistro Brunone præfata cœpit Eremus habitari. »

Codex Maj. Cartus.

EJUS SITUS.

V. Ab urbe Gratianopoli quinque leucis communibus gallicis distat hæc Eremus, ampla quidem sed penitus tunc temporis inhabitata, solis feris pervia; hominibus et cæteris domesticis animantibus, propter loci asperitatem pene incognita ; altis et tanquam excisis hinc inde rupibus et scopulis circumvallata, infructuosis arboribus consita, admodum frigida et pro magna temporis parte nivibus operta, in cujus descriptione non est nobis immorandum, cum plenior accuratiorque habeatur in primo horum Annalium tomo. Eam quoque satis eleganter Sutor descripsit, quem lector consulat.

Hunc locum cum sylvis et rupibus adjacentibus, et quicquid juris in eis habebant, Siguinus Casæ Dei Abbas cum suo conventu, Humbertus et Odo domini de Mirabello, Hugo de Tulnone, Anselmus Garcinus, Bernardus Longobardus, et quædam matrona Lucia nomine cum quinque suis filiis sancto Brunoni gratis largiti sunt; eorum donationem laudantibus ac confirmantibus, et quidquid sui juris esse videbatur concedentibus jam sæpe dicto Episcopo et suis canonicis, ut latius patet in subjecta concessionis Charta.

ANNUS 1084

Sut. de vita Cart. l. 1. tr. 2. c. 17.

A quibus locus concessus.

Literæ Fundationis.

« Gratia sanctæ et individuæ Trinitatis misericorditer nostræ salutis ammoniti, recordati sumus humanæ statum conditionis et vitæ fragilis lapsus inevitabiles, quam sine termino ducimus in peccatis; bonum itaque judicavimus nos peccati servos de manu mortis redimere, temporalia pro cœlestibus mutare, æternam hæreditatem pretio perituræ possessionis comparare, ne duplici contritione conteramur et præsentis vitæ miserias, laborum et dolorum initium sumamus. Itaque Magistro Brunoni et his qui cum eo venerunt fratribus, ut Deo vacarent, ad inhabitandum solitudinem quærentibus, ipsis eorumque successoribus in æternam possessionem spatiosam Eremum concessimus, Ego Humbertus de Mirebel, una cum Oddone fratre meo, et cæteris qui juris aliquid habebant in prædicto loco. Ii vero sunt Hugo de Tulnone, Anscelmus Garcinus, deinde Lucia et filii ejus, Rostagnus, Wigo, Anscelmus, Pontius atque Boso, precibus et interventu matris eorum, Bernardus quoque Longobardus cum filiis suis, similiter et Domnus Abbas Siguinus de Casa Dei cum suorum fratrum Conventu, quicquid ibi juris habere videbantur supra dictis concesserunt fratribus. Ipsa vero, quam eis dedimus, Eremus hos habet ab Oriente terminos, etc. Si qua vero persona potens aut impotens hanc donationem infregerit, tanquam sacrilegii rea, ab omnipotentis Dei gratia et fidelium consortio separata, anathemate Maranatha feriatur; æterni ignis incendio, nisi digne satisfecerit, cum Dathan et Abiron et Juda traditore concremanda. Præfata quidem Eremus his terminationibus conclusa, a Magistro

ANNUS 1084

Brunone, et ab his qui cum eo erant fratribus, cœpit inhabitari ac construi anno ab Incarnatione Domini millesimo octuagesimo quarto, episcopatus vero Domni Hugonis Gratianopolitani Episcopi quarto. Qui videlicet laudat et corroborat hoc donum, quod fecerunt supra scriptæ personæ, cum omni Conventu clericorum suorum, et quantum ad se pertinet, quidquid sui juris esse videtur omnino concedit. Testes Wigo Decanus, Joannes de Podio et Rostagnus, Wigo de Lanz et Galterius Calnesius, Ricardus et Folcherius, Ado et Oldoricus *, Petrus et Sylvius, Umbertus et Galterius Buca, Petrus et Girbertus, Adalbertus et Aldeleus, Petrus et Acardus. Lecta est autem hæc Charta Gratianopoli in Ecclesia beatæ et gloriosæ semperque Virginis Mariæ, quarta feria, secunda hebdomada Domini Adventus, in præsentia prædicti Domni Hugonis Gratianopolitani episcopi atque Canonicorum suorum, aliorumque multorum tam sacerdotum quam cæterorum Ordinum clericorum celebrantium sanctam Synodum, quinto Idus Decembris. »

** Postea Ep. Diensis.*

Hæc Charta duas habet partes : prior quæ est donatio loci, et desinit ad hæc verba inclusive « cum Dathan et Abiron et Juda proditore concremanda », non notat diem neque annum. Pars vero altera, quæ continet Episcopi confirmationem et designat fundationis annum 1084, data fuit et lecta in Synodo Gratianopolitana, non quidem eodem anno sed aliquot post annis, ut colligitur ex annotata quarta secundæ hebdomadæ Dominici Adventus feria, quæ ibidem dicitur incidisse in quintum Idus Decembris. Hæc autem quarta feria secundæ Adventus hebdomadæ, ab anno 1084 ad annum 1101 quo S. Bruno decessit, bis tantum accidit die quinto Idus Decembris, annis videlicet 1086 et 1097. Cumque hujus donationis confirmatio post sancti Brunonis recessum tantum facta videatur, ut conjicere est ex his verbis « et ab his qui cum eo (Brunone) erant fratribus », hinc censemus eam esse datam et lectam anno 1097, quo quidem anno sanctum Hugonem celebrasse suæ Ecclesiæ synodum iterum reperimus ex alia Charta quam ibidem dabimus ; ubi et

causam detegemus, cur fundationis Cartusiæ Charta adeo tarde conscripta sit. ANNUS 1084

VI. Haud abs re fuerit aliquid de Fundatoribus sive Benefactoribus hic subtexere. Siguinus cognomine de Agno, vir illustris, Lugdunensi Castro Escotaiaco appellato oriundus, factus est Abbas Casæ Dei in Arvernia et diœcesi Claromontensi circa annum 1078, Deo et hominibus amabilis; spiritu prophetiæ a Deo donatus multa prævidit. Ejus religionis fama ad loca remotiora pervadente, Raynaldus Remensis archiepiscopus Nicasianum monasterium pristinæ observantiæ, a qua penitus delapsum erat, restituere volens Siguinum « pro merito sanctitatis compellavit », ut tantum opus in se susciperet, « et ex sua Congregatione fratrem ad præficiendum idoneum, aliosque in hoc ipsum cooperatores dirigeret »; quod quanto status spiritualis fructu præstiterit fuse satis describit Epitome Chronicon S. Nicasii Remensis. Eum etiam fortasse noster Bruno cum suis sociis apud Casam Dei convenerat, de novæ vitæ proposito, an a Domino probaretur, consulturus. Antequam enim Gratianopolim ad sanctum Hugonem accederet, « quemdam devotum eremitam (sive solitarium), in via visitasse pro via Domini ab eo experientius indaganda », scribit Henricus Calkar. Hunc tamen autorem de Siguino certo fuisse locutum haud omnino ausim asserere, cum multi ea tempestate viri sancti, ut fuere Hugo Cluniacensis, Robertus Molismensis et alii, intra fines Galliæ morarentur, quorum consilium de tanto opere exquireret. Denique Seguinus annis fere quindecim in pastorali Casæ Dei cura peractis, loci gubernationem alteri derelinquens Avenionem se recepit, ubi cum fama sanctitatis Idibus Julii defunctus sepulturam accepit.

FUNDATORUM NOTITIA.

De Siguino Abbate.

Gauf. P. Vosien. Chron.

Vita S. Rob. in bibl. nova Labbæi, p. 647 et seq.

Metrop. Rem. hist. to. 1.

De orig. et progr. Ord. Cart.

Catal. Abb. Casæ Dei in no. bibl. Labb.

Humbertus de Miribel, qui primus cum fratre suo Odone in præfatis fundationis literis nominatur, ex nobilissimo ortus genere, duos habuit filios, Bonifacium qui postea duas Curerias (de quibus suo loco) Guigoni Legislatori nostro concessit, et Petrum Humberti qui factus est monachus. Bonifacius duos etiam genuit filios, non solum illius bonorum

ANNUS 1084

V. an. 1129.

sed et pietatis hæredes. Hi vocabantur Amedeus et Humbertus, qui patris et avi donationes confirmaverunt, et nascenti Abbatiæ Calesiensi multa dederunt. Terra de Miribel non longe a Cartusiæ montibus posita, ab ipsa primaria Ordinis Domo modo occupatur. Hugo de Tulnone sive Tulvione, erat ex clarissima Boczoseliorum ac Moirencorum Dominorum familia, ex quibus Humbertum de Boczosel, Berlionem et Gaufridum de Moirenco juri quod in duas Curregias sibi vindicabant, in præfati Guigonis gratiam cedere videbimus. Anselmus Garcinus, post præfatum Hugonem in literis designatus, suorum in nos beneficiorum vestigia diu reliquit suisque transmisit posteris, ex quibus Joannes vir nobilis et liberalis tot majori Cartusiæ beneficia contulit, ut per totum Ordinem meruerit plenum cum Psalteriis Monachatum, sub die obitus sui qui fuit 15 octobris anni 1540.

Ex charta Capit. Gener. an. 1541.

Cujus memoria adhuc in benedictione est apud Cartusiæ monachos, in quorum Capitulo singulis diebus Dominicis commendatur. Bernardum Longobardum unum ex præfatis benefactoribus, virum fuisse potentissimum ac ditissimum discimus ex variis Cartulariis. « Bernardus Longobardus cum Amenchia uxore sua » mediam partem decimarum Imerii S. Hugoni episcopo concessit. « Bernardus Longobardus infans filius Bernardi Longobardi veteris » eidem Præsuli dedit « quidquid necesse ei fuerit in bosco qui dicitur Sappetas. » Ismido ejusdem Bernardi filius « fecit hominium » prædicto Episcopo ; et eodem tempore florebant Guitfredus et Bernardus Longobardi. De sancto Hugone sufficiat hic subjicere quæ noster Anonymus eadem occasione de eo sic scribit : « In hoc, inquit, quod eidem Brunoni tam venerabilis Episcopus et tam sanctus cum tanta reverentia sic ferventer et humiliter adhæsit, cum eodem vere dici potest et domus et Ordinis Cartusiensis patronus atque fundator, et quamvis non primus, tamen quodammodo præcipuus institutor. » Et hæc dicta sint de fundatoribus sive de primis Cartusiæ ac proinde totius Ordinis benefactoribus.

Ex 2. et 3. Cartul. Eccl. Gratianop.

Ex Cartul. Prior. de Domina.

Ex codice Montis Dei.

LOCUS CARTUSIÆ NOMEN DEDIT ORDINI.

VII. Ex loci vocabulo nomen toti Ordini impositum fuisse

ANNUS 1084

recte annotavit Baronius : « ex quo loco, inquit, et nomen accepere, ut Cartusiani Monachi dicerentur. » Hæc certe vera est nostræ appellationis etymologia, quam etiam diu ante Baronium expresserat Humbertus Ordinis Prædicatorum Generalis : « Cartusienses traxerunt hoc nomen a prima Domo Ordinis illius, quæ sita est juxta parochiam quamdam quæ vocatur Cartusiæ. » Noster quoque Sutor idem sentit, « tradunt simpliciter nonnulli a Cartusiæ Monte Cartusianam vitam fuisse vocitatam. » Sic enim plerique antiqui Ordines non ab autore, aut habitu vel a vitæ qualitate, ut multi postea fecere, sed a loco nomen assumpserunt : ut Cluniacenses a Cluniaco, Præmonstratenses a Præmonstrato, Cistercienses a Cistertio, et ita plures alii. Scimus varias a quibusdam Cartusiensi nomini dari etymologias, sed ita contortas ut penitus sint merito rejiciendæ. Utrum vero Cartusienses vel Cartusiani simus appellandi, utrumque ab antiquis usitatum est ; *Cartusienses* tamen ut plurimum dicimus, cum hæc appellatio tum apud nos, tum apud plerosque vetustiorum Autorum prævaluerit. « Nos alii, inquit noster Rifferius, qui Cartusiense Propositum suscepimus, a quo et Cartusienses nuncupamur. » Notandum obiter in fundationis literis et in antiquis codicibus, nomen *Cartusiæ* sine litera *h* scribi. Denique vel locus chronici S. Medardi Suessionensis, ubi fit mentio nostri Ordinis, mendose scriptus est ; vel hujus chronici autor proprium Cartusiæ nomen ignoravit cum scripsit « Catursiensis ». Nec unquam Cartusiæ villa in instrumentis accurate exaratis dicta est « Catorissium vel Caturissium » ut quidam vir alias doctissimus imaginatus est ; solaque fæx populi pro *Chartreuse* putidius exprimit *Chatrousse*.

Baron. ad. an. 1086.

Humb. Ord. Præd. de erudit. Prædicator.

Sut. de vita Cart. lib. 1. tr. 4. c. 2.

Ant. Stat. p. 2. c. 4.

Inter Valesiana nuper edita.

Præterea Baronius, loco citato, Cartusienses « Monachos » vocat, qua etiam appellatione nostri designantur apud Guibertum de Novigento, Petrum Cluniacensem et alios antiquiores. Et revera hoc nomine semper gloriati sumus, ut ex Chartis Capitularibus apparet. Nec immerito. « Cartusiani enim, ut observat Bellarminus, sunt vere Monachi,

Cartusienses sunt vere monachi.

ANNUS 1084

non autem simpliciter Religiosi. Nam differunt inter se Monachus et Religiosus. » Et postquam de etymologia disseruit, addit : « Ex quo sequitur proprie Monachos non esse, nisi eos Religiosos qui soli vitæ contemplativæ dant operam, quales sunt Cassinenses, Cistertienses, Cartusiani, Camaldulenses atque alii id genus. Quod intelligentes S. Thomas, S. Bonaventura et alii Doctores posteriores, non vocant Monachos Dominicanos, et Franciscanos et similes qui non soli contemplationi insistunt, sed in actione versantur..... sed Regulares vel Religiosos appellant. » Verum cum juxta S. Joannis Climaci effatum, ille vere « Monachus sit qui ita virtutibus affectus est, ut esset voluptatibus alius » ; hinc monachi definitionem cuicumque sancto Monacho vel Religioso, apte convenire posse credimus. Porro duo esse monachorum præcipua genera omnes norunt, alterum Cœnobitarum, Anachoretarum alterum. Utrumque statum in Cartusiensibus laudat et agnoscit citatus Humbertus Ordinis Prædicatorum, in quodam sermone his verbis : « Habent multa Cartusienses, in quibus differunt et præcellunt multas alias Religiones. Primum est in duplicitate Religionis. Cum enim sint duo genera, secundum beatum Benedictum, Religiosorum, scilicet Anachoretæ (sive Solitarii) et Cœnobitæ, qui scilicet vivunt in Congregatione sub obedientia. Isti habent utrumque. Habent enim cellas singuli, in quibus ducunt vitam solitariam pro tempore. Habent etiam certis temporibus convenire invicem in ecclesia, in refectorio et ad colloquia et hujusmodi; et sub obedientia unius Prælati viventes, ideo recte significantur per columbas, quæ morantur modo solitarie in foraminibus, modo cum aliis congregantur, etc. » Eadem luculenter ostendit noster Boso præfato Humberto coævus : « Quia eremetica vita, sicut dicit Bernardus*, erat speciosissima portio Christianæ Religionis, quæ cælos propinquius tangere videbatur, noluit divinæ Pietatis miseratio sic eam a sancta sua Ecclesia permittere exulare, sed sua mirabili sapientia eam resuscitare voluit, modo utiliori, honestiori, et perfectiori, quam etiam fuerat

Bellarm. de memb. Eccl. militant.

Joan. Clim. in scala Parad.

Vita Cart. ex Anachoretica et cœnobitica componitur.

Ubi supra.

Boso in tract. ms. de Orig. et verit. perf. Relig.

* *Sive autor Epist. ad Frat. de Mont. Dei.*

pristinis temporibus. Et idcirco Ordinem sanctum Cartusiæ divina misericordia invenit, in quo et per quem, et sub quo utraque vita, tam cœnobitica quam eremitica, reducta est ad suæ primariæ originis puritatem, et ad antiquam Institutionis Monasticæ sanctitatem. » Deinde prolixe describit quæ de utroque statu apud nos observantur, tandemque subdit : ANNUS 1084

« Patet igitur ex prædictis, quod vita Cartusiensis Ordinis composita est et compacta ex vita cœnobitica et vita eremitica, ex vita activa et contemplativa. Et vitando et declinando pericula, vitia et defectus, qui per se divisim consueverunt accidere in utraque, assumpsit et elegit virtutes, gratias et profectus, quæ boni Religiosi solliciti sunt acquirere seorsum et singulariter in utraque. Si quis enim seriose et diligenter inspiciat et attendat damna et pericula, quæ B. Basilius in Regula sua ostendit vitæ solitariæ imminere, et ea similiter quæ B. Bernardus in Epistola ad Monialem Trecensem ponit, et etiam alia quæ alii sancti ponunt, manifeste perpendet quod omnia illa pericula declinantur et excluduntur sufficienter, quantum est humanæ adinventioni vel fragilitati possibile, per modum vivendi qui in Ordine Cartusiensi observatur secundum ejusdem Ordinis Consuetudines et regularia instituta. » Hæc ille ; quæ adhuc fusius post eum et ex eo noster Sutor repræsentat in suo tractatu *de Vita Cartusiana*. Lib. 2. tr.3. c. 1. sub fin.

VIII. Sed nunc ad Cartusiæ montem revertamur, ad quem ubi primi Parentes pervenerunt, in ejus parte superiori, quæ nunc dicitur B. Mariæ de Casalibus, ecclesiam ædificarunt, et non longe ab ea parvas vilesque cellulas quinque cubitorum spatiis dispositas, uti legimus in vita B. Stephani Obazinensis, cujus autor de priscis Cartusiæ incolis loquens : « Habitatio eorum, inquit, montaneis hyematibus cingitur; cellulæ ipsorum quinque cubitis in se invicem disterminantur. » Hujus ecclesiæ, cellarumque, imo et totius loci situm satis accurate describit Guibertus de Novigento : « Ibi in arduo et admodum terribili promontorio, ad quod difficillimum et valde insolens iter intenditur, sub eo enim

CARTUSIA ÆDIFICATUR.

Extat lib. 4. miscell. Stephan. Bal.

Lib. 1. de vita sua, c. 11.

ANNUS 1084

præruptissimæ vallis vorago dehiscit, habitare deligens (Bruno) hujusmodi mores instituit..... Et ecclesia ibi est non longe a crepidine montis, paulo sinuatum devexum habens ..... Claustrum quidem satis idoneum pro cœnobiali consuetudine habentes, sed non claustraliter, ut cæteri, cohabitantes. Habent quippe singuli cellulas per gyrum claustri proprias, in quibus operantur, dormiunt ac vescuntur. »

Utriusque Claustri forma.

Ex his patet nostrarum habitationum formam, a primis Ordinis temporibus eamdem semper fuisse. Quod tamen Guibertus claustrum vocat, et nos majus claustrum nunc appellamus, ab antiquis nostris Patribus nomen cellarum vel galilearum tantum habebat, et a claustro distinguebatur. Unius namque claustri, quod parvum modo dicimus, meminit Guigo in suis Consuetudinibus, quod certe a cellis multum differebat. « Hac die (nempe Cœnæ Domini), post prandium sive post Mandatum, duorum sequentium Lectiones et Responsoria prævident fratres, tanquam usque ad sabbatum post refectionem ad claustrum non reversuri. » Et alibi : « Post nonam in claustrum convenimus de utilibus locuturi. » Cum vero dicit : « Ego relicta cella mea, claustro meo, etc. » tunc pro claustro intelligit clausuram sive septa Monasterii. In Statutis vero, tum antiquis tum novis, ubi legimus claustrum, non aliud intelligendum est quam minus, sive illud ubi colloquium tenemus. Majus vero per verba « cellarum vel galilearum », ut diximus, in antiquis Statutis designatur. Ibi enim declaratur ut Lector Capituli « antequam ingrediatur Capitulum, ostium Claustri (scilicet minoris), ostium Refectorii, ostium hospitii et ostium per quod ad cellas tenditur, claudere » debeat. « In galileis nullus ingreditur sine licentia. » Fratribus vero Conversis prohibetur « ne in galileis appareant quando conventus vadit, vel redit ab ecclesia » ad cellas suas.

Consuetud. Guig. c. 4.

Ibid. c. 7. et 10.

Ant. Stat. p. 2. c. 12. et p. 3. c. 28.

Hanc habitationum distinctionem S. Bruno videtur mutuatus ab illis antiquis Ægypti Monachis, quorum mansiones non multum nostris assimiles describit Nicephorus. Unde Joannes Langus in Notis ad præfati Nicephori historiam

Niceph. Call. hist. Eccl. lib. 11. c. 38.

observat : « Ægyptiorum monasteriorum speciem quamdam referre Cartusianorum domicilia. » In his cellulis S. Bruno et ejus socii, primo quidem cum pauci essent, singuli per singulas morabantur. At mox crescente eorum numero, qui ad Conversionem veniebant, aliquandiu bini et bini simul habitabant donec plures cellulæ, quæ novis incolis sufficerent, extruerentur. Tribus partibus sive membris, ut hodie, unamquamque cellam constitisse discimus ex libro Nigelli Cartusiensis ad quemdam Guillelmum, cui titulus *Speculum Stultorum,* et nostri Basilii temporibus exarato. Ibi autor Cartusiensium mores describens, cellarum formam et quid in eis agimus sic exprimit :

ANNUS 1084

Primi Patres singuli in singulis cellis habitant.

Ex Ms. cod. biblioth. Reg. Christinæ, notato 1349.

Quid si Cartusiam me convertendo revertar?
. . . .
Cella mihi dabitur quam solam solus habebo;
Nemo mihi socius, nemo minister erit.
Solus enim psallam solusque cibaria sumam,
Et sine luce meum solus adibo thorum.
Semper solus ero, cella retinente *trimembri,*
In quo continue pes meus alter erit.
Semper erunt præsto, pulmento conficiendo
In cella propria : ligna, legumen, aqua.

Non longe a cellis scatebat fons ille, qui adhuc visitur, cujus aquas noster Guigo per canales in ipsas cellas induxit. Eum etenim « aquæductus lapideos, labore mirabili et exquisitis ingeniis, fecisse » legimus in ejus elogio statim post illius mortem edito. Idem etiam testatur citatus Guibertus de Novigento, qui forsan locum inviserat, « Aquam autem tam haustui, quam residuo usui, ex ductu fontis qui omnium obambit cellulas, et singulorum per certa foramina ædiculis influit, habent. » Hunc fontem, referente Dorlando, sanctus Hugo episcopus Gratianopolitanus, suis precibus e rupibus eduxerat : cujus quidem miraculi nostrum Guigonem in ejus vita non meminisse non est cur miremur; cum probabile sit, ut annotant Bollandiani, Guigonem priorem tantum vitæ illius partem explevisse, alteram vero partem, quæ coruscantia ejus miracula debebat complecti, non attigisse

Fons cellis inducitur.

Ex ms. Mont. Dei.

Guib. ubi sup.

Dorland. in chron. lib. 2. cap. 8.

Bolland. in notis ad vit. S. Hug. Grat.

Lud. Richeo. lib. 1. Spir. pict. tab. 6. Sect. 7.

ANNUS 1084

morbis continuis et morte impeditum. Multa alia circa hunc fontem a quibusdam enarrantur, quæ cum nusquam scripta reperiantur, merito a nobis prætermittuntur.

S. BRUNO ET SOCII VESTEM MONASTICAM INDUUNT.

IX. Constructis cellis, vel etiam fortassis ante, S. Brunonem et sex illius socios sacra monastices vestimenta de manu sancti Hugonis episcopi suscepisse verisimile est. Eos vero credimus in his colorem album nigro prætulisse, ut hujusmodi colore, velut quodam puritatis symbolo, Beatæ Virginis Mariæ, quam in patronam sibi assumpserant, præcipuos se cultores profiterentur. Nec certe aliquid novi præsumptum fuit ab illis; cum plures monachos tum in Oriente tum in Occidente vestes candidas gessisse facile esset probatu. S. Pachomii discipuli, juxta Palladium, gestabant « pellem ovillam albam laboratam. » S. Patricius in Occidente super cætera indumenta, « cuculla candida amiciebatur, ut ipse habitus forma et colore, Monachatus sui speciem et candidatum humilitatis et innocentiæ repræsentare videretur. » Non tamen ab his vetustioribus Monachis, sed potius a Camaldulensibus haud ita prius ortis, colorem hunc nostri mutuati fuisse videntur; quos et paulo post nati Cistertienses etiam imitati sunt : hinc Petrus Venerabilis adversus eos non parum excanduit. Sed postmodum animadvertens fortasse, se non solum in Cistertienses, verum etiam in Cartusienses sibi amicissimos, Præmonstratenses et Camaldulenses stylum tacite distrinxisse, qui omnes albo colore utebantur, palinodiam cecinit, fassus ingenue ex vestium albedine aut nigredine, nihil pulchritudinis menti addi aut detrahi posse. « Et quis, inquit, unquam pastor, non dicam Deus, sed vel homo de velleribus ovium suarum discoloribus disputavit? » Hanc in colore vestium varietatem indifferenter accipiendam esse, docte post Abbatem Cluniacensem ostendit Petrus Blesensis, qui volens se purgare quod Monachos albos, Cistertienses videlicet et Cartusienses, nigris Monachis prætulisset, ad Abbatem Eveshamensem sic præclare scribit : « Christus divisus non est, sive in alba sive in pulla veste, in omni Professione et Ordine, in

Cur album colorem elegerint.

In vitis Patrum.

Vita S. Patric. apud Boll. 17. Mart.

Petrus Clun. Epist. lib. 3. Epist. 28.

Id. lib. 5. Ep. 16.

Pet. Bles. Ep. 97.

omni Gente, quicumque operatur voluntatemDomini acceptus est illi. Inter album et nigrum habitum non distinguit Ille, apud quem non est distinctio Judæi et Græci. Attendit mentem, non vestem ; merita, non colorem, etc. »

ANNUS 1084

Quæ sint vestimenta nostri Instituti.

Principaliora vestimenta per S. Benedicti Regulam monachis concessa admisit Bruno, tunicam videlicet et cucullam. Tunica albi passim coloris monachos omnes ante octingentos annos usos fuisse, justa fultus ratione credit Mabilonius. « Illam, cæteraque vestimenta a semipede terram tangere non debere », jussit Capitulum Generale sub Basilio Cartusiæ Priore. Et secundum Antiqua Statuta, « nec nimis longa, nec nimis brevia esse debent » : ita ut non defluant infra talos, ut etiam nunc videmus apud Matrem Cartusiam religiose observari. Et revera « trahere vestes ad summos usque pedes demissas, mundanum et superfluum, » maxime in monachis esse videtur.

De Tunica.

Mabil. in præf. secul. v. Bened. p. 40.

Charta Cap. Gen. circa 1155.

Stat. antiq. p. 2. c. 22.

Clem. Alex. in Pædag. lib. 2. c. 10.

DE CUCULLA.

X. Cucullam nostram eamdem esse putamus cum scapulari benedictino : constat namque ex scapulari et cucullo simul consutis, et a potiori parte nomen cucullæ accepit. Inter utrumque, nempe scapulare benedictinum et nostram cucullam, nulla est diversitas, nisi quod scapulare ex utroque latere a brachiis apertum est et divisum; nostra vero cuculla duas fasciolas, quas nostra Statuta *vittas* appellant, hinc inde circa renes utrique scapularis parti, anteriori scilicet et posteriori, conjunctas habet. Hanc formam non adinvenit Bruno, sed a quibusdam Benedictinis, vel etiam ab ipso sancto Monachorum Patriarcha Benedicto mutuatus est. Unde et hujusmodi vinculum aliquando a Nostris dictum est « Punctum Sancti Benedicti », ut ex Chartis Capitularibus discimus, in quibus cuidam Priori datur in mandatis, ut in pœnam cujusdam noxæ, « amoveri faciat de cuculla Domni Martini punctum beati Benedicti, quod est vitta quæ claudit partes cucullæ, sicut consuevit ab apostatis amoveri. » Quidam ejusdem S. Benedicti Ordinis Monachi, Congregationis videlicet Casalis Benedicti, hanc scapularis sive cucullæ formam cum fasciis etiamnum retinent. Et inter Canonicos Regulares

Mabil. ubi sup.

ANNUS 1084

Joan. Mauburn. apud Molin. de Canon. Regular.

sunt qui subtile, sive lineam vestem superiorem, « deferunt in formam longi et lati scapularis, sine manicis et in lateribus apertum; sed circa tibiam ad latitudinem palmæ, Cartusiensium more consutum. » Sub primis Ordinis nostri temporibus scapularia breviora quidem erant, sed multo latiora quam nunc sunt, vittasque habebant breviores et arctiores, ut animadvertere est in cuculla S. Antelmi Cartusiæ Prioris, et postea Bellicensis Episcopi, quam Portarum Cartusienses magna cum reverentia inter suæ Reliquias ecclesiæ custodiunt. Ejus capitium, sive cucullus, fere quadratus nostro paulo arctior est. Scapulare ejus ad cubitos defluens, latum est tribus unius ulnæ quadrantibus, cum nostrum, saltem in his regionibus Matri Cartusiæ vicinis, vix semi-ulnam passim habeat. Cum vero laterales extremitates propter hanc latitudinem facilius se contingerent, hinc vittæ brevissimæ erant et angustissimæ quæ, coarctatis scapularibus, necessario fuerunt postea dilatandæ. Hæc autem mutatio videtur orta, quando diurnus pellicearum usus abolitus est. Cum enim tunicæ non tantam habeant amplitudinem ac pelliceæ, nec tantam dimensionem in orbem colligant, superflua esset nunc illa cucullarum latitudo, quæ necessaria tunc erat ad circumplectendas pelliceas, et ad totum corpus cum brachiis post mortem involvendum. Mortui enim Monachi non tunica, ut modo fit, sed sola cuculla et cilicio induti, Conversi vero, quia caputia eorum et breviora erant et arctiora, cum tunica sepeliebantur. « Defunctus, inquit noster Guigo, abluitur, et induitur Monachus cilicio et cuculla, caligis et pedulibus; Laicus tunica et caputio, caligis et pedulibus. » Hincque patet Nostros reputasse cucullam esse proprium Monachi vestimentum. Denique præcipiunt nostra Statuta, ut « caputia cucullarum sint quadrata, nec duorum palmorum mensuram in latum excedant vel in longum. » Hinc fit ut necessario in acumen desinant, juxta formam quam caputia S. Benedicti habuisse contendit Haeftenus. Eamdem similitudinem habebat sancti Bernardi caputium, si Laurentio Benard credimus.

Cons. Guig. c. 13.

Stat. no. p. 2. cap. 1.

Haeft. in vit. S. Bened. c. 37.

Laur. Ben. de polit. reg.

Præter tunicam et cucullam S. Bruno pelliceam suis sequacibus indulsit, nec in hoc fuit Benedictinæ Regulæ contrarius, quæ licet hujusmodi vestimenti non meminerit, vult tamen ut « vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant, vel aeris temperiem dentur, quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus. » Quapropter inferius concedit « cucullam in hyeme villosam », sive fuerit de panno forrato vellere ovis, ut interpretatur Joan. de Turrecremata, sive de panno grosso, non tonso, ad ministrandum calorem contra rigorem frigoris. Mentem igitur S. Benedicti noster sapiens Patriarcha secutus est, cum « tantas inter nives, ut noster Guigo loquitur, et tam horrida frigora », quæ sæpe in Cartusia per sex et amplius menses sæviunt, pellicearum usum habitatoribus loci tam asperi præscripsit. Diu ante ejus tempora, hæc vestis fuerat monachis permissa in Occidente. Nam Concilium Aquisgranense statuerat, ut « unusquisque monachorum habeat pelliceas usque ad talos duas. » Prisci Cartusienses non solum in Majori Cartusia, sed etiam in cæteris Domibus eas diu noctuque super tunicas gerebant. De nocte non est ambigendum. Sed ex Antiquis Statutis idem de die colligimus : nam ubi agitur de pedum ablutione in die Cœnæ, legimus quod « Prior deposita pellicia..... intrat post Conventum, Procurator vero et duo de Laicis fratribus antiquioribus, depositis pelliciis intrant post ipsum. » Ergo pellicea et tunica, quæ tunc erat vestis interior, induti de die apparebant. Conversi quoque « ad ecclesiam sine caputiis cum quibus etiam mantellum ferant aut pelliciam, ire non poterant. » S. Hugo Lincolniensis Præsul, animum a laboribus quos in muneris sui functionibus subierat recreaturus, in Withamiensem Cartusiam se recipiebat, « ubi deposito pallio quo exterius utebatur in publico, pelles induebat arietinas; » et quidem super tunicam, ut paulo post ibidem dicitur. « Cilicio tegebatur ad nudum. Hinc tunicam in medio superinduto velabat pellicio. » Verisimillimum est tamen effervescentibus æstatis caloribus solitos eos fuisse hujusmodi indumentum deponere. Id

ANNUS 1084

Pellicea.

Reg. S. Ben. c. 55.

Turrecrem. in Regul. S. Bened.

Cons. Guig. c. 28.

Convent. Aquisgr. c. 22.

Stat. ant. p. 1. cap. 13.

Ibid. p. 3. c. 28.

Vita ms. S. Hug. l. 4. c. 20.

ANNUS 1084

enim ratio et necessitas postulabant, maxime in Italia, Hispania, et aliis regionibus quæ solis ardoribus magis flagrant. Id enim, saltem jam seculo decimo quinto, usu fuisse receptum conjicimus ex notula ad Majoris Cartusiæ Ordinarii, circa ejusdem seculi medium exscripti, marginem apposita, quæ sic habet : « ad vesperas per hebdomadam Pentecostes, non portamus pellicias, quod facimus in sabbato sequenti propter festum Trinitatis. » Sic sensim tum in locis æstuosis, tum in Majori Cartusia hæc consuetudo pelliciarum de die, tam hyeme quam æstate, gestandarum penitus inolevit. Imo soli fere seniores aut infirmi, hodie per noctem eis utuntur. Inde videtur lanearum interularum, sive, ut vocant, tunicellarum aut parvarum tunicarum ad carnem (supra tamen cilicium), usus apud nos circa medium quintum decimum seculum introductus, quem pluribus ante seculis jam laudatus Aquisgranensis Conventus monachis permiserat. Nam in quodam ejusdem Concilii fragmento historico legimus constitutum, « ut camisias duas et tunicas duas unusquisque monachorum habeat. »

Tunicellarum usus quomodo introductus.

To. 1. Anal. Mabil. p. 52.

CILICIUM.

XI. Restat ut aliquid de cilicio dicamus, cujus usum ab antiquis monachis orientalibus accepisse videtur noster Patriarcha. Nihil enim frequentius legimus in eorum vitis. Id S. Chrysostomus testatur : « illorum, inquit, in mentem veniat memoria sanctorum, qui ciliciis induebantur, Eremum habitabant. » Neque in hoc austeritatis genere occidentales monachi ab orientalibus se vinci passi sunt, ut infinitorum sanctorum exempla fidem faciunt. Imo si Arnulpho de sancto Emmerano credimus, S. Benedictus de veste intima sive indusio, quod tunicellam appellamus, nullam fecit mentionem in sua Regula, quia et illi et monachis suis cilicium erat tunicella. Ipseque Arnulphus narrat ejusdem cœnobii primordiis monachos in tanta egestate vixisse, ut « laneis camisiis uterentur ob penuriam cilicinarum vestium. » Unde concludit Haeftenus verisimile sibi videri « Cartusianos apud quos perpetua remansit continuaque vestis cilicinæ gestatio, id a nostris (scilicet Benedictinis) ut pleraque etiam alia

Homil. 70. in Matth.

Arnulph. lib. 2. de mon. Ben.

Haeft. t. 1. pag. 486.

ANNUS 1084

accepisse. » Ut ut sit, verum quidem est sanctum Benedictum in sua Regula non fuisse locutum de cilicio nec suis illud indixisse; sed non minus verum ipsum, sanctosque Maurum et Placidum usos fuisse veste cilicina ad corpus affligendum. Cassiani temporibus, quia cilicia ad laborem erant inhabilia et incommoda, communis eorum usus a Patribus restrictus fuerat, quo facilius laborarent, et tunica lanea pro supplemento concessa, qua jam ab antiquo tempore monachi omnes utebantur. At S. Bruno sibi et suis monachis continuum cilicii usum retinuit, cujus asperitas suppleret fatigationi et asperitati laboris manualis, quo alii monachi corpus affligunt. Nam ad opera dura et difficilia suos non adstrinxit S. Patriarcha, præcipiens jugem solitudinis et silentii intra cellæ metas custodiam ; sed quia sciebat scriptum : « multam malitiam docuit otiositas, in opera constitue eum » ; pro labore manuum, librorum scriptionem eorumque compactionem, membranarum opificia, sive pergamenorum, et coriorum rasuram et detersionem ad eorumdem librorum usum, et alias hujusmodi operulas solum præscripsit, ut inferius dicemus. Conversos vero ad ferendum cilicium non adegit S. Bruno, ob rationem quam superius ex Cassiano retulimus ; nempe quia cilicium ad laborem nimis est incommodum. Ipsi vero Conversi, ut patet ex Guigonis Consuetudinibus, per seipsos rusticationis opera cum magno labore et corporum defatigatione complere tenebantur.

Cilicii usus loco durioris laboris.

Cassian. lib. de Institutis, cap. 3.

Eccl. 33.

Librorum scriptio et compactio pro labore manuali.

Porro cilicium jugiter gerimus diu noctuque, sive vigilemus sive dormiamus; ita ut illud nunquam exuamus, nisi quando Prior jusserit propter gravem infirmitatem. Hæc potestas Priori concessa est per quoddam Capitulum generale circa annum 1225, Jancelino Cartusiæ Priore, celebratum : « De infirmis hæc providimus, ut Prior si expedire viderit, poterit dispensare erga eos in deponendo cilicium. » Quæ verba Rifferius suis Statutis postea inseruit. Nec novam tunc Patres concedebant indulgentiam, quam ab Ordinis exordio usitatam credimus. Idque conficiendum videtur ex vita S. Hugonis Lincolniensis, cujus autor narrans quomodo beatus

Infirmi cilicium deponunt.

Ex codice Maj. Cartus.

Ant. Sta. p. 1. c. 44.

ANNUS 1084

Vit. ms. lib. ultimo, c. 16.

Præsul in extrema ægritudine cilicium sibi eximi non sit passus, hæc habet : « Quia noveramus Cartusienses plurimum infirmis cilicia tollere ex consuetudine, dicebamus ei : Domine nimium vos lædit et exulcerat in continuis jacentem sudoribus hispida vestis hæc ; oportet vos illam exuere et ea, juxta morem Ordinis dum ægritudo infestat, penitus carere. Ad hæc vero ille : nolit Deus ; absit istud ut fiat. Non enim nos lædit, sed lenit vestis hæc. » Verum etsi infirmos cilicio exuamus, mortuis tamen restituimus, ut etiam post mortem, et usque ad tremendum Dei judicium pretiosa illa pœnitentiæ lorica armati appareant. Id jubet, ut jam diximus, suis in Consuetudinibus Guigo ; jubent et Antiqua Novaque Statuta, et strictissime quotidie observatur. Præter cilicium cum quo sepelitur defunctus monachus, altero cilicio, sive cilicino tegumento, feretrum debet cooperiri. Denique in die Parasceves crux ab omnibus adoranda in gradibus altaris super cilicium a Diacono collocatur.

Mortui cum cilicio sepeliuntur.

Ant. Stat. p. 1. c. 13.

Ordinar. Cartusien. c. 34.

PRIMORUM PATRUM EXERCITIA.

XII. His igitur novis armis, vestimenta dico monastica, instructi Christi milites, Bruno et socii ejus viri virtutis, quemadmodum prisci illi Ægyptii eremitæ, silentio, orationi, lectioni, meditationi, cordis puritati et rerum divinarum contemplationi maxime, vigiliis quoque jejuniis, aliisque austeritatibus vacare cœperunt. Et ne darent locum diabolo, certas etiam horas operi manuum deputarunt, præsertim scribendis libris incumbentes, tum ut suæ inopiæ consulerent quæ sub his initiis non parva erat, tum etiam, ut ne quam darent occasionem illis qui quærunt occasionem sanctum eorum Institutum calumniandi, quod nullam Ecclesiæ Dei navarent operam, sed suis duntaxat rebus studerent. Solent enim imperiti homines otiosos eos, et sanctæ Ecclesiæ parum utiles existimare, qui ab hominibus separati, soli Deo et sibi duntaxat vacent. Nesciunt enim illi, spiritualium rerum ignari et rudes, quantum possint apud Deum efficere preces sanctorum hominum, etiam in abditissimis solitudinibus commorantium, idque ob vitæ puritatem et innocentiam, quam facilius tueri possunt qui extra homines vivunt,

Sur. in vit. S. Brun.

Quis labor manualis?

ANNUS
1084

quam qui hominum turbis admiscentur, nisi sancta, ut id faciant, eos cogat obedientia. Unde quidam scribit « Cartusianos, velut novas cohortes prodiisse in campum, et animas plurimorum de laqueis diaboli, in sanctam Domini libertatem, vel vita, vel voce, vel assidua ad Deum oratione asseruisse. » Attamen, qui Cartusianæ vitæ prima jecere fundamenta, nihil tale sibi tribuentes, etiam libris scribendis operam dare voluerunt, et ut sui successores id facerent, præceperunt. Id ipsum præclare noster Guigo : « Libros tanquam sempiternum animarum nostrarum cibum cautissime custodiri, et studiosissime volumus fieri; ut quia ore non possumus, Dei verbum manibus prædicemus. Quot enim libros scribimus, tot nobis veritatis præcones facere videmur, sperantes a Domino mercedem pro omnibus qui per eos, vel ab errore correcti fuerint, vel in Catholica veritate profuerint; pro cunctis etiam, qui vel de suis peccatis et vitiis compuncti, vel ad desiderium fuerint cœlestis patriæ accensi. » Hæc videtur Guigo legisse apud Cassiodorum, qui similia de hoc sacro exercitio pulchre et eleganter scripsit.

Possevin. in Biblioth. Selecta. lib. 2. c. 59.

Sur. in Vita S. Brunonis.

Vacant librorum scriptioni.

Constit. Guig. cap. 28.

Lib. Instit. divin. litt. c. de antiq.

Alter Guigo, Prior etiam Cartusiæ, quadraginta circiter annis post magnum Guigonem, hujusmodi artem primum ac præcipuum Cartusiensis monachi opus appellat, et ad illam colendam virum omnem solitarium sic adhortatur : « Quod si quæris cui debeas operi insistere, breviter respondemus tibi ut videlicet illi insistas, quod ut ei insistas a tuo tibi fuerit Priore injunctum. Porro si ita providerit Prior, unum est cui in operatione specialiter intendere debes; ut scilicet exscribere discas (si tamen addiscere potes), et si potes et scis, ut scribas. Hoc quodammodo opus immortale est; opus, si dicere licet, non transiens sed manens ; opus utique, ut sic dicamus, et non opus ; opus denique quod inter omnia alia opera magis decet viros religiosos literatos. » Hanc igitur non satis laudandam occupationem pro manuali labore, ut diximus, S. Bruno nobis assignavit ; in quibus vero exercitiis præcipue consistat, idem citatus autor sic describit : « Semper viri religiosi, qui tamen literati sunt, prout eis posse corporalis sanitas admi-

De quadrip. exerc. cellæ. cap. 36.

ANNUS 1084

nistrat, cum ab oratione, lectione, meditatione vacant..... libris utique vel præparandis, vel conficiendis, vel ligandis, vel emendandis, vel ornandis, vel illuminandis, vel intitulandis, vel iis quæ ad ista pertinent ordinandis, faciendis et perficiendis, sollicite attendere debent. Et cum hoc in omni Ordine decens et congruum sit, sed magis in Ordine nostro Cartusiensi. » Quapropter Guigo Legum nostrarum primus scriptor cuncta instrumenta, quæ ad hæc recte perficienda sunt necessaria, unicuique monacho tradi vult. Hancque

Cap. 28.

statim rationem tradit : « omnes enim pene quos suscipimus, si fieri potest, scribere docemus. » Et ut ostendat Ordinis nostri professores ad aliud magis arduum et laboriosum opus non teneri, nullam de aliarum artium instrumentis facit mentionem ; sed tantum addit : « Quod si forte frater alterius artis fuerit, quod apud nos raro contingit..... habebit artis suæ instrumenta convenientia. » Noverat enim vir sanctus corporis vires non minus atteri jugi silentii et solitudinis custodia, quam laboris manualis contentione ; quod superius

Ibid. cap. 14.

declaraverat his verbis : « nihil laboriosius in exercitiis disciplinæ regularis arbitramur, quam silentium solitudinis et

Ibid. cap. 7.

quietem..... Quamobrem tota hebdomada in cellis silentium tenemus.... ubi singulis diebus ferialibus, a Tertia usque ad Sextam hyeme, et a Prima usque ad Sextam æstate, manuum

Ibid. cap. 29.

deputatur operibus ; » nempe scriptioni et aliis circa hanc artem necessariis occupationibus, « quæ tamen opera brevibus volumus orationibus interrumpi. » Sicque soli in cellis laborabant ; licet aliquando plures uni operi ex præcepto

Ibid. c. 32.

vacare possent, totusque « Conventus ter trinis diebus in anno exibat ad opus manuum, » ut etiamnum facimus. Quibus vero operibus tunc vacabant, non designant Statuta ; sed eidem laboris generi eos præcipue incubuisse conjicimus ex

Ex cod. Maj. Cart.

quibusdam Glossis sive Commentariis, ad eadem Statuta additis, in quibus ad citatum articulum hæc nota apponitur : « Illi qui habent licentiam generalem operandi cum aliquo, ut juvare Sacristam, corrigere libros vel quodcumque aliud opus facere, propter hoc non possunt exire cellam diebus

ANNUS 1084

abstinentiæ deputatis. » Porro sub regimine Jancelini sancitum est, ut « qui scribere sciunt et possunt et nolunt, moneantur a Priore; et si emendare noluerint, puniantur. » Hæc tum antiquis, tum recentioribus Statutis inseruntur. Sciebant enim primi nostræ professionis autores, cœterique post eos Statutorum conditores, librorum scriptionem inter præcipuos labores ab antiquis monachis annumeratam fuisse. A sancto Chrysostomo discimus monachos post completum Orationis Officium, scribendis libris studium et operam dedisse. Sanctus quoque Hieronymus docet libros esse scribendos « ut et manus operentur, et animus lectione satietur. » Et in monasterio quod S. Martinus extra civitatem Turonensem construxerat, « ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur. » Quædam etiam Regulæ eamdem artem imperant. Quam copiosam bibliothecam monachi Fontis Avellani eodem labore sibi comparassent narrat Petrus Damianus. « Verum, ut noster Dionysius loquitur, quo exercitium istud majus est spirituale, laboriosum, studio et negotio plenum, eo mihi videtur salubrius, sive accommodatius ad mortificationem sensualitatis et carnalium desideriorum. Fecit etiam me libentius manere in solitudine. » Idque alibi profitetur se didicisse a S. Hieronymo, cum quo super illud Psalmistæ, « ut mitiges ei a diebus malis », discamus et nos scientiam et exercitationem de Scripturis non solum tractandis, sed excribendis « mitigare, nobis solitariis, dies malos. »

S. Chrysostom. homil. 14. in 1. ad Tim.

S. Hieron. epist. ad Rust.

Sev. Sulpit. in vita S. Martini.

Pet. Dam. opusc. 14.

Dionys. Cartus. opusc. de meditat.

Ex hac in scribendis libris assiduitate, locupletissima apud Cartusiam brevi tempore instructa est Bibliotheca, ab ipsis coævis autoribus celebrata. Et licet primi Patres arctam servarent paupertatem, librorum tamen abundantia ditescere non erubescebant. Id nos docet Guibertus de Novigento, loco tam sæpe citato : « cum, inquit, in omnimoda paupertate se deprimant Cartusienses, ditissimam Bibliothecam coaggerant : quo enim minus panis hujus copia materialis exuberant, tanto magis illo qui non perit, sed in æternum permanet, cibo operose insudant. » Hac sancta moti ratione

ANNUS 1084

pretiosa a Comite Nivernensi sibi missa munera repudiantes, boum tergora et pergamenta plurima, ab eodem benefico Principe retransmissa, libenter acceperunt. Haud diu post Petrus Venerabilis de Institutionibus Cartusiensium scribens, ejusdem exercitii meminit his verbis : « singulares cellas perpetuo inhabitant, ubi silentio, lectioni, orationi atque operi manuum, maxime in scribendis libris, irrequieti insistunt. » Hinc illud prodiit laudabile librorum inter Cartusienses et Cluniacenses commercium, ut colligimus ex ejusdem Abbatis literis suis locis exscribendis. Sanctus Hugo Lincolniensis episcopus, antequam nomen suum nostro daret Ordini, veniens Cartusiam « considerabat tantam opportunitatem vacandi soli Deo, cui quoque negotio videbatur adminiculari præcipue prædives sanctorum librorum abundantia, legendi facultas pretiosa, orandi quies inconcussa. » Et ipse factus Cartusiæ Witamiensis Prior, « sacris codicibus sollicite acquirendis plurimam impendit operam. »

Vita Ms. S. Hugon. lib. 1. c. 7.

PRIMORUM PATRUM FERVOR.

XIII. His et aliis piis exercitiis Patres Ordinis Cartusiensis primipili se se occupantes, vitam duxisse prorsus angelicam absque dubio censendi sunt, sed ita absconditam, ut a nullo scriptore qui eos noverit, posteris revelari aut commendari potuerit. Qui enim de Cartusiensibus primum scripserunt, Brunone vix nomine designato ut jam observavimus, nihil aut fere nihil de privata illius ejusque sociorum vita referentes, in nostris Consuetudinibus solummodo depingendis, quales eas propriis oculis hauserant, vel in Guigonis Statutis legerant, suam orationem libere excurrere permiserunt. Nec ulla hujus silentii ratio alia esse potest præter humilitatis virtutem, qua primi Patres cuncta opera sua occultare studuerunt. Ita ut Petrus Cluniacensis, cujus verba jam non semel citavimus, testetur eos vix aliquid ex suis operibus cuiquam prodere voluisse. Nec dubium tamen quin ab eorum excellenti sanctitate in cuncta nostri Propositi monasteria, illustria dimanarint virtutum exempla, quibus effectum sit, ut Cartusiensis Ordo priscum rigorem suum retinere semper visus est. Id de Patribus qui primo seculo vixerant,

testati sunt viri clarissimi. Guibertus de Novigento de eis narrat, quod « hi tanto cœptæ contemplationis fervore feruntur, ut nulla temporis longitudine a sua Institutione desistant, nec aliqua arduæ illius Conversationis diuturnitate tepescant. » Petrus Cluniacensis adeo extollit eorum in tenacitate primi rigoris perseverantiam, ut « inter omnes Europæ Monastici Ordinis professiones, professionem (nostram) multis aliis ejusdem Monastici Propositi sanctiorem et cautiorem esse velit. » Unde et ad quemdam scribens declarat, se « Instituta Cartusiensia universarum Religionum Institutionibus prætulisse, et a primis pene adolescentiæ annis sincero affectu sacrum Religionis nostræ propositum coluisse. » Hinc certatim autores alii suis illos laudibus ad cælum evehunt. Ita ut autor vitæ S. Godefridi non dubitavit dicere « illorum precibus et sanctorum meritis mundum constare videri ». Quippe qui « Angelicam degentes vitam, ut habetur in Chronico Mauriniacensi, supereminentissimæ Religionis et incomparabilis austeritatis viri erant, et Angelos in terra, Joannem Baptistam et Paulum Eremitam in deserto repræsentabant, » ut merito hanc Religionem, inquit Joannes Monachus, vel Laurentius Leodiensis, « florem mundi nomines, et hanc esse animal simile aquilæ in cœlum volanti jure pronunties. » Nec certe mirum si tantam nominis existimationem consecuti sunt ex tam altissima professione, « qui cælos transire, pares Angelis esse Angelicæque similes puritati » credebantur. Hæc tantorum virorum testimonia et præconia ideo exhibemus, et similia singulis nostri Ordinis ætatibus exhibebimus, non ut nos extollamus, sed ut humiliores effecti meliora semper sectemur charismata; lectorque Cartusiensis inde habens ob oculos quales fuerint Patres nostri, qualesque nos quotidie homines existiment, illorum filium non degenerem, nec eorum existimatione et laude se præbeat indignum.

ANNUS 1084

Guib. in ejus vita.

Petr. clun. lib. 2. de Miraculis.

Idem Epist. l. 6. Epist. 25.

Vita S. Godef. Ep. Amb. apud Surium.

Chron. Maurin. l. 2.

Hist. Episc. Virdun.

Ep. ad frat. de Mont. Dei.

AN ORDO CARTUSIENSIS DECIDERIT ?

XIV. Hic esset locus agitandæ quæstionis utrum vel quantum Ordo a primævo suo rigore desciverit, nisi satis superque illam R. P.* pertractasset in primo suorum Annalium volumi-

* *R.P. Generalis D. Innoc. Le Masson.*

ANNUS 1084

ne. Unum tamen lectores monitos voluerimus, nempe quosdam censuisse, si quid immutatum aut diminutum appareat circa antiquas Ordinis observantias, id factum fuisse jubentibus summis Pontificibus, qui pro sua paterna providentia et benignitate, qua Ecclesiam illiusque membra fovent et dirigunt, cum aliquid durius inter nos observari sibi visum fuit, id ad justam tum mentium tum corporum proportionem et capacitatem revocari mandaverunt. Quod quidem eos fecisse circa rigidiores abstinentias, quæ in pane et aqua ter in hebdomada olim fiebant scribit Henricus Calkar, loquens de Cistertiensibus, qui licet post Cartusienses orti, plus tamen incrementi acceperant quam isti; causam hujus nostræ sterilitatis affert nimium in abstinentiis servandis rigorem. De quo ideo ut aliquid remitteremus, voluit Ecclesia, ut ille asserit. « Crevit, inquit, Ordo Cartusiensis post Cistertienses in Domibus et personis, sed lente satis; et hoc propter nimium rigorem ab Ecclesia tamen mitigatum. » Idem testatur Wernerus Rolewinkius, agens de Ordinis initiis et illius « rigorositate », ut vocat, additque : « Verum quia propter nimiam abstinentiam paucis portabilis erat, et ne diu parvus maneret, postea ab Ecclesia moderatus fuit, nec unquam a sancto Proposito cecidit, singulariter a Sancto Spiritu præservatus usque hodie. » Hanc tamen exemptionem fatemur nulla niti Pontificia Bulla, imo abstinentiæ adhuc laudantur in Novis Statutis; quæ si vix ulli permittantur, non ideo censendus est Ordo aliquam capitalem admisisse a primo rigore solutionem. Nam ut recte observat Surius in S. Brunonis vita : manent esus piscium perpetuus, etiam in gravissima ægritudine, jejunia multa, prolixæ vigiliæ, diuturnæ preces et alia plurima carni sane non parum molesta, ut sunt strati durities, cilicii usus ad carnem perpetuus, solitudo austerior, juge silentium, et omnium quæ naturæ arridere solent perfecta abdicatio.

Henr. Calk. in tractatu ms. de orig. et progr. Ord. Cart.

Wern. in fascic. temp. ad an. 1084.

Quæ quidem omnia quamdiu cum fideli, humili ac discreto fervore observaverimus, veri erimus Cartusienses non solum nomine et habitu, sed et virtute ac perfectione ; parvi pen-

Semper obtrectatores passi sumus.

dentes hominum judicia, qui etiam hodie in nobis carpunt nimium rigorem, maxime circa privationem carnium. Hanc criticorum censuram semper experti sumus, etiam ab ipsa Ordinis fundatione, ut suo dicemus loco. Hujusmodi homines prævidebat, vel jam expertus fuerat noster Legislator Guigo, cum dicebat : « Ergo ego relicta mea cella, claustro meo.... propter gyrovagos gyrovagus efficiar ? Illi ipsi eant potius ut cœperunt, mundumque circumeant,.... Aut si urgent penitus ut eam ego, cessent ipsi faciantque quod ego facio, etc. » Eosdem censores indicat et corripit Guillelmus Abbas S. Theodorici, in Epistola ad Fratres de Monte Dei, quos docet obtrectatorum linguas contemnere : « sileant, inquit, qui in tenebris de luce judicantes, vos arguunt novitatis, ex abundantia malæ voluntatis. Ipsi potius arguendi vetustatis et vanitatis. Sed et laudatores et detrectatores semper estis habituri, sicut et Dominus. Laudatores præterite, et quod in vobis bonum amant, hoc in eis amate : detractores dissimulate et pro eis orate. »

ANNUS 1084

V. infra ad an. 1094.

Consuetud. Guig. cap. 20. n. 4.

XV. Denique hoc ipso fundati nostri Ordinis anno vel paulo ante, non sine quadam mira Dei providentia, natus est Guigo, ejusdem Ordinis futurus aliquando Legislator, apud S. Romani Castrum (vulgo *Romans*) oppidum ditionis et Diœcesis Valentinensis, non ita longe ab ipso Cartusiæ loco constitutum. Parentes habuit secundum seculi dignitatem claros et nobiles. Mater ejus viduitatis annos implens ad longum pervenit senium; et jam multos habebat annos in Cartusiæ Prioratu filius, cum pia mulier in vivis erat. Quæ cum aliquando, ut erat valde religiosa et viris religiosis ob pietatem addicta, ad S. Hugonem episcopum accessisset pro salutaris moniti captando consilio, cum eo quæ voluit et quantum voluit locuta est; non tamen ad filium Guigonem accessisse fertur, filio matri, ut par est credere, hanc licentiam denegante ob solitudinis et silentii tenacitatem. Ille nihilominus materni amoris non oblitus, a sancto Præsule Cartusiam paulo post pro more invisente, multa de illius statu percontatus est, et maxime num summa senectus eam

GUIGO PRIMUS CONSUETUD. ORD. AUTOR NASCITUR.

In vita S. Hugonis Gratianop.

ANNUS 1084

valde fregisset. At S. Hugo vir castissimus, paululum secum præmeditans, responsum dedit singulari oculorum continentia dignum, dicens nescire se utrum vetula esset an non. Traditus literis a parentibus, statim doctus evasit. Erat enim ingenio subtilis, memoria tenax, facundia admirabilis et in exhortando efficacissimus. Anno autem ætatis suæ circiter vigesimo tertio perosus rerum mundanarum, cum Ordinis Cartusiensium sanctimoniam audisset, factus est in Majori Cartusia monachus, sub Joanne Tusco Priore, quinque aut sex post sancti Brunonis mortem annis. Unde liquet quam graviter allucinetur *Agni Paschalis* autor supra laudatus, qui ut probet Guigonis Consuetudines veram esse ac primam S. Brunonis Regulam, hanc affert rationem, nempe illustrem hunc solitarium Guigonem fuisse sancti nostri Patriarchæ socium. Quod autem Guigo natus sit tantum circa hæc tempora, id eruimus ex veteri quinque primorum Cartusiæ Priorum Chronico, ab ipso Guigone inchoato et post ejus mortem absoluto. Ibi enim dicitur obiisse anno a nativitate sua quinquagesimo circiter quarto, et ab exordio Cartusiensium quinquagesimo tertio.

In admonition. ad Tractatum Agni Pasch. num. 2.

JESU CHRISTI

ANNUS 1085.

Gregorii Papæ VII	Ord. Cartus.	Brunonis Patriarchæ
Ann. 13.	Ann. 2.	Ann. 2.

I. REDEMPTORIS nostri annus millesimus octogesimus quintus Indictione octava sequitur, quo S. Hugo episcopus Gratianopolitanus primum novæ Eremi Cartusiæ ædiculam, suis et S. Brunonis curis ædificatam, ritu consueto consecravit circa mensem Martium, ut conjicimus ex vita B. Stephani Obazinensis, qui venit ad Cartusiam ipsa Dedicationis die anniversaria; cum « illis fere diebus, » ut ibi legitur, infando nivium casu, de quo suo loco, plures e nostris extincti fuissent. Cum vero istud infortunium ultima Januarii die acciderit, et paulo post Dedicationis festum celebratum sit, hinc colligimus solemnitatem hanc circa Martium fuisse factam. Recentem illam ecclesiam sanctus præsul Hugo dicavit sanctissimæ Deiparæ Mariæ, sanctoque Joanni Baptistæ, quos primi nostri Ordinis Autores, non casu sed de industria quæsitos, sibi et successoribus suis adoptaverunt in speciales patronos. Nec sine causa quidem : cum enim Cartusiense Institutum, ut diximus, ex eremitica vita simul et cœnobitica constet, nec non ex activa et contemplativa conflетur, quamvis ad contemplativam magis propendeat; congruum fuit patronos eos assumere qui vitæ utriusque professores, vel simul vel divisim, extiterint. Maria igitur mater Jesu, quæ utramque vitam perfecte adimplevit, cum circa puerum Jesum Marthæ partes obiit, et Mariæ partem optimam simul cum Deo an-

PRIMUM CARTUSIÆ TEMPLUM CONSECRATUR.

Ex Mss. Cartus. Mont. Dei.

Vita B. Steph. Ob. to. 4. Miscell. Bal.

Cur B. Mariæ et S. Joanni dicatum?

Sutor de vit. Cart.

S. Maria Patrona Ord. Cartus.

ANNUS 1085

gelice vivens, maxime post filii Ascensionem perfectius adhuc sectata est, non immerito in Patronam a Cartusiensibus primis inter omnes Ordines electa est. Idem ad Cartusiensium imitationem Cistertienses paulo post præstiterunt : aliquam tamen in hoc sibi arrogantes prærogativam. « Eo quod, inquit Angelus Manriquez, Cistertium Mariæ soli adhæsit, nullo alio in patronum sibi assumpto; Cartusia vero Virgini Baptistam copulavit, eoque quasi minus propria Maria fuit. » De primatu minime disputamus, cum Mariæ protectio utrique Ordini, imo et orbi universo sufficere possit, illamque prior colat qui humilius ferventiusque colit.

Manriq. to. 1. Annal. Cister.

Ad Mariæ itaque honorem sanctus noster Patriarcha suam Cartusiam, et geminas, tum Cartusiæ, tum calabrinæ eremi ecclesias dicari voluit. Quod sane quantum postea primis Patribus et toti Ordini proficuum fuerit, in sequentibus attingemus. Hanc S. Brunonis in beatam Virginem pietatem, eo ipso quo obiit anno, Lambertus sancti Nicolai Andegavensis abbas in suo Titulo commendavit his versibus :

Nullus amor vel honor nocuere Deum sitienti,
  Sed quærendo Deum fugit in exilium.
Exul erat patriæ, loca, præsidiumque Mariæ
  Obtinuit, cujus filius ipse fuit.
Felix exul erat, quem Virgo Maria recepit.
  Hæc sibi refugium præstet et auxilium.
Fiat ei portus, cujus fuit integer ortus.

S. Joannes Baptista, alter patronus Ord. Cart.

Sacer quoque Christi Prodomus et Baptista, qui primus sub Novi Testamenti gratia eremum incoluit, inter anachoretas primarios Primicerius et Dux, merito a nostris ex vitæ et conversationis similitudine in patronum adlectus est; ad cujus venerationem omnes ecclesias suas Cartusienses dedicant, ejusque nomen exprimunt in suis suorumque professionibus; nec propterea Mariæ patrocinium ex Joannis patrocinio imminutum hactenus sentiunt.

QUI PRÆTEREA SANCTI A CARTUSIEN. PRÆCIPUE COLANTUR.

II. Post beatam Mariam Virginem et Joannem Baptistam, inter alios sanctos, quos Ordo Cartusiensis a suæ fundationis initio præcipue colendos suscepit, primum locum obtinent

SS. Antonius et Benedictus. Antonium quidem maxime delegerunt primi Cartusienses, velut vitæ eremiticæ Institutorem et Patrem, et eo libentius, quod illius Reliquiæ in has regiones translatæ fuerint, circa idem tempus quo S. Bruno eremum Cartusiæ cœpit incolere, ut discimus ex autore vitæ sancti Hugonis Lincolniensis, qui ejusdem beati Præsulis iter ad sanctum Antonium describens, de tempore translationis hujus eremitarum Principis sic loquitur : « Perlatus est autem insatiabilis hic solitudinis amator et inhabitator a Constantinopoli ad illius deserti regiones, circa id temporis quo viri doctissimi, et quod pluris est in Sancta Religione præcellentissimi, Magister Bruno cum collega suo Lauduino, et aliis quinque electissimis ad spirituale tirocinium commilitonibus eorum, in montibus vicinis sacra Cartusiensis Ordinis fundamenta jacere sunt aggressi. Qui more suo hæreticorum contubernia perhorrescens, Mahometiculas fugiendo, dilectam olim deseruerat Ægyptum, urbemque memoratam, qua se transferri permiserat, multa insignium miraculorum gloria aliquot annis decoraverat. Sed neque in istis beneplacitum erat ei, in quibus fermentum non uniforme, sed errorum plurimorum totam pene massam corruperat. Congratulans vero velut subitæ cuidam resuscitationi inolitæ sibi conversationis, perferri se disposuit in partes illorum, quos specialius in unitate Catholicæ matris Ecclesiæ edere noverat Pascha Dominicum in azymis sinceritatis et veritatis. Verum ne languidis ope sua indigentibus aut ipse deesset, aut solitarie degentibus ex confluentium multitudine importunus existeret, non præsentiam sui sed viciniam, dilectis sibi accolis eremi videlicet novis Cartusiensibus, condonavit. »

ANNUS 1085

S. Antonius.

Vita Ms. lib. 5. c. 13. sub finem.

Tempus hujus translationis ab Aymaro Falcone assignatur circa annum 1070, quam tamen longe ante factam probat Bollandus, agens de diversis earumdem reliquiarum translationibus. Sed forte iste Anonymus et post eum Aymarus Falco confuderunt tempus translationis earum Constantinopoli in Delphinatum, cum tempore quo primum cœperunt publice coli in parochiali sancti Desiderii æde. Primi igitur

Boll. in not. ad vit. S. Ant.

Aym. Falc. hist. Anton. part. 2.

ANNUS
1085

Ex Calend. Ms. Maj. Cart.

Ex chart. Cap. gen. an. 1282.

Cartusienses ejus festum sub ritu duodecim Lectionum celebrandum susceperunt. Sed post annos fere ducentos, jubente Capitulo generali, institutum est per totum Ordinem cum *Capitulo* ut vocamus, id est, cum vacatione a manuum operibus. Quantum vero sacris ejus lipsanis venerationem tempore Guigonis Nostri detulerint, suo loco referemus.

S. Benedictus.

Sanctum Benedictum cœnobiticæ vitæ in partibus Occidentalibus instauratorem multa cum veneratione semper coluimus : hancque adversus eum pietatem ab ipsis Ordinis nostri incunabulis, velut nobis a sancto nostro Patriarcha inspiratam, combibimus. Brunonem namque tanti Monachorum Patroni studiosum cultorem se exhibuisse, Monachi Clusini cœnobii in Etruria nos edocent in suo Titulo memoriæ Brunonis inscripto, in quo hæc legimus : « Clusinum collegium satis humile et exiguum, pro Brunone Religionis socio insignisque fidei magistro eximio, ac suis orationibus in vita *sanctissimi viri Patris nostri Benedicti dedito,* mœrens se fore destitutum tanti viri solatio dietim exorabit Dominum, etc. » Primis itaque Instituti nostri temporibus, ejus festum cum Capitulo celebratum est usque ad Elizarii Cartusiæ Prioris ævum, quo Capituli generalis autoritate constitutum est ut sub ritu quem solemnem sive *cum Candelis* vocamus, deinceps per totum Ordinem ageretur : quod piissime quotannis observatur et merito quidem, cum omnium monachorum Pater censendus sit, et nostri Ordinis Institutores ex illius regula cœnobiticæ vitæ accommoda quædam desumpserint, maxime ea quæ circa divinum Officium versantur. Quamobrem Robertus de Monte agens de Cartusiensium origine ait : eos « Instituta nocturni et diurni Officii secundum Regulam sancti Benedicti persolvere. » Et Guigo noster in suarum prologo Consuetudinum dicit : quod « in divino Officio cum cæteris Monachis multum, maxime in Psalmodia regulari concordes inveniamur. »

Ex Tit. funebr. S. Brun.

Ex citato Calendar. Ms.

Ex charta Cap. gen. an. 1366.

Rob. de Mont. de abbat. et Abbatiis, c. 11.

AN CARTUSIENSES EJUS REGULAM SEQUANTUR ?

III. Non tamen ita stricte sancti Benedicti ritus observamus, quin in quibusdam ab eis discrepemus, maxime circa cærimonias tum Missæ tum divini Officii, circa Matutinarum

Lectiones, preces Horarum, cantus, Hymnos et alia hujusmodi, quæ partim recenset Cardinalis Bona, qui etiam fatetur Cartusienses « in cæteris Benedicti Regulam non agnoscere ». Haeftenus quoque Statuta nostra, quæ vere dici Regulam credit, a S. Benedicti Regula distinguit; et de Cartusiensibus loquitur tanquam ab Ordine Benedictino diversis: « ut eos omittam, inquit, qui sub Sancti Benedicti Regula Deo serviunt (qui potius unius Ordinis variæ Congregationes quam distincti Ordines censendi sunt), Ordo Cartusianus plurima a S. Benedicto mutuatus est, etc. » Quibus verbis aperte innuit Cartusienses, etsi plurima a S. Benedicto mutuati sint, non tamen sub illius Regula Deo servire. Et revera Ordines recensens qui S. Benedicti leges profitentur, nullam facit Cartusiensium mentionem. Idem censuit ante ducentos annos sanctus Antoninus ita scribens : « Post Benedictum omnes monachi Occidentis militant sub Regula beati Benedicti et ipsum habent in Patrem, exceptis Cartusiensibus qui habent speciales suas Consuetudines. »

ANNUS 1085

Bona, de divin. Psalm. c. 18.

Haeften. disq. Mon. l. 1. tract. 9. Lib. 2. tr. 2 et 6.

S. Antonin. vol. 2. part. Histor. Tit. 15. cap. 14.

Et certe cum Guigo primus Legifer noster dicat loco citato: « In Epistolis B. Hieronymi, vel in Regula B. Benedicti seu in cæteris scripturis authenticis; omnia pene quæ in Cartusia religiose agere consuevimus, contineri »; his verbis manifeste declarat Cartusienses specialem aliquam vivendi normam sibi præscripsisse, a cæteris Regulis diversam. Quamobrem Franciscus a Puteo, explicans illud nostri Raynaldi statutum, quo prohibetur ne professi in Ordine Cistertiensium et consimilium ad nos transeuntes possint habere aliquam obedientiam, declarat « quod per illud verbum *consimilium,* intelliguntur Monachi omnes qui militant sub Regula sancti Benedicti ». Quibus verbis videtur tacite Cartusienses a cæteris sancti Benedicti Monachis discernere, tanquam alteri Regulæ subditos.

Habent Regulam peculiarem.

2. part. Statut. nov. cap. 2. n. 9.

3. Compil. Stat. c. 4. n. 5.

Noster Boso contra eos scribens qui dicunt Cartusiensem Ordinem non habere Regulam, agnoscit etiam Statuta nostra ex diversis sanctorum Patrum scriptis esse composita : « Patet namque, inquit, in eisdem Statutis, quod illa quæ ibi

ANNUS 1085

scripta sunt, aut sunt de Regula B. Benedicti, aut de Epistolis B. Hieronymi, aut de Collationibus Patrum, seu de vitis Patrum, vel etiam de Libris Cassiani et aliorum sanctorum Doctorum Ecclesiæ. » Deinde cum multas recensuit Regulas, subdit : « Sed Ordo Cartusiensis nullam potuit assumere de his prædictis, quia omnes prædictæ Regulæ sunt, vel fuerunt, de vita communi et cœnobitica institutæ. De vita vero eremitica invenitur Regula laudabilis et devota a Petro Damiano stylo elegantissimo edita et digesta; sed nec illam potuerunt et noluerunt Cartusienses assumere, quia vita Cartusiensium, quamvis a majori et digniori parte sit eremitica judicanda, tamen est composita ex solitaria et communi. Et ideo omnino oportuit, cum nulla prius esset talis Religio, quod sibi facerent Regulam specialem. Quia secundum Regulas supradictas B. Augustini, B. Benedicti et aliorum suprascriptorum, Monachi vel Canonici simul habitare debent, simul comedere, simul dormire, et sic de singulis, sicut exigit vita cœnobitica et communis. Cartusienses ergo, qui pro majori parte anachoreticam vitam ducunt, et soli frequenter comedunt, et soli dormiunt, non potuerunt sumere regulam aliquam de prædictis. Sed sibi novam, sanctam, et rationabilem ediderunt, Sancto Spiritu inspirante, quam in eodem Spiritu operante sancta Romana Ecclesia, ex certa scientia perfectissime comprobavit; » ut alibi probabimus.

Ordo Cartusien. ab aliis differt.

Ex his et aliis quæ diximus supra, patet Cartusienses speciale quoddam vitæ Monasticæ genus assumpsisse, ac proinde Ordinem ab aliis Ordinibus diversum constituere in Ecclesia Dei. Verum quia in Officio divino, ut diximus, et in observantia vitæ cœnobiticæ (quam diebus festis maxime sectantur) satis cum monachis Benedictinis conveniunt, habitumque antiquis ejusdem Ordinis vestimentis (quoad formam) non parum absimilem gerunt, hinc sanctum Benedictum, ut suum, sicut et omnium Occidentalium monachorum Patrem semper habuerunt, ac dignos ejus sectatores tanquam suos fratres, sub ejus sanctissimi Patriarchæ labaro militantes, venerati sunt; de inita cum eis bonorum spiritua-

S. Benedictum ut Patrem colunt.

lium Societate gloriantes, maxime cum Cluniacensibus, et Congregationis sancti Mauri monachis, filiis tanti Patris dignissimis ejusque Instituti instauratoribus ; quos ideo Cartusiensis Ordinis Patres in consociationis literis ad eos scriptis sic alloquuntur : « Et quidem justum nobis hac in re vobiscum, tanquam cum fratribus, aut commilitonibus commune gaudium ; qui sub ejusdem sanctissimi Patris labaro militamus ; quique ab illius sapienti et religioso magisterio præcipua militiæ nostræ Cartusianæ jura, legesque accepimus, etc. »

ANNUS 1085

Ex actis cap. gen. an. 1632.

IV. Eodem anno die 25 Maii Gregorius Papa erecto adversus schismaticos Ecclesiasticæ libertatis tropheo sancte obiit, sedesque diu vacavit. Interea primi Patres asperam, quam ingressi erant viam, insistere pergentes, sanctiores in dies fiebant. At Bruno inter suos, quasi sol inter stellas fulgens fundamenta Cartusiensis Religionis inconcussa ponere studebat, verbis eos et exemplis præclare instituens. Eum porro in suæ familiæ institutione, duo tantum servorum Dei genera reperimus instituisse : alterum Clericorum, Laicorum alterum. Hæc distinctio habetur in Guigonis Consuetudinibus statuentis ut « Laicis ad conversionem suscipiendis ,id ipsum pene fiat quod et Clericis. » Nomine clericorum solos Monachos designari, sicut etiam hodie facimus ; laicorum vero vocabulo solos pariter Conversos indicari superius ipse declaraverat his verbis : « Quæ ad Monachorum pertinent consuetudines, prout potuimus explicatis ; ea quæ laicorum sunt, quos Conversos vocamus, Domino juvante dicamus. » Quibus ex verbis, et aliis earumdem Consuetudinum locis, liquido apparet fratres laicos per ea tempora apud nos a Conversis non fuisse distinctos ; nec unquam inter clericos admissos aut eorum claustro vel choro sociatos : imo constat eos suum claustrum sive dormitorium, suum chorum in ecclesia, ac denique suum pariter refectorium, quæ quidem omnia etiamnunc retinemus. Sed aliquot post Guigonis obitum annis, cum S. Antelmus Moniales Pratibajonenses in nostrum Ordinem aggregasset, cœpit status personarum in eo augeri et variari. Nam inter clericos admissi sunt Capellani

GREGORIUS PAPA OBIIT.

Bruno virtutibus fulget.

Sur. in ejus vita ex Dorlando.

Monachos et conversos instituit.

Cons. Guig. c. 73.

Ubi sup. c. 42. n. 1.

Ubi sup. n. 2.

V. infra ad ann. 1145 et 1173.

ANNUS 1085

et Redditi, inter laicos Donati et alterius generis Redditi; de quorum omnium institutione et extinctione suis dicemus locis. Monachi apud nos semper fuerunt cellicolæ, in monasterio soli residentes et ex claustro nunquam exeuntes, sicut Guigonis et nostris modo temporibus. Ab Ordinis fundatione nulla circa eorum statum facta est mutatio, nisi circa numerum, quem primis temporibus ultra tertium decimum augere fas non erat, nisi « talis aliquis unus, cujus utilitas et honestas videretur vix posse recuperari, misericordiam postulasset »; tunc enim « addebatur et quartus decimus ». In hoc numero visi sunt nostri Fundatores sanctum Benedictum imitatos fuisse, de quo S. Gregorius scribit, quod extructis duodecim Monasteriis, in iis statutis Patribus duodenos monachos deputavit. Hunc Cartusiensium Eremitarum numerum Petrus Cluniacensis, in epistola ad nostrum Guigonem et cæteros Majoris Cartusiæ Monachos, Apostolorum Collegio comparat : « Audita, dilectissimi, et vix credita numeri Apostolici, et cœlestis Collegii vestri tam subita et inopinata imminutione, fateor quasi in extasi raptus diu stupui. » Talem numerum et « mysterio et exemplo » a primis Patribus observatum fuisse Sutor scribit, quem lector consulat, apud quem leget rationes cur postea monachorum numerus a Patribus necessario augendus fuerit.

Ubi supra c. 78.

S. Gregor. 2. Dialog. c. 3.

Pet. Clun. Epist. lib. 4. Epist. 12.

Sut. de vit. Cart. l. 1. tr. 3. c. 4.

Neque ulli notabili vicissitudini obnoxius fuit Conversorum status, nisi quod eorum numerus, crescente Donatorum (qui eorum vices in multis supplent) numero, sensim in plerisque Domibus et Provinciis cœpit decrescere. Sexdecim in unaquaque Domo recipi posse Guigo statuerat. Rationem affert Rifferius in suis Statutis : « Quia de agricultura et de nutritura animalium potius quam de reditibus alienis vivere disposuimus, laicos in nostram societatem admisimus, qui agriculturæ et pecorum nutrimento et aliis corporalibus exercitiis, prout eis injunctum fuerit, diligenter intendant; sicut et clerici spiritualibus operam dare tenentur. Laicorum igitur numerus, quos Conversos nominamus, sexdecim statutus est. » Et sicut monachi qui scribere renuebant, pœnæ

Ubi sup. c. 78.

Ant. Stat. p. 2. c. 25.

subjiciebantur; ita, « et qui ex Conversis poterant et nolebant laborare, vino et pitantia carebant ad Prioris voluntatem; et si necesse erat, gravius puniebantur. » Hæc enim est differentia quæ Monachos inter et Conversos apud nos major reperitur. Illi mentem, hi corpus maxime exercent; illi cancellatis manibus divinis rebus vacant, hi manibus expansis terrenis incumbunt; illi demum cellæ solitudini dant operam, hi vero externis operibus occupantur. Aliqua præterea hos inter et illos discrimina ab eodem Sutore recensentur, sed minoris momenti ut hic mereantur annotari. Quoad victum Conversi plane sunt monachis similes, eamdemque a carnibus abstinentiam etiam infirmi strictissime servant.

ANNUS 1085

Stat. no. p. 3. c. 2.

Sutor. ubi sup.

JESU CHRISTI

ANNUS 1086.

Victoris Papæ III Ann. 1.	Ord. Cartus. Ann. 3.	Brunonis Patriarchæ Ann. 3.

VICTOR III ELIGITUR.

I. ANNUS sequitur Christi millesimus octogesimus sextus, Indictione nona, quo cum diu multumque laboratum esset a catholicæ partis Cardinalibus, ut eligeretur Gregorii Pontificis successor, tandem Desiderium Abbatem Cassinensem, tituli sanctæ Cæciliæ cardinalem, quantumvis reluctantem Cardinales una cum clero et populo Papam instituerunt ipsa dominica Pentecostes, nomenque Victoris imposuerunt.

Baron. ad an. 1086. Onuphr. Chron. Rom. Pontif.

An prævideri fundationem Cartusiæ.

Cum vero in his sanctis exercitiis, quæ superius exscripsimus, agerent Bruno et Brunonis comites, nec extra Gratianopolitanum districtum quisquam de illis recoleret, omnipotentem Deum, qui in Ordinis initiis Beatissimo Hugoni episcopo eumdem Ordinem sibi fore beneplacitum per stellas septem jam significaverat, illud ipsum præfato Romano Pontifici iterato significasse quidam pie credunt et scribunt. Narrant enim Summum Pontificem per somnium vidisse Deum suæ majestati in Cartusiæ solitudine habitaculum construentem. Id ei accidisse cum jam electus esset in Pontificem, videtur asserere Wernerus Rolewinckius. At Gaufredus Prior Vosiensis Ordinis S. Benedicti, qui diu ante Wernerum vixit, et a quo hic sine dubio mutuatus est quæ de hac visione recenset, revelationem hanc Victori adhuc monacho, sive potius Abbati Cassinensi factam vult. Sic enim loquitur : « Victor papa dum esset monachus Cassinensis, per

Werner. in Fascic. temp.

Gauf. Vosien. in Chron. c. 21.

somnium vidit Deum suæ dignationi in solitudine cartusiana habitaculum construentem, et dicitur quod spiritu prophetiæ pollebat. » Sed, ut verum fatear, Gaufredus hujus visionis Victori attributæ primus autor, Papam mihi videtur cum Hugone Gratianopolitano episcopo confudisse, et illi incaute adscripsisse quod apud nostrum Guigonem huic soli adscriptum legerat, iisdem, quibus ipse usus est, verbis; sic enim loquitur noster Guigo : « viderat (S. Hugo) circa id tempus per somnium, in eadem solitudine Deum suæ dignationi habitaculum construentem. » Hanc Gaufredi hallucinationem annotavit noster Sutor; sed non placent quæ ad eum cum Guigone conciliandum refert. Dicitur præterea Victor suis Bullis nostrum confirmasse Institutum. Sed fateor hanc confirmationem ignotam hactenus fuisse nostro Ordini, qui primum diploma Pontificium ab Urbano II se habuisse quondam gavisus est, teste nostro Bosone in epistola ad Clementem V suo loco exscribenda. Et Innocentius II nostri Guigonis Consuetudines approbans idem innuit, cum id se fecisse dicit « ad exemplar Prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Urbani, Paschalis, Calixti, et Honorii Romanorum Pontificum. » Cum igitur de Victore sileat, videtur Urbanum primæ hujus gratiæ nobis exhibitæ autorem agnoscere.

ANNUS 1086

Guigo in vita S. Hug.

Sutor de vita Cart. l. 1. tr. 3. c. 1.

V. an. 1311.

Inf. ad an. 1133.

II. Porro quod spectat Ordinis per Romanos Pontifices confirmationem, hic fuit lapis offensionis in quem multi malevolia pluribus seculis impegerunt, quorum levia nugamenta a Patribus nostris, editis de approbatione Ordinis nominatim operibus, confutata sunt. Scripserunt enim hujus argumenti opuscula Bonifacius Ferrarius Cartusiæ Prior, Jacobus de Interbuch Erfordiæ vicarius, Joannes quoque de Indagine; et præter eos qui scribentes opuscula de laude, exordio, et rebus gestis Ordinis, hanc quoque materiam intactam non reliquerunt, Petrus Sutor, in suo Tractatu *de Vita Cartusiana*, jam sæpe laudatus copiose agit de septuplici Cartusianæ vitæ approbatione, scilicet divina, synodali, seu ecclesiastica, juridica, pontificia, doctrinali ac rationali. Petreius in Notis ad Chronicon Dorlandi eamdem materiam docte perstringit,

AN ORDO CARTUSIEN. A SEDE APOSTOLICA SIT APPROBATUS.

Bohic. in Annal. Mss. Ord. Cart.

Sut. lib. 2. tr. 3. c. 2.

Petr. in c. 12. lib. 1.

ANNUS 1086

Gerson in Opusc. contra impugnantes Ord. Cartus.

sed omissis horum autorum testimoniis et argumentis ; nobis modo satis erit adversus hujusmodi contra Cartusiensium Ordinem blaterones Joannis Gerson protulisse testimonium, omni exceptione majus. Ait autem : « Adhuc plerique eosdem Cartusienses impugnant, quoniam primo non fuerit confirmatus eorum Ordo a Sede Apostolica. Est plane confirmatus, et sæpe ut patet in pluribus Privilegiis et ipsorum Statutis. Tamen demus locum huic objectioni, et sub paucis verbis dicamus sufficere ad confirmationem cujuscumque Religionis, Collegii, seu spiritualis Congregationis vitæ sanctitatem, hoc est in servitio Dei virtuosam perseverantiam, absque etiam approbatione Sedis Apostolicæ. Et hæc est approbatio seu confirmatio visibilis Spiritus Sancti, et ipsius unctio quæ docet de omnibus. Et hoc est quod dicitur Actuum cap. 5. « Si opus non est ex Deo, dissolvetur. » Neque Ecclesia primitiva, imo jam per multos annos adulta, his confirmationibus et approbationibus utebatur. Tandem Ecclesia videns confusionem in Religionum multiplicatione et hæresum pullulatione, strictius admovens manum tanquam mater sollicita, reprobavit omnes Religiones, Mendicantium quatuor exceptis, ne amplius aliqua nova Religio institueretur sine approbatione Sedis Apostolicæ. De Religionibus autem antiquis non legimus aliquam approbationem expressam Sedis Apostolicæ; sed eorum vitam sancta Ecclesia sciente et eis, ut viris sanctis et approbatis, communicante et multa et varia privilegia concedente, erat eorum plena confirmatio. Est autem Ordo Cartusiensis cæteris omnibus antiquior, exceptis Benedicti et Augustini Ordinibus. Fuit enim circa annos viginti ante Ordinem Cistertiensem, et per centum triginta annos ante Prædicatores, et Minores cæterosque mendicantes. »

Vide Conc. Lateran. sub Innoc. III. c. 13.

Joan. Azor. Instit. mor. p. 1. L. 11. c. 23.

Conveniunt omnes Doctores Ecclesiam olim, ante Romani Pontificis approbationem ex jure Canonico constitutam, consuevisse Religiosorum Instituta confirmare publica Episcoporum autoritate, aut communi usu et more. Ex sequentibus probabimus plures Summos Pontifices Statuta nostra confir-

ANNUS 1086

masse, dum Capitulorum generalium Acta et Ordinationes suis Bullis approbavere. Imo ipsas Guigonis Consuetudines ab Innocentio II confirmari suo loco videbimus. His autoritatibus unam tantum impræsentiarum rationem addamus a Sutore prolatam, quam efficacissimam quisque candidus lector judicabit. Sic igitur ratiocinatur : « Data est potestas, tam a jure quam a Summis Pontificibus, per privilegia Ordinis omnibus aliis Regularibus, etiam approbatæ Regulæ, transeundi ad Ordinem Cartusiensem. Sed absurdum hoc esset prorsus si Cartusiana Regula approbata non foret. Daretur enim potestas transeundi a probata ad non probatam, quod absurdum est sentire ; maxime cum in Concilio generali statutum fuerit, ut quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Porro illa Regula citra controversiam approbata censeri debet, quæ ex Regulis scriptisque probatis decerpta est atque conflata. Sed ita esse de Cartusiensi Institutione constat, ut pote quæ ex Regula Divi Benedicti, Epistolis S. Hieronymi, et aliis scripturis authenticis confecta est, quemadmodum Guigo noster asserit. »

Sutor ubi sup. c. 3.

C. ne nimia. 9. Extra. de Relig. Dom.

Guig. in Prolog. Consuet. Cart

JESU CHRISTI

ANNUS 1087.

Victoris P P. III Ann. 2.	Ord. Cartus. Ann. 4.	Brunonis Patriarchæ Ann. 4.

VICTOR III CONSECRATUR.

I. MILLESIMUS octogesimus septimus sequitur annus, Indictione decima, quo Victor Papa anno præcedenti electus, Romæ septimo Idus Maii consecratur; et paucis post mensibus Cassini decessit die 15 Decembris, cum prius monuisset ut Otto Ostiensis episcopus quamprimum eligeretur.

Baron ad hunc annum.

Plures fiunt Cartusienses, inter quos Lanuinus.

Eodem tempore, vel circa, sensim irrepente sanctæ Patrum primorum conversationis opinione, quidam attracti eorum exemplo in Cartusiam se receperunt, induto etiam habitu monachali, ex quibus unius tantum nomen et acta præclara usque ad nostra tempora pervenerunt. Hic est Lanuinus, natione Normannus in Gallia, vir literatus, defæcatæ prudentiæ et magnæ autoritatis, qui in se S. Brunonis virtutes (cui successit in regimine Calabriæ) ita expressit, ut quasi alterum Brunonem post Brunonis mortem, eum Summi Pontifices mirifice coluerint. Hunc cum aliis Majorem adiisse Cartusiam, et in ea vitam duxisse monasticam probabimus ex Rogerii comitis Calabriæ literis suo loco exscribendis, in quibus inter cætera de Lanuino et aliis hæc habentur : « Notum esse volumus..... a partibus Galliarum ad regionem istam Calabriæ sanctæ Religionis viros, Brunonem videlicet, et Lanuinum cum sociis eorum pervenisse, etc. » Cum ibi Lanuinus dicatur cum Brunone a partibus Gallia-

V. an. 1090.

rum in Calabriam venisse, satis datur intelligi non aliunde quam e Cartusia venisse.

ANNUS 1087

S. HUGO EPISC. ET GUILL. PRIOR S. LAURENTII IN CARTUSIA NOSTRORUM MOREM SECTANTUR.

II. Sic crescente apud Cartusiam S. Brunonis familia, sanctoque Hugone cum eis sæpissime conversante, assumpto in socium venerabili viro Guillelmo S. Laurentii Priore, cœperunt bini ob domiciliorum defectum habitare. Ad beatum igitur Præsulem revertentes, fervorem ejus desideriumque vitæ solitariæ, a qua pridem jubente Hugone episcopo Diensi avulsus fuerat, contemplemur, qui non contentus primis Patribus tot beneficia contulisse, jugiter inter eos studuit consistere. Quam reverenter porro se habuerit erga S. Brunonem, quam ferventer et exemplariter ibidem sit conversatus, a nostro Guigone accipe. Sic enim Hugonis vitam prosequitur : « Licet vero et prius divini amoris totus arderet incendiis, non aliter tamen ad disciplinæ cœlestis exercitia eorum exemplis et familiaritate inferbuit, quam si flammanti quis faci plures circumponat alias ardentes. Eratque cum eis non ut dominus aut Episcopus, sed ut socius et frater humillimus; et ad cunctorum, quantum in ipso erat, obsequia paratissimus : adeo ut vir venerabilis Guillelmus, Prior tunc S. Laurentii postea S. Theofredi Abbas, Magistro Brunoni etiam religiosa devotione non mediocriter alligatus, B. Hugonis contubernalis (bini quippe tunc per singulas inhabitabant cellas) apud Magistrum Brunonem non leviter conquereretur, quod pene omnia ad humilitatem spectantia intra cellam sibi præriperat officia ; et Episcopus non secum saltem ut socius, sed potius conversaretur ut famulus, non licere sibi, tristis asserens, ex servilibus operibus quicquam attingere, quæ juxta morem debebant per vices efficere ; eo sic cuncta sibi præripiente. »

Vita Ms. S. Hug. Grat.

Simul cum eis ut ultimi vivunt.

AN HABITUM NOSTRUM INDUERINT?

III. Ex his quæ modo ex Guigone recitavimus, existimarunt quidam utrosque, scilicet S. Hugonem et Guillelmum S. Laurentii Priorem, Ordinis Cartusiensis habitu donatos fuisse et ad nostra Instituta, relicta priori militia convolasse ; maxime sanctum Præsulem, quem multi ex Sigiberto decepti volunt ex Episcopo factum Cartusiensem; idque pluribus, sed

Petreius in notis ad lib. 2. Dorlandi.

ANNUS 1087

levibus probare conantur argumentis. Horum quidem opinio nobis arrisisset, nisi contrarium veritatem sincera fide scrutantibus occurrisset.

Guillelmus non induit.

Qui de Guillelmo S. Laurentii Priore id sentiunt, suam sententiam aliis non fulciunt probationibus quam verbis Guigonis superius exscriptis. At hi oculos habentes non viderunt. Nam etsi Guigo dicat Guillelmum cum B. Hugone in Cartusia aliquando degisse, nihil tamen de habitu, nihil de professione commemorat. Sed illius verba districtius prosequamur. « Vir, inquit Guigo, venerabilis Guillelmus Prior tunc S. Laurentii » (id est eo tempore, quo cum S. Hugone in Cartusia manebat), « postea S. Theofredi Abbas », scilicet anno 1134 quo Guigo S. Hugonis vitam scribebat. Quod manifestius in eadem historia Guigo exprimit, dicens : « Hoc a viro ætate et sanctitate reverendo, Guillelmo S. Theofredi nunc Abbate (cum scilicet historiam hanc scriberet) tunc monacho (quando illud quod ibi narrat perpetratum fuit) nos audivimus, qui beati viri per annos plusquam viginti comes extitit individuus. » Ex his perspicuum habes quomodo in Cartusia is Guillelmus erat beati Hugonis « contubernalis » vel, ut loquitur Sutor, « syncellita » ; cum nusquam de assumpto Cartusiensi instituto meminerit Guigo, qui hæc accuratissime noverat ; nam quod supra vidimus, Willelmum hunc « Magistro Brunoni religiosa devotione non mediocriter alligatum » fuisse, hinc nodus omnis solvitur ; cum asserat hujusmodi habitationem in Cartusia devotionis fuisse, non professionis.

NEC S. HUGO.

Volat. l. 21. Antropol.

Pet. de Nat. l. 4. Catal. SS.

Sigib. ad an. 1084.

IV. Duplex est de sancti Hugonis cartusianismo sententia. Quidam, ut sunt Volateranus, Petrus de Natalibus et alii, scribunt illum ex Cartusiensi monacho factum Episcopum ; sed quam inepte id asserant, clarius sole patet ex his quæ hactenus de illo retulimus. Sigibertus, sive aliquis pro eo, et post eum Vincentius Bellovacensis, S. Antoninus, et plures alii non infimæ notæ volunt sanctum Hugonem ex Episcopo Cartusiensem effectum fuisse, et habitum nostrum a Brunone sumpsisse. Sed neque probabilior est horum sententia, cum

constet ex eadem vita, eum usque ad mortem onus pontificale sustinuisse. At Arnoldus Wion ut se se ab historicis his nodis liberet, dicit beatum Præsulem habitum Ordinis Cartusiensis sub episcopalibus vestibus gestasse. Sed, quæso, quid opus fuit habitum induere cartusiensem ei, qui jam cluniacensi apud Casam Dei indutus fuerat? Citat Arnoldus Wion Vincentium Bellovacensem, sed de vestibus occultis aut occultatis summum apud eum silentium, ut qui res sancti Hugonis non aliunde quam ex Guigone retulerit, ut ipse profitetur. Guigo vero nihil prorsus de nostro habitu ab Hugone suscepto loquitur. Verumtamen non ita facile Sigiberti Chronico, aut Wionis sententiæ fidem denegarem, nisi contrarium liquido demonstraretur ex antiquo certissimoque testimonio, quod in S. Hugonis Lincolniensis vita deteximus, ubi autor hujus sancti Præsulis coætaneus, verba faciens de benevolentia quam ille Sanctus solebat Cluniacensibus exhibere, addit : « Hoc autem arctioris erga istos (Cluniacenses) dilectionis studium, æmulatio S. Hugonis Gratianopolitani indiderat ei. Hic enim beatus Episcopus, præcipuus olim adjutor et informator eorum qui provide ac sanctissime Ordinem Cartusiensem primitus instituerunt, ab adolescentia* sua hujus conversationis (scilicet Cluniacensis Ordinis) professor extitit et devotissimus observator. De quo verbum quod eleganter ab eo sæpius prolatum, ut a B. nostro accepimus Hugone*, illius scilicet et nominis et sanctitatis hærede, dignum duximus huic commendare historiæ. Cum enim habitu nigro idem Præsul inclytus et monachus eximius, nitidissimam mentis et corporis obtegeret sanctitatem, et e diverso Cartusienses in suo amictu nitescerent albo, a quibusdam illorum interdum dicebatur ei : Cur Domine Episcope, qui Ordinem nostrum tantopere jugiter fovere, et eum tot præcipuis illustrare documentis studuistis, qui et apud nos et inter nos, quasi unus ex nobis crebrius manere dulcissimum semper habuistis, nobis etiam, deposita amictus nigredine, in vestitus candore assimilari neglexistis? Ad hæc nobilis ille et carne et in Domino, voce non ignobili interioris sui status nobilita-

ANNUS 1087

Bohic. in Annal. Mss. Ord. Cart.

Wion in Martyrol. ad 1 April.

Vinc. Bell. l. 28. c. 8.

Vita Ms. S. Hug. Lincoln. l. 4. c. 9.

* *Potius a juventute.*

* *Lincolniensi.*

ANNUS 1087

tem declarans, aiebat : nunquam profecto cuculla ista, quamlibet pulla videatur, verecundiæ injuriam fecit mihi, et ego qua ratione repudii contumeliam facerem illi ? Et hæc quidem Sanctus de Sancto, Hugo de Hugone, ad ædificationem nostram qui ei candidis induto adhærebamus in schemate nigro, referre solitus erat. »

Cal. de ortu et progr. Ord. Cart. Ms.

Hæc ibi, quæ diu ante nos annotaverat Henricus Calkar, qui dicit se legisse in Magna Legenda S. Hugonis Lincolniensis « quod, cum primi Patres Cartusiæ animadverterent S. Hugonis Gratianopolitani in se tam benevolum animum, aliquando ei joco an serio, nescio, dixerunt : Quare Domine Episcope, qui omnia exercitia Cartusiensium imples, nostro habitu insigniri renuis, nigra cuculla inter cucullatos albos degens ? Quibus ille respondit : Noveritis, Fratres carissimi, cucullam hanc nigram, qua induor, nunquam mihi pudori fuisse ; quare ergo eam deponerem ? »

Hugo ut Cartusiensis habendus.

Etsi ex supra dictis convincatur S. Hugo Cartusiense labarum nunquam prætulisse, ipsum nihilominus quasi unum ex nostris habere debemus, sicut revera ut talis semper habitus est, et merito ; cum constet eum sæpissime omnia perfectissimi Cartusiensis exercitia implevisse dum in cellis moraretur. « In tantum autem, ut Guigo prosequitur, eremum Cartusiæ devotus incolebat et sedulus, ut eum Magister Bruno nonnunquam exire compelleret : ite, dicens, ite ad oves vestras, eisque quod debetis exolvite. Eo tempore, magno paupertatis et humilitatis ardore succensus, voluit equitaturas suas cunctas vendere, et diviso pauperibus pretio, propriis pedibus in prædicatione discurrere. Sed homo profundi cordis, Magister scilicet Bruno, cujus consiliis non aliter quam præceptis obtemperabat Abbatis, non consentit, timens ne aut apud se forsan extolleretur, aut a cæteris de singularitate judicaretur Episcopis; aut (quod dubium non erat) idipsum propter asperitatem aut inæqualitatem consummare non posset itinerum. »

Sur. in vita S. Brunonis.

Hæc Guigo. Ex quibus perspicue animadverti potest, quantæ autoritatis et existimationis fuerit beatus Bruno apud

tam insignem Episcopum, ut qui ei haud secus atque suo Abbati, raro eximiæ humilitatis exemplo obedierit, ob ejus procul dubio excellentem sanctitatem et sapientiam. ANNUS 1087

JESU CHRISTI

ANNUS 1088.

Urbani Papæ II	Ord. Cartus.	Brunonis Patriarchæ
Ann. 1.	Ann. 5.	Ann. 5.

URBANUS PAPA II CREATUR.

Baron. ad hunc an.

Onuphrius Chron. Rom. Pontif.

Duchen. hist. Castellion.

I. OCTOGESIMUS octavus post millesimum annus, undecima Indictione, sequitur ordine, quo solemni ritu Tarracinæ 4 Idus Martii Urbanus Papa II creatur, antea dictus Otto sive Odo, episcopus Ostiensis. Gallus erat natione, ex oppido quod in Montis Dei codice dicitur Castellio ad Barum olim Dominorum Rethelensium, et videtur convenire cum Onuphrio scribente eum natum esse « ex oppido Castellionis Remensis diœcesis. » Nam revera Castellio ad Barum est prædictæ diœcesis. At Duchenius in suis probationibus ad Toparcharum Castellionensium Historiam, asserit eum esse natum ad Matronam, diœcesis quidem Suessionensis, provinciæ vero Remensis, ac propterea Onuphrium diœcesim pro provincia posuisse. Sed id obiter tantum annotamus, cum ad nos non pertineat. Porro Urbanum doctrina et sanctitate vitæ quovis grandi magistratu dignum fuisse omnes asserunt. Quia vero juxta Sapientem « gloria patris est filius sapiens », videamus cui acceptam debeat totus christianus orbis tantam in Urbano sapientiam.

Quondam S. Brunonis discipulus.

Hist. Paris. Univer. to. 1. pag. 473.

Noster Guigo in Chronologico suorum Antecessorum Catalogo, manifeste asserit S. Brunonem « Urbani Papæ quondam præceptorem fuisse. » Huicque sententiæ omnes postea assenserunt, et novissime Parisiensis Academiæ Historicus, qui censet eum cujusdam Guidonis a Baldria celebrati discipulum etiam fuisse. Sed, ni fallor, iste Odo Guidonis disci-

pulus quem Baldricus suis in carminibus alloquitur, Urbani nepos potius videtur, ut putat Ughellus, sive fratris illius aut sororis filius, et in Ostiensi Episcopatu successor, cui propterea præfatus autor optat ut et in summo Pontificatu succedat. Sic enim canit ille :

ANNUS 1088

Ughel. in Episc. ostien.

Tom.4.hist. Franc. Duchenii.

Qui te fecerunt, Odo, velut ostia Romæ,
In modico Romæ te facient Dominum.
* Odoni factus hæres in Pontificatu *,
Mox in Papatum substituendus eris.
Ambos vos fovit, vos Ostia sustulit ambos ;
Alter Papa fuit, nec minus alter erit.

* Urbano II.
* Ostiensi.

Ubi vero Brunonem Urbanus audierit, satis patet ex dictis in vita ante secessum, quibus demonstravimus beatum nostri Ordinis Institutorem Remis diu docuisse ; nec alibi Urbanum studia et dignitates exercuisse innuit Ivo Carnotensis ad ipsum jam ad Apostolicam Sedem evectum sic scribens : « Remensem metropolim aliquando matrem vestram, nunc filiam..... vestro auxilio fulciri postulamus. » Quidam scribunt factum eum Cluniacensem monachum sub Abbate Odilone. At cum Odilo anno 1048 obierit, quomodo Urbanus Brunonem habuisset magistrum, qui tunc temporis illum ætate non præcessisset ? Quomodo Remensis canonicus et Theobaldi Suessionensis episcopi capellanus circa ann. 1072 ? Quomodo denique solium Petri conscenderit ætate mediocris, ut legitur apud Ordericum Vitalem ?

In scholis Remensib.

Ivo, epist. 116.

Ciac. in Pontif. Rom.

Marl. in Metr. Rem. to. 2. p. 213.

JESU CHRISTI

ANNUS 1089.

Urbani Papæ II Ann. 2.	Ord. Cartus. Ann. 6.	Brunonis Patriarchæ Ann. 6.

CONCILIUM ROMÆ HABETUR.

Baron. ad hunc annum.

Cui adfuit Raynaldus Arch. Remen.

Metrop. Rem. to. 2. pag. 180 et seqq.

Bruno eo tempore ab Urbano II evocatur.

I. MILLESIMUS octogesimus nonus Christi annus, Indictione duodecima, sequitur ordine temporum, quo ab Urbano Papa generalis Synodus Romæ cogitur. Inter Episcopos qui adfuerunt, invenitur Raynaldus Remensis archiepiscopus, quondam ejus amicus et in scholis Remensibus sub Brunonis disciplina condiscipulus, cui Urbanus per literas speciales significaverat teneri se desiderio illum Romæ videndi. Hic exacto Concilio, Urbanoque de Gallicanæ Ecclesiæ totiusque Francorum Regni statu edocto, ex Italia per Arverniam rediens, Seguinum insignem illum Abbatem unum ex Cartusiæ fundatoribus, apud Casam Dei invisit. Forsan et ad ipsam Cartusiam divertit Summi Pontificis nomine Brunonem moniturus, ut quam primum ad eum Romam se conferret. Urbanus namque muneris sibi impositi onus sentiens, memorque egregiæ virtutis et doctrinæ illustris sui Magistri, voluit illum ad se accersire ut socium et adjutorem in laboribus haberet; cujus consiliis ad christianam Rempublicam rite tractandam uteretur. Sed Brunonem sequenti tantum anno in Italiam perrexisse probabimus.

S. HUGO USURPATA SUÆ ECCLESIÆ BONA RECUPERAT.

II. Inter hæc S. Hugo apud Cartusiam sæpe diversatus, sed a sancto Brunone ad ovile redire sæpe coactus, utrumque suæ Ecclesiæ statum, qui plane, ut diximus, depravatus erat, in melius quotidie restituebat. Sub sui præsulatus initium

ANNUS 1089

multa prædia, a suis antecessoribus injuste distracta, sua sollicitudine ab occupatoribus jam receperat. Hoc vero anno S. Donati ecclesiam quam Boso Burgundiæ Rex Gratianopolitanæ largitus fuerat, tunc temporis a Dominis de Moirenco usurpatam recuperavit, facta compositione cum Gaufredo de Moirenco, viro potenti, quem Hugo Lugdunensis Præsul tanquam Sedis Apostolicæ Legatus excommunicationi subjecerat, donec ab injusta occupatione desisteret. Hujus compositionis notitiam habuimus ex Cartulariis Ecclesiæ Gratianopolitanæ, ut sequitur : « Notum sit omnibus Gratianopolitanæ Ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, quod Gaufredus de Moirenco ex toto reliquerit Præposituram S. Donati Gratianopolitano episcopo Hugoni et successoribus ejus, coram archiepiscopo Lugdunensi Hugone et Guidone archiepiscopo Viennensi, in civitate Gratianopolitana ante altare B. Michaelis, in præsentia Canonicorum ejusdem civitatis : Episcopus vero ipsi Gaufredo feudos militum, et feudum Girberti Betonis quem ipse Girbertus tunc possidebat, eo tenore, ut postmortem ipsius Gaufredi, non ad hæredes ipsius, sed ad episcopum Gratianopolitanum et successores ejus ipse feudus Girberti revertatur. Et ob hoc ipse Gaufredus fecit Episcopo hominium. Hanc convenientiam ipse Gaufredus et filii ejus ratam habuerunt. » Biennio post, agente, ut par est credere, S. Brunone qui tunc temporis in Curia Romana versabatur, hanc recuperationem approbavit Urbanus II dato egregio privilegio, in quo inter cætera : « Ecclesiam S. Donati in archiepiscopatu Viennensi sitam, quam, inquit alloquens S. Hugonem, a tyrannica potestate, autoritate episcopali, adjuvante Domino extorsisti, tibi tuisque successoribus regendam, disponendam ac jure perpetuo possidendam hujus autoritate privilegii confirmamus. » Eadem compositio videtur posthac inter ipsum Episcopum et Gaufredum restaurata, scriptis literis « antequam Jerusalem capta esset a Gallis sive Provincialibus, tempore Urbani Papæ II. » Hæc urbs capta fuit anno 1099. Unde patet has literas scriptas fuisse ante eumdem annum. Decimas vero ejusdem Ecclesiæ non integre tunc

Usurpatores excommunicat.

Ex Mss. Nic. Chor.

Ex eod. Cartul. et Mss.

Extat etiam integrum inter Miscellanea Baluz. l. 2. pag. 177.

ANNUS
1089

recuperavit S. Hugo. Quamobrem diu post earum mediam partem ab Ainardo ejusdem Gaufredi filio redemit, solutis in pretium solidis quinquaginta, ut habetur in charta confecta anno 1118.

DISSIDENTES RECONCILIAT.

In vita S. Brun. n. 45.

Pet. Gabriel in serie Præs. Mag.

Ex Cartul. Abb. S[ti] Theofredi ex Mss. Nic. Chorier.

III. Circa idem tempus dissidentibus monachis S. Theofredi et Cluniacensibus occasione ecclesiæ Vigiliensis, quam, ut alibi vidimus, S. Hugo Prioratui S. Laurentii addixerat; Urbanus II rem dirimendam commisit eidem beato Præsuli et Gothofredo Magalonensi episcopo, cui paulo ante Romæ forsan præsenti eamdem Magalonensem Ecclesiam confirmaverat. Extat Pontificium ad nostrum Hugonem diploma sequentis tenoris : « Urbanus, etc. Carissimo fratri Gratianopol. Episcopo salutem et Apost. Bened. Misimus dilectioni tuæ nuper in epistola per monachum Petrum, ut Cluniacenses fratres de Vigiliensi ecclesia reinvestire deberes, et quidem de prudentiæ tuæ sollicitudine et fervore justitiæ, eamdem Cellam Cluniacensibus extorsisse minime dubitamus. Sed Ego ipse nostrum assertionis testimonium fero, quoniam eos quondam, in ejusdem Cellæ possessione nos vidimus; quæ possessio justa licet an injusta fuerit, non tamen debuit sine judicio Apostolicæ Sedis, ad quam eadem causa relata fuerat, extorqueri. Quia igitur justitiæ ratio exigit, nos Charitati tuæ de puritate plurimum confidentes, ejusdem loci investituram restitui Cluniacensibus imperamus. Revestitis autem iis, per dies quadraginta utriusque partis causa diligentius audiatur, et æquitate pensata, quo major ratio flagraverit locus idem possidendus cedat. Porro causæ ejus decisionem cum fratre nostro Episcopo Magalonensi tecum commisimus, ad quem locum tempore statuto tecum pars utraque conveniat. Tuum itaque erit ipsi Cluniacensi denunciare cœnobio, ne propter acceptam investituram, Abbatis sui, qui in longinquam regionem profectus est, reditum præstolentur; sed intra dies quadraginta ad actionem causæ pervenire procurent : ita tamen agas ut Cluniacenses adversus te juste murmurare non valeant. Causam quoque ecclesiæ de Stella in pago Valentinensi, tibi et Magalonensi commisimus, ut reinvestitis qui

Aliquid hic deesse videtur.

reinvestiendi sunt, actio peragatur; qui vero judicium subterfugerint, ex causa se noverint decisuros. » ANNUS 1089

Post annos triginta Guillelmo S. Laurentii Priore sanctis Hugoni et Brunoni amico, tunc vero S. Theofredi Abbate, sedatam querelam refricante, Calixtus II denuo Hugonem arbitrum judicemque elegit qui partes reconciliaret, ut suo dicemus loco. V. infra ad an. 1119.

JESU CHRISTI

ANNUS 1090.

Urbani PP. II Ann. 3.	Ord. Cartus. Ann. 7.	Brun. Patriarc. Ann. 7.	Lauduin. Prioris Cart. an. 1.

S. BRUNO AB URBANO II EVOCATUR.

I. NONAGESIMUS post millesimum sequitur annus, Indictione tertia decima inchoatus, quo Bruno caram solitudinem deserere cogitur a Summo Pontifice, ut anno superiori diximus, in ejus pro Ecclesia sollicitudinis societatem evocatus. Hanc enim Brunonis ad Aulam Romanam accersitus causam fuisse, ex ipsius Urbani ad Seguinum epistola inferius exscribenda discimus : « Nos, inquit Papa, ad Sedis Apostolicæ servitium Brunonem carissimum filium evocavimus. » Idem etiam nos edocet noster Guigo, in brevi de nostro Institutore elogio, cujus jam non semel meminimus; ibique innuit Brunonem Pontifici Romano invite obtemperasse : « Magister Bruno..... Eremum Cartusiæ fundavit et rexit sex annis, qui, cogente Papa Urbano cujus quondam præceptor fuerat, Romanam perrexit ad Curiam, eumdem solatio et consilio in ecclesiasticis negotiis juvaturus. » Eamdem rationem, cur Urbanus magistrum quondam suum ex deserto velut e modio super candelabrum posuerit, affert Baronius, quam noster Anonymus centum aut paulo amplius post laudatum Guigonem annis fusius recenset; ac insuper quanta ex Patris carissimi discessu toti familiæ Cartusiensi inciderit consternatio, describit his verbis : « Feliciter ergo fundata et inchoata fuit Domus et Ordo Cartus. tempore Summi Pontificis Gregorii septimi, cui successit Papa Victor qui tantum anno uno et mensibus quatuor cir-

In catal. Ms. primorum Priorum Cartus.

Ipsum in negotiis ecclesiasticis juvaturus.

Baron. ad an. 1092.

Inde socii ejus turbati.

Ex codic. Ms. Cart. Mont. Dei.

citer vixit. Quo mortuo Urbanus secundus creatus est, cujus Magister Bruno prius præceptor fuerat et magister. Hic cito post creationem suam recordatus sapientiæ, sanctitatis et discretionis eximiæ magistri sui Brunonis statim cogitavit eum secum habere, ut eum dirigeret et juvaret ad Apostolatus sollicitudinem et onera perferenda. Cum igitur præfatus Magister Bruno jam sex annis eremum Cartusiæ habitasset, et vocatus ad Curiam oporteret eum Summo Pontifici obedire, et filiorum suorum cellicolarum societatem gratissimam saltem ad tempus deserere, ipsi subditi tanto sunt propter hoc dolore concussi et turbati, quod omnino et ipsi dixerunt se nullo modo in Cartusia mansuros si eosdem contingeret tam dilectissimi patris orbari præsentia, et providentia spoliari. Magister igitur Bruno propter istam sociorum desolationem multum desolatus, obedientiæ tamen debitum Summo Pontifici nec volens nec valens licite denegare, ne locus Cartusiæ a cellicolis derelictus, ad profanas vel indignas manus aut usus secularium deveniret, ipsum Abbati Casæ Dei qui fuerat unus de primis donatoribus, facta donatione et cessione reliquit, confecto super hoc publico instrumento. Dein venerabilis Pater ad Summum Pontificem veniens, eidem tempore brevi assistens consiliis et auxiliis salutaribus, ejus multa onera supportabat et multum in regimine sanctæ Dei Ecclesiæ ejus sollicitudinem sua promptitudine sublevabat. Diu tamen patienter dissimulare non potuit tristitiam, et dolorem conceptum de suorum dispersione filiorum. »

ANNUS 1090

Porro quod spectat ad tempus discessus Brunonis e Cartusia, illud Annalium parens ad annum protrahit 1092, quem sextum numerat incolatus sanctorum monachorum in Cartusia, quia crediderat, ut suo loco vidimus, hanc solitudinem cœptam fuisse habitari anno tantum 1086. Quidam recentiores id factum scribunt anno 1089, fulti autoritate Chronici Cartusiæ cujus autor vivebat medio seculo quarto decimo, et Surii in vita S. Brunonis. Ille enim habet Brunonem « in fine sexti anni recessisse ; hic vero « cum non totos sex annos exegisset. » Quomodo ergo, inquiunt, in fine sexti anni

Baron. ad an. 1086, et 1092.

V. sup. ad an. 1084.

Surian. in Annotat. in vit. S. Brun.

ANNUS 1090

Notæ Ms. in catal. Prior. Cart.

Nic. Molin. Hist. Ms. Ord. Cart.

Item Bohic. Annal. Mss. ejusd. Ord.

recessit, si totos sex annos non exegit, nisi fractos numeremus; ita ut ex sex illis annis primus quo Cartusia cœpit incoli, a mense Junio usque ad Decembrem pro uno computetur. At nobis visum est cum quibusdam etiam nostrarum rerum scriptoribus, standum esse autoritati nostri Guigonis præcise scribentis Brunonem sex annis Cartusiam rexisse, et « post egressum Cartusiæ, undecimo plus minus anno » fatis functum. Si enim sub finem anni 1089 locum deseruisset, ut volunt illi, certe dicendus esset annis fere duodecim post suum discessum obiisse. Sed istos omnes autores facile conciliabimus, si dixerimus Brunonem in fine sexti anni habitationis nondum omnino expleti, id est circa mensem Aprilem vel Maium præsentis anni, recessisse.

EREMUS CARTUS. DENUO HABITATUR.

II. Illo itaque recedente, recedunt et ipsi ejus socii. Sed quidam ex eis pium Magistrum Romam subsecuti, ejus precibus ut constabit infra ex Charta restitutionis, et Urbani II ut verisimillimum est suasionibus devicti, imo *Deo inspirante,* ut Urbanus ipse suis in literis loquitur, Cartusiam statim regressi sunt; Lanuino Normanno et paucis aliis cum pio Patre subsistentibus. Qui redierunt Literas Pontificias ad Siguinum Abbatem pertulerunt, quibus jubebatur ut Cartusiæ eremum ipsis infra triginta dies, chirographumque sibi a Brunone traditum restitueret, suntque hujus tenoris Literæ.

Ex Tab. Maj. Cart.

« Urbanus, etc. Carissimo filio Siguino Abbati Casæ Dei et omni Congregationi salutem et Apostolicam benedictionem. Eos qui ob Ecclesiæ Romanæ obedientiam laboribus fatigantur, Romana quoque ope dignum est relevari. Quia ergo nos ad Sedis Apostolicæ servitium Brunonem carissimum filium evocavimus, ipso ad nos perveniente, ut ejus Cella detrimenti aliquid patiatur pati non possumus, quia nec debemus. Vestram ergo dilectionem rogamus, et rogando præcipimus, ut eamdem Cellam in libertate pristina remittatis; chirographum quoque quod vobis de eadem Cella prædictus filius noster in fratrum dilapsione fecerat, pro nostra dilectione restituite, ut

in libertate pristina valeat permanere. Nunc enim fratres qui dilapsi fuerant, Deo inspirante, regressi sunt nec aliter acquiescunt in eodem loco persistere. Sane postquam hæ vobis perlatæ fuerint Literæ, intra triginta dies præfatum chirographum pro nostræ jussionis reverentia restituere ne moremini. » ANNUS 1090

Cum his Literis exules nostri ad S. Hugonem Gratianopolim primum accesserunt. Ex illorum reditu mirifice delectatus beatus Episcopus, assumpto secum Lauduino Tusco, « quem Magister Bruno discedens cæteris fratribus præposuerat. » ad Casam Dei nulla intermissa mora se contulit, redditaque Seguino Abbati Urbani Epistola, loci restitutionem a toto Conventu obtinuit ipse cum Lauduino in eorum Capitulo præsens, ut ex sequenti Charta, quæ totius rei seriem enarrat, manifestum fit.

« Ego Fr. Siguinus Abbas Casæ Dei, notum fieri volo præsentibus et futuris, quod Frater Bruno a Domino Papa Urbano Romam evocatus, videns loci destitutionem, Fratribus recedentibus propter absentiam ejus, dedit locum Cartusiæ nobis et Congregationi nobis commissæ. Postmodum vero rogatu prædicti Patris nostri Papæ Urbani et precibus præmemorati Fratris Brunonis, eisdem Fratribus, ut ibidem remanerent a Priore eorum Brunone plurimum confortatis, Fratri Lauduino quem Magister Bruno discedens cæteris Fratribus præposuit, ipsi et cæteris Fratribus sub eo degentibus et eorum successoribus donum, quod nobis prædictus Bruno fecerat coram Congregatione nobis commissa in Capitulo nostro sub præsentia Gratianopolitani Episcopi Hugonis, ego ipse F. Siguinus prædictus Casæ Dei Abbas cum assensu Fratrum nostrorum reliqui, ac eis et successoribus locum prædictæ Cartusiæ pro voluntate eorum omnino liberum feci, et juri eorum omni modo tradidi. Sed Charta quam nobis prædictus fecerat, ideo non est reddita, quoniam a Fratribus nostris in Capitulo sub interdicto requisita, non potuit inveniri ; et si unquam inventa fuerit, eorum ipsa Charta sit juris. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesi-

ANNUS 1090

mo nonagesimo, XV Calendas Octobris. Ego Siguinus Casæ Dei Abbas subscripsi, et in præsentia Lugdunensis archiepiscopi Hugonis hanc Chartam ex integro confirmavi. »

Ab eo itaque tempore Cartusiæ solitudo in Cartusiensium ditione semper remansit, ibique hactenus Cartusiensium Religio perdurat. Sic ergo volente Deo, sollicitante S. Brunone, mandante Pontifice Romano, consentientibus et præsentibus duobus præclaris Episcopis, favente Siguino Abbate, Brunonis Discipuli, qui tristes ex hac Eremo jam pridem abcesserant, ad eam gaudentes reversi, Cartusiensem vitam utcumque intermissam restaurare cœperunt, ipsam ferventius amplexi.

Ex præfatis Siguini literis colligimus S. Brunonem Prioris nomen etiam habuisse. « Eisdem Fratribus, inquit Siguinus, ut ibi remanerent a Priore eorum Brunone plurimum confortatis. » Verum a suis Magister crebrius dicebatur, non solum propter Doctoris dignitatem qua fuerat in seculo potitus, sed maxime, ut puto, quia mos erat horum temporum satis frequens hujusmodi titulum, loco Abbatis, concedendi superioribus, præsertim in Congregationibus sive Ordinibus tunc recens erectis. Id probamus ex vita S. Romualdi quem, post Camaldulensium fundationem, Petrus Damiani Magistrum appellat. Ipse quoque Petrus Damiani, licet in Fontis Avellani descriptione Prioris nomine sæpius utatur, in sua tamen vita Magister non semel nominatur. Idem observare est in Dominici Loricati vita, ubi Prior Magistri appellatione nonnunquam designatur. A nostris igitur Bruno semper Magistri titulo honoratus est; nec aliter noster Guigo, tum in S. Hugonis vita, tum in Catalogo quantumvis brevi suorum Antecessorum eum appellavit; et in Cartusiæ aliarumque antiquiorum Ordinis Domorum calendariis, ad sextum Octobris ejus obitus his verbis appositus est : *Obiit Magister Bruno.* Eumdem titulum ejus successores in eremi Calabriæ regimine sibi servarunt. Sed apud Cartusiam solo Prioris nomine tanquam modestiori usi sunt.

Petr. Damian. in vita S. Romualdi.

Idem, in opusc. 15.

Lipr. in vita Petri Damian.

Petr. Dam. in vita Domin. Loric.

BRUNO PAPAM IN APULIAM SEQUITUR.

III. Sed Brunonem libet Romæ revisere. Ibi tribus aut quatuor mensibus in Aula Pontificia commoratus, Urbanum

in Apuliam revertentem sequi cogitur. Mortuo interea Arnulpho archiepiscopo Rhegiensi in Calabria, quæ urbs ab incolis Regio et aliquando Rijo dicitur, ejus in loco S. noster Patriarcha jubente Urbano delectus est. Electioni consensum præbere constanter Bruno recusavit, consulens Urbano ut Rangerium Montis Majoris in Gallia monachum, in Remensibus scholis suum quondam condiscipulum, et quem jam inter Cardinales acciverat, orbatæ Rhegiensi Ecclesiæ profici curaret. Nec immerito timens ne rursum ipse ad hujusmodi dignitates invitus eveheretur si Romanæ Curiæ diutius adhæreret, cujus etiam moribus se accommodare non poterat, adeo vehementer Summo institit Pontifici ut ab eo licentiam impetrarit solitudinem statim repetendi. Ipsum ad sedem præfatam electum esse hoc anno probat Ughellus. Et certe non multum temporis post suum e Cartusia recessum inter hominum tricas substitisse, innuere videtur Guigo in tam sæpe memorato Catalogo, ubi postquam dixit Brunonem cogente Papa Romam petiisse, statim subdit : « Sed cum tumultus et mores Curiæ ferre non posset, relictæ solitudinis et quietis amore flagrans, relicta curia, contempto etiam archiepiscopatu Risensis * Ecclesiæ ad quem ipso Papa volente electus fuerat, in Calabriæ eremum, cui Turris nomen est, secessit. » Id adhuc apertius declarat noster Anonymus post verba superius exscripta. « Et strepitus ac tumultus Curiæ impedientes dulcedinem et quietem, qua frui et pasci in eremo consueverat, graviter ferens et diutius ferre non sustinens ; exposita Papæ sua desolatione, cum summa instantia impetravit a Curia separari, et quod posset ad eremum et cellæ jam prægustatam dulcedinem et desideratam requiem repedare. Et cum Summus Pontifex vellet eum confirmare in archiepiscopum Risensis Ecclesiæ, ad quam Papa annuente electus fuerat, nullo modo consensit, sed ipso contempto et valefaciens Papæ, ad Calabriæ quamdam eremum cui nomen Turris erat, Deo duce pervenit. » Ex Urbani Curia cum Lanuino et aliis quos sibi retinuerat egressus, dicitur ab eo qui Anonymi nostri Chronicon continuavit, in præfatam Tur-

ANNUS 1090

Ughel. in Reg. Archiep.

* *Regio al. Rijo.*

ANNUS 1090

Chron. Ms. Maj. Cart. circa an. 1360 scriptum.

ris eremum se recepisse, ibique primum tuguriola « sive speluncas aut cavernas (ut loquitur hic autor) eremitis congruentes, de vili materia sed in Christo pretiosa sibi construxisse. » Sed paulo post, non sine miraculo a Rogerio Calabriæ comite inter venandum repertus, ab eo locum hunc dono accepit ac tandem monasterium satis amplum ædificavit. Ut ut sit de illo occursu, sive casui sive miraculo tribuamus, Brunonem hoc præsenti anno Turrensem eremum a præfato Principe sibi concessam, cum suis habitare cœpisse constat ex donationis loci Charta quæ sequentis est tenoris :

Ex cod. Ms. ejusd. Dom.

Extat edita in Annotat. Suriani.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Rogerius Dei gratia comes Calabriæ et Siciliæ, omnibus fidelibus suis et Ecclesiæ Dei filiis tam præsentibus quam futuris, in Domino salutem. Notum esse volumus Fraternitati vestræ, per Dei misericordiam a Galliarum partibus ad regionem istam Calabriæ sanctæ Religionis viros, Brunonem videlicet et Lanuinum ac socios eorum pervenisse, qui contempta mundialis gloriæ vanitate, soli Deo elegerant militare. Horum itaque desiderium ego cognoscens, et ipsorum meritis et precibus apud Deum adjuvari desiderans, ab eorum charitate precibus multis obtinui ut in terra mea locum sibi habitabilem eligerent, in quo ad serviendum Deo qualia vellent habitacula præpararent. Elegerunt siquidem in terra mea quemdam solitudinis locum, situm inter locum qui dicitur Arena, et oppidum quod appellatur Stilum. Hunc ergo locum ad honorem Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ad honorem beatissimæ Mariæ semper Virginis ac genitricis Christi Dei et Domini nostri, omniumque Sanctorum, donavi eis et successoribus eorum ibidem Deo servituris, cum tota sylva, et terra et aqua, et monte..... : concedens et constituens quatenus locum istum libere ac quiete cum hac adjacentia sua in perpetuum possideant; nec ex hoc mihi, vel alicui personæ angariam aut servitium faciant. Contestor autem et contradico, ex parte Dei omnipotentis et sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis et omnium Sanctorum et mea, ne sit aliquis meorum aut extraneorum, stratigotus videlicet aut vicecomes, rusticus

aut miles, servus sive liber, qui in loco isto pascuæ vel agriculturæ, seu etiam piscationis aut lignorum occasione, aut ex quacumque causa, servis Dei molestiam aut injuriam faciat; sed in eorum potestate sit, prædictum locum cum tota adjacentia sua secundum voluntatem suam possidere, disponere, ordinare et erogare. Quod si quis deinceps contra hujus paginæ constitutionem venire præsumpserit, imprimis nisi digne satisfecerit, iram Dei et maledictionem incurrat, et conatu tali ad nihilum redacto, pro præsumptione tanta ad centum librarum auri pœnam in curia nostra sustineat. Igitur ut constitutio nostra hæc inviolabilis et omnino firma permaneat, concedente uxore mea Adelai comitissa, et filio meo Gofrido, in præsentia bonorum hominum donationem istam feci et sigillo meo sigillari præcepi. Ego Gofridus Melitensis episcopus Ecclesiæ licet indignus Chartam hanc manu propria scripsi rogatu comitis Rogerii, laudans et confirmans constitutionem hanc. Anathemate vero et excommunicatione damnans eum quicumque hanc infringere præsumpserit, nisi tamen digne resipiscens satisfecerit. Facta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo. Insuper donavi Mule cum filiis suis ad custodiendum sylvam. Testes autem adfuerunt hi, Stephanus Presbyter, Giraldus Presbyter, Petrus de Maritonio, Richardus Maletus, Raynulphus eleemosynarius, Nicolaus notarius, et alii plures. » ANNUS 1090

Ex his Literis intelligimus Lanuinum et alios S. Brunonis socios ex priscis Cartusiæ incolis fuisse, qui paucis post jacta Ordinis fundamenta annis, ad Brunonem se receperant ut superius diximus; non vero illos quos intra Italiam S. Patriarchæ virtutum fama ad hoc Institutum statim attraxit. Id enim clare indigitant verba Rogerii dicentis, « a Galliarum partibus ad regionem istam Calabriæ, sanctæ Religionis viros Brunonem et Lanuinum cum sociis eorum pervenisse. » Nec inepte confici posset ex ejusdem diplomatis contextu, Brunonem ante suum in Calabriæ eremum secessum comiti Rogerio notum fuisse, quem, ut verisimile est, in Aula Urbani viderat. Constat enim Rogerium Calabriæ ducem, cujus

V. an. 1087.

ANNUS 1090

Rogerius comes patruus erat, hoc anno et præcedenti non semel Urbanum convenisse cum cæteris Calabriæ et Siciliæ Primatibus, inter quos nostrum Comitem primum fuisse credere par est. Imo liquebit ex dicendis anno 1099, ipsum Ducem sancto Brunoni locum in sua ditione prius obtulisse; sed cum nullum S. Patriarcha reperisset suo proposito idoneum, supradictum a Comite oblatum elegisse. Neque absurda res est colligere ex alio diplomate, quod integrum in Annalibus dabimus, Brunonem non hoc solum anno, sed etiam ante suam conversionem eidem Comiti jam fuisse notissimum. Cum enim Princeps sancto viro ab annis octo jam in Calabriæ solitudine degenti multa bona iterum obtulisset, in citato diplomate declarat Brunonem constanter ea respuisse, hancque suæ recusationis causam attulisse, « quod ad hoc domum sui patris meamque dimiserat (sunt verba Rogerii), ut a mundi rebus extraneus deserviret libere Deo suo. Hic fuerat in tota domo mea quasi primus et magnus. » Sed quando hæc præcise contigerint, non puto a quoquam posse modo detegere.

V. inf. ad an. 1098.

BRUNO SCRIBIT AD RADULPH. REMENSEM.

IV. In hac igitur eremo, ubi sedem cum suis fixit Bruno, « ibi laicis et clericis quamplurimis adunatis, ut habet Guigo, solitariæ vitæ propositum quamdiu vixit exercuit. » Quæ quidem verba non tam stricte interpretari debemus, ut credamus eum nunquam ex eodem loco pedem extulisse; cum e contrario verisimillimum sit, quod de illo Baronius scribit, nempe Urbanum ejus opera in Conciliis celebrandis usum fuisse. Imo manifestum fiet, ex iis quæ sequentibus annis dicemus, ipsum Brunonem ad Urbanum non semel accessisse, quædam pro sua nova Cartusia privilegia impetrandi gratia. Inter eos qui variis ex regionibus ad Brunonem vitæ solitariæ exercendæ causa confluebant, plures eruditos fuisse ipsemet testatur in epistola quam aliquot post annis ad Radulphum Remensem dedit; in qua præterea novæ Cartusiæ situm sic describit : « In finibus Calabriæ cum fratribus religiosis et aliquot bene eruditis qui, in excubiis persistentes divinis, expectant reditum Domini sui ut cum pulsaverit confestim aperant ei, eremum incolo ab hominum habitatione satis undi-

In Catal. ms. sæpe citato.

Baron. ad an. 1091.

que remotam; de cujus amœnitate aerisque temperie et sospitate, vel planitie ampla et grata inter montes in longum porrecta, ubi sunt virentia prata et florida pascua, quid dignum dicam ? Aut collium undique se leniter erigentium prospectum, cum amabili fluminum, rivorum fontiumque copia, quis sufficienter explicet ? Nec irrigui desunt horti, diversarumque arborum fertilitas. Verum quid hic diutius immoror? alia quippe sunt oblectamenta viro prudenti gratiora et utiliora valde, quia divina. Verumtamen arctiori disciplina studiisque spiritualibus animus infirmior fatigatus, sæpius hic relevatur ac respirat. Arcus enim si assidue sit tensus, remissior est et minus ad officium aptus. » ANNUS 1090

Hæc S. Bruno de sua solitudine, ubi sæpius morabatur cum illis ex sociis suis, quos ad vitam anachoreticam ducendam a Deo vocatos exploraverat. Cum enim videret multos diversæ conditionis, diversarumque virium homines ad se venire conversionis gratia, statuit fortiores et in quibus vocationem ad id divinam probaverat, secum in sua eremo detinere. Cæteris vero quos minus eremiticæ vitæ idoneos censebat, monasterium construxit in honorem sancti Stephani Protomartyris consecratum, unum circiter ab eremo milliare distans, in quo vitam agerent eremiticam quidem, sed paulo remissiorem minusque rigidam.

JESU CHRISTI

ANNUS 1091.

Urbani PP. II	Ord. Cartus.	Brun. Patriar.	Lauduini Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 8.	Ann. 8.	Ann. 2.

CONFIRMATIO LOCI AB EPISC. DIŒCESANO.

I. NONAGESIMUS primus post millesimum sequitur annus, Indictione decima quarta, quo Beneventi celebrata fuit Synodus, Præside Urbano, præsentibus Episcopis et Abbatibus « quorum numerus facile numerari non potuit. » Ex eis Bruno unus fuisse non temere credendus est, idque plane asserit Surianus. Sed et in Eremum rediens Barium deflexisse, corpus S. Nicolai aliquot ante annos illuc translatum veneratus, dicitur a Camillo Tutino. Suæ certe pietatis erga Sanctum hunc Confessorem specimen nobis ipse beatus Patriarcha exhibet in epistola ad Radulphum, quem ad eamdem peregrinationem his verbis invitat : « Te exoratum et imprecatum cupio, ut vel causa orationis ad S. Nicolaum, inde ad nos usque venire digneris. » In desertum Turrense reversus, donationem loci anno superiori sibi a Rogerio comite factam curavit confirmari, tum a Squillacensi Episcopo in cujus diœcesi novum monasterium situm erat, tum ab ipso metropolitano Rangerio, quem videmus ei in Regiensem Archiepiscopum substitutum, ut ex Confirmationis diplomate e græco in latinum verso apparet :

In Præfat. ejusd. Conc. to. 10 Concil. Labbæi.

Tutin. in præf. Hist. Ord. Cartus.

Visitat S. Nicolai reliquias.

« Theodorus Mesimerius, Dei misericordia episcopus castrorum Squillacii, Stili et Tabernæ et Protosyncellus, petitione clarissimi comitis Domini nostri Rogerii, qui me rogare dignatus est pro honoratissimis monachis et eremitis, Dominis

Ex Suriano in Annot. in vit. S. Brun. pag. 207.

scilicet Brunone et Lanuino, non quidem summa ac tyrannica autoritate mecum agens, sed, ut dixi, me rogare dignatus est pro supradictis monachis et eremitis locum a Deo servatum, qui Turris dicitur, incolentibus in veneranda admodum ecclesia gloriosissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis ac S. Joannis Præcursoris. Qui quidem in desertis locis degentes per tempus satis longum, illuc transmigrarunt ad partes Stili in mea diœcesi. Et sicut Dominus noster Comes vobis donavit montem, campos et molendina circa ecclesiam usque ad duo milliaria, ipsa in perpetuum possideatis vos Monachi superius laudati, et socii et successores vestri qui hunc locum inhabitabunt, usque in seculorum finem, citra alicujus prohibitionem et molestiam. Tributum vero aut decimam vel quamlibet vexationem vobis, cæterisque sociis et successoribus, nullus nec ego ipse vel alii qui post me in episcopos eligentur, inferant. Si quis autem ausus fuerit hoc nostrum sigillum contemnere, habeat anathema a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et a trecentis decem et octo Deiferis Patribus. Illudque sigillum firmum et inviolabile usque ad seculorum finem permaneat. Etenim hoc præsens sigillum bullatum pro supradictis monachis feci, et bullans mea bulla plumbea signavi die VII Decemb. Indict. XV, anno MLXXXX. Ego Rangerius Dei clementia electus archiepiscopus sanctæ metropolitanæ Ecclesiæ Rhegii præsens sigillum confirmavi prout omnino scriptum habetur, ut apud ipsos Dei servos quorum supra mentio facta est, Brunonem, Lanuinum cæterosque socios, sed et apud eos qui successuri sunt, ratum fixumque permaneat et usque ad seculorum finem validitatem obtineat. »

ANNUS 1091

II. Etsi annus 1090 designetur in his Literis, præsentem tamen annum restituendum credimus ex Indictione quæ more Græcorum hoc anno mense Decembri decima quinta currebat. Quod autem præfatus Episcopus dicit Brunonem et Lanuinum « in desertis locis degentes per tempus satis longum, illuc transmigrasse ad partes Stili »; illud tempus satis longum intelligendum esse de tempore quo in Majori Cartusia fuerant

DONATIO FACTA AB EPPO.SQUIL.

ANNUS 1091

commorati, manifestius detegimus ex versione ejusdem Diplomatis apud *Italiam Sacram,* ubi hæc verba sic redduntur : « Qui (Bruno et Lanuinus) cum per multos annos in locis solitariis vitam transegissent, huc ad partes Stili in mea diœcesi transmigrarunt. » Post græcum in ima diplomatis parte, altera ejusdem Episcopi charta cum dicti Rangerii confirmatione sub tali tenore subjungebatur :

Ughelli in Episc. Squillac.

« Ego Theodorus Mesimerius, Dei gratia episcopus de Squillatio, et de Stilo, et de Taberna et Protosyncellus, dono gratis, non coactus, sed comitis Rogerii precibus et consilio plurimorum procerum suorum acquiescens, terram de Turribus, scilicet duo milliaria circa ecclesiam in monte constitutam ex omni parte, Domino Brunoni, et Lanuino sociisque et eorum successoribus illum montem inhabitantibus, eo modo et tenore ut in vita sua habeant et possideant libere, et post eorum discessum, successores eorum similiter libere possideant montem et terram et boscum infra fines dictorum duorum milliariorum, ab omni parte circa ecclesiam in supradicto monte constitutam; non Episcopo Squillatii, non Comiti, nec cuilibet personæ aliquod servitium persolventes. His autem quicumque contra ire voluerit, cum Juda proditore pereat, nisi ad satisfactionem et emendationem fratribus ecclesiæ venerit. Ego Rhegii electus, nomine Rangerius, hanc chartulam confirmo et laudo. »

Ughelli ubi sup.

Has Theodori Præsulis et Rogerii comitis donationes, Summus Pontifex approbabit anno sequenti. Unde arguuntur qui Episcopi confirmationem ad annum 1095 rejiciunt.

JESU CHRISTI

ANNUS 1092.

Urbani PP. II	Ord. Cartus.	Brun. Patriar.	Lauduini Pr. Cartus.
Ann. 5.	Ann. 9.	Ann. 9.	Ann. 3.

URBANUS CONFIRMAT DONATIONEM ROGERII ET CONFIRMATIONEM EPISC. SQUILLACENS.

I. SEQUITUR millesimus nonagesimus secundus annus, Indictione XV, quo Pontifex Urbanus in Calabria degens accersivit ad se, non ex Cartusiana, ut habet Baronius, sed ex Calabrina solitudine sanctos Brunonem et Lanuinum, qui antequam e curia recederent Bullam obtinuerunt, qua comitis Rogerii donationem et Squillacensis Episcopi confirmationem autoritate Apostolica approbabat; cujus Bullæ tenor, ex autographo a Constantio primo hujus Domus post illius recuperationem Rectore exscriptæ, et ejus Chronico mss. insertæ, sic se habet :

« Urbanus Episcopus, etc. Dilectis in Christo filiis Brunoni et Lanuino salutem et Apostolicam Benedictionem. Piæ voluntatis effectus studio debet prosequente compleri. Quia igitur nostri officii interest servorum Dei quieti, prout Dominus posse dederit, providere; petitionibus vestris, Filii in Christo carissimi ac reverendissimi, clementer annuimus. Per hujus ergo Apostolici Privilegii paginam Apostolica autoritate statuimus, ut locus ille quem habitationi vestræ, disponente Domino, elegistis, a jugo, potestate, injuria, molestia omnium hominum omnino liber, cum tota sylva et monte, terra, aqua in spatium unius leucæ in omni parte adjacenti, in vestra omnimoda et successorum vestrorum dispositione permaneat, sicut vobis a dilecto filio nostro comite Rogerio condonatus est, et a confratre nostro Theodoro Squillacino

ANNUS 1092

episcopo confirmatus. Nemini intra prædictum spatium liceat pascui, agriculturæ seu piscationis, aut occasione aut quacumque ex causa, vobis aut vestris successoribus injuriam aut molestiam irrogare; sed totum secundum voluntatem vestram possideatis, disponatis, ordinetis et erogetis. Si quid præterea episcopalis officii indigueritis, ad quem potissimum vicinorum Antistitum volueritis, recurrendi præsenti decreto liberam licentiam indulgemus. Decimarum quoque usum ex vestris vel rusticorum vestrorum laboribus vestri juris esse censemus; et si qua rusticorum vestrorum offensa contigerit, in vestra tantum manu eorum omnis correctio maneat, ne ullus se de his quæ ad vos pertinent, sine vestra voluntate, occasione aliqua intromittat; quatenus omnipotentis Dei speculationi liberis mentibus insistatis, et ad ejus faciei dulcedinem ipso præstante pervenire valeatis. Sane si quis in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes, judex aut persona quælibet, potens aut impotens, hujus nostri Privilegii paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, cum honoris sui et officii periculo subjacere decernimus, et a Christi et Ecclesiæ corpore autoritate potestatis Apostolicæ segregamus : conservantibus autem pax a Deo et misericordia præsentibus ac futuris seculis conservetur. Amen. Amen. Amen. Datum per manum Joannis S. R. E. diaconi cardinalis, pridie Idus octobris, Indictione prima, anno Dominicæ Incarnationis MXCII, Pontificatus Domini Urbani Papæ II anno quinto. »

QUANTI FACIT BRUNONEM ET LANUINUM.

II. Ex his Literis innotescit qualis fuerit Lanuinus, quem Papa, sicut S. Brunonem, carissimum ac reverendissimum nuncupat. Hoc quoque diplomate videtur Urbanus Ordinem ereмiticum ibidem institutum approbare, cum præcipuam hanc suæ confirmationis causam interponat : « Quatenus, inquit, omnipotentis Dei speculationi liberis mentibus insistatis, et ad ejus faciei dulcedinem ipso præstante pervenire valeatis. » Specialis enim eremitæ occupatio est speculationi insistere.

Locus ubi data fuit præsens Bulla non exprimitur. At constat, ut observavit Surianus in Annotationibus, ex anno 1092 mense Novembri in Calabria Urbanum fuisse apud monasterium S. Mariæ de Mantina, in diœcesi civitatis S. Marci. Ex ejus Bulla allata a Jacobo Sirmundo in Notis ad Epistolas Gofridi abbatis Vindocinensis, licet mendose habeat annum 1093 cum Indictione prima et anno Pontificatus quinto, liquet hoc ipso anno nostram Bullam datam fuisse, quod et idem Sirmundus postea agnoscens seipsum correxit.

ANNUS 1092

Epist. 44 l. 4.

III. Eodem tempore, annis videlicet quadraginta antequam « moreretur S. Hugo, factum est, inquit noster Guigo, ut dum idem sanctus Præsul, contemptis carnalibus, spiritualia ferventiori zelo sectaretur præ nimiis vigiliis, jejuniis et lectionibus, orationibus et meditationibus, et reliquis sacris exercitationibus, capitis et stomachi gravissimam decideret in ægritudinem; cujus molestiis et cruciatibus omni fide frequentioribus et acrioribus, per quadraginta ad minus annos, quoad vixit nequaquam caruit. Atque ita ad illum cujus supra meminimus Sathanæ Angelum, quo multiplicius colaphizatus minus extolleretur, alter est additus. Quantum autem his duabus afflictionibus, tentatione videlicet et ægritudine, tanquam aurum in fornace decoctus atque purgatus, in spiritualem erga Deum devotionem et in omnium afflictorum veram compassionem exercuerit; nec ipse adhuc vivens ad plenum, etiam si vellet, posset exponere. Quo enim per hæc magis affligebatur, eo vehementius spretis quæ mundi sunt, in Dominum refugium verum et unicum totus efferebatur; voluptatem inde, sicut aiebat, tanto pleniorem hauriens atque suaviorem, quanto fuerat angustiam passus acerbiorem, juxta illud Psalmistæ : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Hujusmodi austeritatum in eo ad finem usque non cessavere vicissitudines. »

S. HUGON. CONTINUÆ INFIRMITATES.

JESU CHRISTI

ANNUS 1093.

Urbani PP. II	Ord. Cartus.	Brun. Patriar.	Lauduini Pr. Cart.
Ann. 6.	Ann. 10.	Ann. 10.	Ann. 4.

A ROGERIO VISITATUR, ET BENEFICIIS DONATUR.

I. ANNUS sequitur millesimus nonagesimus tertius, Indictione prima, quo Summus Pontifex Urbanus generalem Synodum centum pene Episcoporum, in Quadragesima ex diversis Provinciis in Apulia congregavit. An huic Bruno interfuerit non audeo asserere. Constat tantum quod præsenti anno Rogerius comes illum visitans primam suam donationem confirmaverit, terrisque quas dederat terminos conscribi jusserit, sub sequenti forma prioribus Literis non multum absimili :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Rogerius, divina favente Clementia, comes Calabriæ et Siciliæ. Notum sit omnibus Christi nostrisque fidelibus tam futuris quam præsentibus. Quoniam miseratio divina sanctæ Religionis viros, Brunonem videlicet et Lanuinum cum sociis suis ad nos usque transmisit, sancto suo proposito aptum solitudinis locum quærentes, quorum nos desiderio congaudentes, meritisque talium ac precibus apud Dominum adjuvari confidentes, multis eos exhortati sumus precibus, ut in terra nostra locum sibi habitabilem eligerent, in quo ad serviendum Deo qualia vellent habitacula præpararent. Elegerunt itaque quemdam solitudinis locum, situm inter locum qui dicitur Arena, et oppidum quod appellatur Stilum. Hunc ergo locum et omnia undique in circuitu adjacentia.... Deo et B. Mariæ ac ipsis eorumque successoribus in proprietatem, sicut nostra

fuerunt, sub omni immunitate ac libertate donavimus cum omnibus rebus, infra sitis terris, sylvis, aquis, pascuis, ac cæteris omnibus cultis vel incultis, mobilibus vel immobilibus. Rogavimus insuper venerabilem virum Melitensem episcopum Gaufredum, super hac donatione nostra confirmationis chartam conscribere, quam et sigillavimus : sed cum postea, gratia commendandi nos ipsorum orationibus, supradictos visitassemus Fratres eorumque societatem, gratias Deo, suscepissemus, prædictum spatium..... his in circuitu terminis distincte per nosmetipsos designavimus, ac terminorum nomina in memoriam futuri conscribere jussimus. De parte Orientis, Castellum quod locus est in cacumine montis de Stilo, inde vadit per serram ejusdem montis usque ad..... Hanc autem donationem nostram, tam Dominus noster Apostolicus Urbanus, quam Squillatinus episcopus Theodorus, in cujus episcopatu ipse locus situs est, laudaverunt, privilegiis confirmaverunt, atque terribili anathemate munierunt. Quapropter præcipiendo rogamus, et rogando præcipimus, ex parte Dei omnipotentis et beatæ Mariæ quibus ipsum concessimus locum, et nostra, ut nullus aliquando, cujuscumque dignitatis sit vel potestatis, noster vel extraneus, in toto prædicto spatio quidquam magnum vel parvum sibi vindicet, nec nos ipsi. Nullus aliqua unquam occasione vel causa Fratribus ibidem Deo servituris injuriam aut molestiam irroget, vel ullam inquietudinem faciat : et illi, neque homines eorum, aliquam angariam aut servitium omnino faciant. Nulli, nec nobis ipsis, aliquam ibi culturam facere, ullum animal pascere, ligna incidere, venari vel piscari, aut quidquam omnino sine Fratrum licentia liceat; sed in eorum potestate sit quæcumque intra prædictum continentur spatium, juxta voluntatem suam possidere, disponere, ordinare, erogare, tanquam Dei possessionem et suam, immunem ac liberam. Quod si quis aliquando hanc nostram constitutionem in aliquo violare præsumpserit, Fratribus ibidem degentibus digne satisfaciat; quod si contempserit, Principi terræ qui fuerit centum auri libras persolvat. Ut igitur constitutio hæc inviolabilis et

ANNUS 1093

ANNUS 1093

omnino firma permaneat, concedente uxore nostra Adelai comitissa, et filio nostro Gofredo, in præsentia bonorum hominum donationem istam fecimus, et sigillo proprio signavimus. Insuper donavi Mule cum filiis suis ad custodiendam sylvam. Data in pratis Squillacii, ubi tunc collecto morabamur exercitu anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, nonis Maii. Et hi sunt testes : Rogerius comes, Adelais comitissa, Gofredus filius comitis Rogerii, Rogerius Culchebret bastardus, Guglielmus de Altavilla, Guglielmus Culchebret, Joannes Baptista de Luciaco, Rogerius presbyter de Stilo. Gratis scriptum. »

Hanc terminorum designationem duabus de causis videtur a Comite S. Bruno expetiisse. Primo, ut sibi suisque successoribus tolleret occasionem cum vicinis aliquando de eisdem terminis litigandi; secundo, ut calabrinos Monachos doceret, sicut et Cartusienses docuerat, nuntium remittere cupiditati acquirendi ac possidendi ultra necessaria. Nihilominus cum paulo post sanctus Patriarcha sensisset possessiones, præfatis terminis definitas, non sufficere ad omnia necessaria, suis suppetenda, alia quoque bona a Rogerio sibi oblata non respuit. Quod etiam noster Guigo simili motus ratione postea faciet.

DE SANCTO STEPHANO GRANDIMONT.

II. Circa hæc tempora, cum Brunonis et novi ejus Instituti sanctitas ubique prædicaretur, S. Stephanus Grandimontensis Ordinis futurus Fundator, apud quemdam S. R. E. Cardinalem (forsan Milonem natione Gallum, quem postea Urbanus Prænestinum creavit Episcopum) Romæ commorans, « de diversis diversarum Religionum actibus et dispensationibus totius Ecclesiæ, catholicos viros sæpissime disputantes audivit; et de prædictis edoctus, a Romano Pontifice (cui bene notus erat) devotissime petiit ut Ordinem, quem in Calabria observare didicerat quamdam religiosam Congregationem recta via incedentem, et unanimiter in claustro sine proprio viventem, et obedientiam humani generis reparatricem pro suis viribus in omnibus custodientem, et mundum sibi et se mundo crucifigentem, et in cruce Domini gloriantem, in suo-

Ex vita S. Steph. Ord. Grandim. Fund. cap. I. apud Bolland. ad 8 februar.

rum remissionem peccatorum sibi alicubi observare concederet. Cui Christi Vicarius quod petebat concessit, et omne bonum quod ageret, et in pœnitentiam et in virtutum præmium injunxit. » Sicque Stephanus in Aquitaniam rediens Ordinem suum instituit, composita sub vitæ finem Regula ad Cartusiensium instituta proxime accedente, ut attentius eam legenti apparebit maxime circa regimen, victum, silentii ac solitudinis leges, paupertatis observationem, omnis cupiditatis fugam, et alia hujusmodi satis essentialia : ita ut videatur in suæ Religionis constitutione, sibi imprimis Cartusiensium Institutorum imitationem proposuisse. Nec certe in verbis ex ejus vita allatis, quis ille fuerit Ordo in Calabria tunc celebris detegi potest, præter Ordinem a S. Brunone recens conditum. Scio in eadem vita legi in solitudinem se recepisse anno MLXXVI, id est quatuordecim saltem annis antequam Bruno suum in Calabriam Institutum transplantaret. Sed multa sunt in eadem vita quæ persuadent illius autorem nullam circa chronologiam legem observasse, sive potius ejusdem vitæ exscriptores notas numerales penitus confudisse. Ibidem itaque legimus B. Stephanum a patre suo, S. Nicolai reliquias venerandi gratia, Barium deductum et in reditu morbo correptum, Beati Milonis Beneventani archiepiscopi curis commendatum fuisse ; a quo Præsule per duodecim annos optimis moribus institutum, eo tandem mortuo apud quemdam cardinalem per quatuor annos Romæ constitisse et ibi, ut diximus, audita quorumdam Religiosorum in Calabria sanctissime conversantium fama, patriam repetiisse tandemque anno MLXXVI in Muretana solitudine tugurium sibi struxisse. At constat B. Milonem Beneventanum præsulem diu ante obiisse, quam sancti Nicolai corpus e Myrensi urbe Barium translatum esset. Certum est præterea eumdem S. Archiepiscopum dicto anno 1076 decessisse, cum vix duobus annis sedisset. Quomodo ergo S. Stephanus apud ipsum jam factum archiepiscopum per duodecim annos degerit ? aut quomodo quatuor post illius obitum annis solitariam vitam fuerit am-

ANNUS 1093

Sigib. ad an. 1087.

Ughel. in Archiep. Benevent.

ANNUS 1093

plexatus? Probabilius igitur mihi videtur, donec hæc magis elucescant, S. Stephanum ad S. Nicolai reliquias post annum 1087 (quo facta fuit earum translatio) peregrinatum fuisse, et læsa valetudine, Miloni cardinali adhæsisse, donec Brunonis et ejus sociorum exemplo allectus, idem vitæ genus agere decreverit. Denique cum idem sanctus morti proximus, a duobus cardinalibus interrogatus quem Ordinem profiteretur, præ humilitate responderit se non esse canonicum, nec monachum, nec eremitam, sed se « Fratres, qui in Calabria Deo serviunt, utcumque sequi ». Hinc rursum patet eum de S. Brunonis discipulis loqui, qui eodem tempore sanctitate adhuc florebant. Neque enim apud ullum autorem legimus alios monachos, præter Brunonianos, singulari quadam institutione in Calabria tunc claros fuisse. Multa quidem leguntur in Grandimontensibus Annalibus, quæ huic nostræ opinioni prima fronte videntur adversari, sed quæ paulisper considerata dilui facile poterunt, tum ex supra dictis, tum ex S. Gaucherii canonicorum Aureliensium institutoris vita. Ibi enim legimus S. Stephanum, audita B. viri sanctitatis fama, ad eum accessisse et suis precibus obtinuisse, ut sibi cella construeretur in loco cui nomen Muretum, ab Aurelio « quantum arcus bis potest mittere sagittam » distante; id vero actum fuisse anno 1074 asserit Joannes Lévesque laudatorum Annalium autor. At S. Gaucherius, qui sedente Geraldo Lemovicensi episcopo huic Ecclesiæ anno 1138 præfecto, octogenarius biennio post, anno videlicet 1140, decessit; « in locum Aurelium ætatis suæ vigesimo secundo anno secesserat, » id est circa annum 1082. Unde colligimus S. Stephanum in Muretum post eumdem annum se recepisse; imo post annum 1087 quo prima Reliquiarum S. Nicolai translatio facta est, ac proinde post an. 1090 quo S. Bruno eremiticam vitam in Calabria condere cœpit.

[Margin: Ubi sup. cap. 2 et 3.]
[Margin: Vita S. Gaucher. apud Bolland. ad 9 April.]
[Margin: In Appar. de vita S. Steph.]

Verumtamen super uno moveri quispiam poterit, quod S. Stephanus in sua Regula dicat se quinquaginta fere annos in hac solitudine complevisse. Nam si obiit anno 1124 ut in vita ejus legitur, quomodo 50 annos in solitudine compleve-

[Margin: Reg. Grandimont. cap. 14.]

rit? Ad id respondemus : primum illius vitæ autorem non annum illius obitus designasse, sed diem tantum qui fuit « VI feria, Idus Februarii »; et convenit non solum cum prædicto anno 1124, sed cum annis 1140 et 1146 ad quos fortasse rejiciendum erit tempus mortis illius. Quæ certe conjectura fulcitur ex gallica S. Stephani vita a Carolo Fremono ejusdem Ordinis edita, ubi dicit sancti viri successorem illius obitum Carnotensi Concilio per nuntios significasse. At Concilium Carnuti habitum fuisse anno 1146 tertia Dominica post Pascha scribit Baronius. Hæc omnia sagacioris lectoris judicio committo.

ANNUS 1093

In vita ejus, cap. 2. apud Bolland.

Edita an. 1645.

Bar. ad an. 1146.

III. Hoc anno Guido Viennensis archiepiscopus S. Hugoni nostri Ordinis promotori litem intendit, qua pagum quemdam ab Ecclesia Gratianopolitana per centum et amplius annos possessum, tanquam proprium Viennensis Ecclesiæ dominium repetebat. Suam causam tueri S. Episcopus coactus est; licet, ut ait noster Guigo, « temporalium negotiorum litigiosas causas æternorum amore, non amare, sed tolerare magistra pietate didicisset. Dicebat enim omni febre molestiora sibi placita, modisque omnibus his renunciaturum, si non in hoc Deum se sciret offensurum. » Hunc certe spiritum B. Præsul adspiravit suis in Deo filiis, Patres nostros dico et eorum successores, quos ab omni dica alienos semper fuisse, data occasione, videbimus. Hujus controversiæ originem, progressum et finem ipsemet Hugo scriptis mandavit, quæ etiamnum in quodam Ecclesiæ Gratianopolitanæ Cartulario asservatur. Ibi itaque hujus litis initium et causa ab eodem Episcopo scripta sic exhibentur :

LIS INTER VIENN. ET GRAT. ECCL.

Vita S. Hugonis Gratianop.

« Ego Hugo Gratianopol. Episcopus posterorum notitiæ trado, qualiter Viennensis archiepiscopus Guido calumniam movit de Salmoriacensi pago adversus Gratianop. Ecclesiam, præfatum pagum injuste possidere volens, quasi juris esset Viennensis Ecclesiæ. Ad quam querimoniam diffiniendam, Viennam convenimus. Sed causa tunc indiscussa diem aliam placito constituimus, in qua die apud Rotmanos iterum convenerunt cum eo Gontardus Valentinensis et Guido Gene-

ANNUS 1093

vensis, nobiscum Pontius Bellicensis et Landricus Matisconensis episcopi ; ubi et scriptis et aliis testimoniis ostendimus quod pagum illum Gratianopolitana Ecclesia per centum annos et amplius possedisset. Ex quo vero primum possederit, penitus ignorare. E contra Viennenses objecerunt, quod eo tempore in quo Gratianopolit. Ecclesia a paganis desolata erat, ejusdem civitatis Episcopo ab Archiepiscopo Viennensi ad tempus concessum est. A quibus cum requisiissent præfati Episcopi si supra hac responsione aliqua Chartarum monimenta haberent, responsum est nullum exinde scriptum habere, sed solum vulgi rumorem sufficere. At Gratianopolitani Canonici postulaverunt ut præsentes Episcopi super hoc judicarent, utrum nuda et sola Viennensium verba Gratianopolit. Ecclesiam a possessione sua antiqua excluderent; sed Viennensis Archiepiscopus noluit audire judicium..... pro qua invasione Domno Papæ Urbano secundo proclamationem fecimus. Unde Lugdunensi archiepiscopo Hugoni, qui tunc Legatus Ecclesiæ Romanæ erat, literas destinavit. Lugdunensis itaque Archiepiscopus fretus Apostolica autoritate, utrumque nostrum ad tantam injuriam diffiniendam, apud Baonem ante præsentiam suam ex præcepto Domini Papæ venire fecit; qui utrimque audita ratione plenam investituram Gratianop. Ecclesiæ, quæ sicut diximus violenter expoliata fuerat, judicavit, et primo Concilio in Galliis celebrando calumniam se determinaturum promisit. Investituram autem Viennensis Archiepisc..... reddere nobis noluit, quoniam eo tempore Romam ad Dominum Papam Urbanum Legatum cum literis suis miserat, postulans ab eo, ut quæ juris erant Viennensis Ecclesiæ privilegio confirmaret. » Quid deinde secutum fuit anno sequenti dicetur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1094.

Urbani PP. II	Ord. Cartus.	Brun. Patriarc.	Lauduin. Pr. Cart.
Ann. 8.	Ann. 11.	Ann. 11.	Ann. 5.

ROGERIUS DAT MONASTERIUM DE ARSAFIA.

I. ANNO millesimo nonagesimo quarto, Indictione secunda, Rogerius comes priora beneficia novis accumulans, monasterium de Arsafia ecclesiæ de Eremo in ampliorem dotationem largitus est, pluribus villis ac possessionibus additis. Eodemque tempore dedicari curavit ecclesiam de Eremo in honorem sanctæ Mariæ et S. Joannis Baptistæ, quos sanctus Patriarcha, ut alibi diximus, in patronos sibi ab initio elegerat. Harum dedicationis et donationis fragmenta ediderunt Roccus, Pirrus et Ughellus; sed earum integrum exemplum habuimus ex Tabulario ejusdem Domus, sub sequenti tenore :

Pirrus in notitia ecclesiæ Catanen.

Ughellus in Episc. Squill.

« In nomine Dei æterni, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo quarto, Indictione secunda, cum ego Rogerius comes Calabriæ et Siciliæ, pro Dei amore et animæ meæ remedio, et pro salute animæ Roberti Guisguardi fratris mei gloriosissimi Ducis Apuliæ et Calabriæ, et pro remedio animarum fratrum meorum atque omnium parentum et uxorum mearum, vellem dedicari facere, ad honorem Dei et Beatæ Mariæ et Beati Joannis Baptistæ, ecclesiam de Eremo, quæ sita est inter Arenam et oppidum quod dicitur Stilum super territorium dicti oppidi Stili, per venerabiles et sanctissimos Patres Panhormitanensem Archiepiscopum, et Melitensem *, Tropeiensem, Neocastrensem, Catanensem atque Squillacensem episcopos,

* *Militensem.*

ANNUS 1094

collaudantibus eisdem sanctissimis Patribus, dedi Beato Patri Brunoni Magistro ejusdem Eremi, sibi et successoribus suis monasterium sanctæ Mariæ de Arsafia cum omnibus pertinentiis suis, ubicumque sint, eximendo eamdem ecclesiam seu monasterium de Arsafia, ab hodierno die in antea in perpetuum de omni temporali servitio et turri, ad quæ tenebatur oppido meo de Stilo; ut ecclesia de Eremo et Fratres in perpetuum illam quietam habeant sine omni calumnia, et sine temporali servitio, omni remoto tremati et placario, et omnibus remotis infestationibus. Hæc autem donaria ecclesiæ prædictæ de Bosco et Fratribus ibi Deo servientibus in dotem dedi, Adelayda conjuge mea confirmante et laudante, et concedente Goffredo filio meo, Malgerio filio meo. Quod monasterium Arsafiæ capella mea erat exempta ab episcopali jurisdictione per sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quod constare feci prædictis Archiepiscopo et Episcopis qui testes sunt hujus donationis, et testes sunt Josbertus de Luciano, Paganus de Gorgis, Rogerius Bonellus, Fulco capellanus meus, qui hæc scripsit. Hæc autem dedi testimonio supradictorum testium, et hi termini et limites S. Mariæ de Arsafia sunt : Ab arbore quercus ubi est lapis intrinsecus, qui est inter duo Casalia..... Item dedi locum qui dicitur Apostoli cum duobus casalibus Vingi et Biwingi, similiter liberis et exemptis ab omni communitate casalium meorum de dicto oppido meo Stili. Et hi termini dicti loci Apostoli, et hæc sunt nomina eorum, scilicet a scala Titan..... Item ecclesiam S. Fantini exemptam ab episcopali jurisdictione Heracii, quæ ad eamdem ecclesiam Arsafiæ pertinet, quæ posita est in pertinentiis Agrotteriæ in tenimento Heracii cum omnibus rationibus et pertinentiis suis, quæ sic dividitur : a casali Marmorum per viam publicam quæ descendit..... Item casale Arundi in pertinentiis civitatis Squillacii cum omnibus rationibus et pertinentiis suis, sicut tenere et habere eadem ecclesia Arsafiæ consuevit. Hæc autem omnia prænotata loca dono et concedo pro eadem ecclesia, in dotem Domino Patri Brunoni et successoribus ejus cum omnibus rationibus, aqua-

ANNUS 1094

rum decursibus, molendinis, nemoribus et arboribus cultis et incultis, mineriis æris et ferri et omnium metallorum, pascuis et omnibus juribus quæ ego et Curia mea habere consuevit; ita ut nemo ibi aliquid, nisi dicta ecclesia Eremi habeat, sicut et nunc ibi nemo aliquid juris habuit, nisi ego. Item concedo eidem ecclesiæ Eremi in reliqua terra mea usum liberum minerearum æris et ferri, etc. Hæc autem acta sunt mense Augusti dum regressus essem de expeditione quam feceram super Guillelmum, et ab obsidione Castrivillæ; et hoc meum privilegium ad perpetuam firmitatem jussi et mandavi, ac feci mea pendente bulla plumbea communiri. Rogerius comes, Adelays comitissa, Goffredus filius Domini Comitis, Malgerius filius comitis Rogerii, Josbertus de Luciano, Paganus de Gorgiis, Rogerius Bonellus, ego Fulco Domini comitis Rogerii capellanus, de mandato ejus hoc privilegium scripsi, et me subscripsi. »

Consecratur ecclesia Eremi.

« Anno Domini nostri Jesu Christi 1094, mense Augusti, Festo beatæ Mariæ assumptæ, Ego Alcherius Nic..... archiepiscopus Panormitanus consecravi ecclesiam istam in honorem Dei et B. Mariæ Virginis et B. Joannis Baptistæ, in præsentia Militensis, Tropeiensis, Neocastrensis, Catanensis et Squillacensis Episcoporum; una cum Domino Rogerio comite Calabriæ, Adelaide comitissa, Magistro Brunone et Lanuino, et cæteris Fratribus heremitis assistentibus, et in præsentia bonorum hominum, qui omnibus vere pœnitentibus et confessis..... quadraginta dies de vera indulgentia pœnitentiæ relaxavit, archiepiscopatus sui anno..... Ego Alcherius Nico..... archiepiscopus Panormitanus; Ego Tristenus Tropeiensis episcopus interfui. Ego Theodorus episcopus Squillacensis interfui. Ego Gofridus Militensis episcopus interfui. Ego Henricus Neocastrensis episcopus interfui. »

ROGERIUS APULIÆ DUX CONFIRMAT DONATIONES LOCI TURRENSIS.

II. Hoc pariter anno Rogerius Apuliæ Dux in S. Brunonem æque affectus, donationem patrui sui de loco Turrensi laudavit et confirmavit speciali diplomate, cui subscripsit Adela ejus uxor ut sequitur :

« Rogerius Apuliæ et Calabriæ inclyta Dei gratia Dux :

ANNUS 1094

Ex Arch. ejusdem Cartusiæ.

omnibus fidelibus Christianis præsentibus et futuris in Domino salutem. Notum esse volumus fraternitati vestræ de duobus viris Brunone scilicet et Lanuino, qui sanctæ Religionis studio accensi, cum sociis suis in terram Calabriæ e Galliæ partibus disponente Deo venere, et meo ductu in terra quæ prædicta est, locum qui eorum proposito conveniret quæsierunt; quem cum sibi idoneum penes me non invenissent, elegere manere inter locum qui dicitur Arena, et oppidum quod appellatur Stilum. Locum autem illum Rogerius comes Siciliæ patruus meus et fidelis, ipsorum precibus apud Deum desiderans adjuvari, toto cordis affectu illis donavit : de Comitatu enim ipsius per meam concessionem erat, et a totius servitutis debito et ab omni angaria in perpetuum liberavit. Ita siquidem ut aliquis suorum vel extraneorum, stratigotus aut vicecomes, rusticus aut miles, servus aut liber non sit, qui in illo loco pascui aut agriculturæ, sive piscationis, aut venationis, vel lignorum occasione, aut ex quacumque causa servis Dei molestiam seu injuriam faciant; sed in eorum potestate sit omnino locus prædictus, vel secundum quod voluerint, possideant, ordinent et disponant. Talem ejus loci donationem et libertatis prædictæ concessionem, ego Rogerius Dux laudo et corroboro. Et quoniam terra illa de meo Ducatu est, ut nullam in perpetuum patiatur calumniam modis omnibus contradico. Quod si quis contra sententiam quæ data est, agere præsumpserit, et nostrum violaverit præceptum, certissimum habeat quia aut de cunctis finibus nostris in æternum exterminabitur, aut gladio meo sive successorum meorum ferietur. Ut omnia igitur superius concessa firma et illibata permaneant, hanc chartulam cuidam nostro clerico Rodulpho ego Rogerius Dux et uxor mea Adela scribere præcepimus, et sigillo nostro signavimus, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo quarto, Indictione prima.»

S. HUGO ROMAM NUNTIUM MITTIT CONTRA GUIDON. ARCHIEP. VIEN.

III. Hoc anno, cum audisset S. Hugo Guidonem archiepiscopum Viennensem privilegium ab Urbano Ecclesiæ Gratianopolitanæ juribus contrarium obtinuisse, « cum summa festinatione, inquit ipse S. Præsul, Romam misimus apud

Domnum Papam conquerentes, et de contempto super investituram Legati sui judicio, et de privilegii subreptione. Unde Domnus Papa Urbanus Lugdunensi archiepiscopo Hugoni Legato suo literas mandavit, quarum exemplum infra scriptum est; » quod ideo subjicimus, quod nesciamus an uspiam editum sit.

ANNUS 1094

Ex Cartul. Eccl. Gratian.

« Urbanus, etc. dilecto Fratri et Coepiscopo Hugoni Lugdunensi, et S. R. E. Legato sal. et Apost. Bened. Sollicitudinis nostræ vices et agendorum Conciliorum providentiam strenuitati tuæ pure simpliciterque commisimus, sed pro conservanda pace et negotio facilius peragendo, utilius æstimavimus Confratris nostri Remensis Archiepiscopi concilium consciscere, quia in ejus manu familiarius causa Regis versatur; tua vero intererit sive cum ejus, sive sine ejus consilio, prout tibi a Domino copiam ministrari conspexeris, injunctæ Legationis officium exercere et pullulantes vitiorum palmites divini verbi falce recidere. Inter Viennensem archiepiscopum Guidonem et Gratianop. episcopum Hugonem quid rerum sit, sagacitas tua longe melius infra Provinciam investigare prævalet, quam nos qui tam longis terrarum spatiis absumus. Quod igitur de eodem negotio tua Fraternitas statuit, nos de tuæ justitiæ integritate securi nostra assertione firmamus. Si quas vero nostræ autoritatis literas Viennensis objecerit, nosse nos volumus, quia nos nihil ipsi aut Ecclesiæ Viennensi concessimus, nisi quod juste hactenus possedisse cognoscitur; etiamsi per subreptionem forte, quod absit, aliquid videatur extortum. Sua enim cuique jura volumus servari. Tu hanc eorum dissensionem quanto citius poteris, adjuvante Domino sopire procura; in his et aliis quæ Dei sunt, in promptu habeas te Dei ministrum spiritu ferventissimo exhibere. Orantem pro nobis sanctitatem tuam gratia divina custodiat. Data Romæ XVII Kal. Junii. »

Bullam ab Urbano II obtinet ad Hugonem Archiep. Lugdunen.

Statimque post hanc Urbani Epistolam subdit B. Hugo : « nobis vero per eumdem Legatum literas in hunc modum misit :

Bullam alteram ab eodem Papa recipit.

« Urbanus, etc. Dilecto Fratri Hugoni episcopo Gratianop.

ANNUS 1094

salutem et Apostolicam Benedict. Pro negotio tuo Confratri nostro Lugdunensi Hugoni archiepiscopo rescripsimus. Quod enim ipse nostra vice statuit, nos nostra assertione corroboramus. Si quas vero nostræ autoritatis literas Viennensis Archiepiscopus opposuerit, nichil causæ tuæ officere arbitreris. Nos enim nichil ipsi aut Ecclesiæ Viennensi concessimus, nisi quod juste hactenus possedisse cognoscitur. Sua enim cuique volumus jura servari. Orantem pro nobis Fraternitatem tuam miseratio divina custodiat. Data Romæ XVII Kal. Junii. »

Sic autem pergit Hugonis nostri Commentarius. « Interea Lugdunensis Hugo apud Æduensem civitatem Concilium disposuit celebrare, ubi nos interesse præcepit, paratos ad dirimendam totius Concilii judicio querimoniam. Tandem in Concilio ad causam nostram ventum est, ubi post multa verba, ut causam nostram injustam esse Viennensis Archiepiscopus comprobaret, scripturam quasi multa vetustate contritam protulit, quæ continebat quod Barnuinus Viennensis archiepiscopus Isarno Gratianop. episcopo ecclesiam sancti Donati et Salmoriacensem pagum concessisset, donec Gratianopolitanæ Ecclesiæ pax a persecutione paganorum, qua tunc vastabatur, redderetur. Qua perlecta, a timore quem nobis incusserant respiravimus, rogantes Apostolicum Legatum ut Chartam illam ipse servaret, quæ sine dubio falsum testimonium dabat : quoniam Barnuinus Viennensis archiepiscopus et Isarnus Gratianopol. pontifex non contemporanei fuerunt, sicut ex Catalogo Lugdunensi et ex aliis multis scriptis collegimus. Præterea Chartam illam infirmavimus et cassavimus, ex eo quod Alcherius Gratianopol. episcopus, antecessor Isarni episcopi, prædictum pagum Salmoriacensem possedisse multis Chartarum testimoniis cognoscitur ; et ecclesiam S. Donati Gratianopolitana Ecclesia non per Barnuinum obtinuisset, sed largitione Regum videlicet Bosonis et Ludovici filii sui, quod perceptis eorum Regalibus declaratum est. Tentaverunt autem Archiepiscopi præsentes et Episcopi rogatu Apostolici Legati, qui Concilii turbationem formidabat, pa-

cem inter nos et concordiam reformare; sed nihil tunc actum est usque ad annum sequentem. »

ANNUS 1094

BRUNO SCRIBIT AD FRATRES CARTUSIÆ.

IV. Hoc pariter anno vel circiter Lauduinus Prior Cartusiæ, ne a vestigiis et institutis sancti nostri Patriarchæ præceptoris sui deflecteret, neve suos aliter institueret quam ab illo cum sociis Fratribus didicisset, iter longissimum suscepit ad ipsam usque Calabriæ Eremum, singula accuratius ab illo percontaturus, ac præsertim ut remedia novis, quibus quotidie sui agitabantur, tentationibus adhibenda exposceret. Jam quatuor annos a suo in Cartusiam reditu in pace exegerant, cum ecce circa hæc tempora adfuit Satan inter filios Dei. Occupabant tunc Curreriæ desertum quidam eremitæ gyrovagi, homines vanissimi (ut eos in sua epistola subjicienda Bruno ipse vocare non dubitat), qui malo invidiæ genio perciti Cartusiensium professionem, arctissimam præsertim solitudinem qua sua damnabatur inconstantia, carpere cœperunt. Eoque processit horum hominum malitia, ut scriptis seminatisque in Patrum famam libellis, eos apud vulgi mentem diffamarent. His igitur et aliis gravibus de causis Lauduinus ad Magistrum Brunonem perrexit. Ubi vero per laboriosissimum iter in Calabriam devenit, eique sui gregis statum aperuit, post aliquot dies accepto ejus consilio, cum ad oves sibi commissas redire vellet, filium carissimum propter graves et crebras ejus infirmitates pater humanissimus penes se diutius retinere voluit. Verum animadvertens illum magno Fratrum suorum desiderio teneri, passus est illum regredi data ad filios sequenti epistola, qua tum Lauduini tum cæterorum Fratrum fervor innotescit.

« Fratribus suis unice dilectis in Christo, Frater Bruno salutem in Domino. Cognito rationalis et vere laudandæ disciplinæ vestræ inflexibili rigore, ex crebra ac dulci relatione carissimi fratris nostri Lauduini, necnon audito sancto amore vestro et incessanti studio erga ea quæ integritatis et honestatis sunt, exultat spiritus meus in Domino. Vere enim exulto, et feror in laudem et gratiarum actiones Domino, et tamen amare suspiro. Exulto quidem, ut justum est, pro incremento

ANNUS 1094

frugum virtutum vestrarum; me autem doleo, et erubesco inertem et socordem jacere in sorde peccatorum meorum. Gaudete ergo, Fratres mei carissimi, pro sorte beatitudinis vestræ et pro larga manu gratiæ Dei in vos; gaudete quia evasistis fluctuantis mundi multimoda pericula et naufragia; gaudete quia quietam et tutam stationem portus secretioris obtinuistis, ad quem cum multi venire desiderent, multi quoque nonnullo conatu contendant, non perveniunt tamen; multi vero postquam potiti fuere exclusi sunt, quoniam nulli eorum desuper concessum est. Ideo, Fratres mei, certum ac probatum sit vobis, quod quicumque hoc optabili est usus bono, si quocumque modo id amiserit, usque in finem dolebit, si quis respectus vel cura salutis animæ suæ sibi fuerit.. De vobis dilectissimis Fratribus meis Laicis dico : « Magnificat anima mea Dominum », quia magnificentiam misericordiæ suæ super vos intueor, secundum intimationem Prioris vestri et Patris amantissimi, qui multum gloriatur pro vobis et gaudet. Gaudeamus et nos, quoniam cum scientiæ literarum expertes sitis, potens Deus digito suo inscribit in cordibus vestris non solum amorem, sed et notitiam sanctæ Legis suæ. Opere enim ostenditis quid amatis quidve nostis. Nam cum obedientiam veram cum omni cautela et studio observatis (quæ est executio mandatorum Dei et clavis ac signaculum totius spiritualis disciplinæ, quæ nunquam est sine multa humilitate et egregia patientia, quam semper comitatur castus amor Domini et vera charitas), manifestum est vos sapienter legere ipsum fructum suavissimum et utilem Scripturæ divinæ.

« Ergo, Fratres mei, permanete in eo ad quod pervenistis, et morbidum gregem quorumdam vanissimorum laicorum ut pestem vitate, qui chartulas suas circumferunt, mussitantes quæ non intelligunt nec amant, quibus verbis et factis contradicunt. Qui otiosi et gyrovagi quotquot bonis et religiosis detrahunt, et se in hoc laudabiles putant si laudandos infamaverint, quibus obedientia et omnis disciplina odio est. Fratrem vero Lauduinum nobiscum detinere volui propter

graves et crebras infirmitates suas, sed quia sibi nihil sanum, nihil jucundum, nihil vitale et utile esse sine vobis reputat, non acquievit; protestans mihi in lacrymarum fonte pro vobis emanante et suspiriis multis, quanti apud eum sitis et quam perfecta charitate vos omnes diligat : unde coactionem nullam facere volui, ne læderem eum aut vos quos carissimos pro merito virtutum vestrarum habeo. Quapropter Fraternitatem vestram sedulo moneo et summisse atque obnixe precor, ut charitatem quam corde gestatis, executione operis in ipsum, utpote in Priorem et patrem vestrum carissimum ostendatis, benigne et provide subministrando quæ sibi pro multimoda valetudine sua necessaria sunt. Quod si vobis in hoc humanitatis officio non consenserit, malens periclitari de salute et vita quam aliquid de disciplinæ corporalis rigore omittere, quod prorsus improbandum est; forsitan erubescens, ut qui prævius in Religione est, in hac parte posterior inveniatur; metuens ne occasione sui aliquis ex vobis remissior vel tepidior fiat (quod nullatenus formidandum puto); ne hujus gratiæ expertes sitis, nostram vicem in hoc tantum vestræ Charitati concedimus, ut liceat vobis reverenter eum cogere ad ea quæ saluti suæ commoda sunt. De me, Fratres, scitote quoniam mihi unicum post Deum est desiderium veniendi ad vos, et videndi vos; et quando potero opus adimplebo, Deo adjuvante. Valete. »

ANNUS 1094

V. Interea sicut « otiosi isti homines et gyrovagi, » quorum, ut diximus, in præfata epistola mentio habetur, injuriis et calumniis Monachos Cartusiæ lacessere non desistebant, ita et patientissimi Patres juxta Evangelii præceptum his qui oderant eos benefacere non cessabant. Nec brevis fuit illorum persecutio quæ ad magni Guigonis tempora perseveravit. Qualis vero quantaque fuerit, ipse noster Legislator nobis solum cogitandum reliquit, cum de his sic loquitur : « Hæ (duæ Cureriæ) habitatæ non semel a discordiosis et instabilibus hominibus, sub specie religionis quas nobis molestias et perturbationes genuerint, vel quid beneficiorum et subsidiorum præfati homines a nobis acceperunt, quia longum est,

QUOMODO INTROD. OFFIC. B. MARIÆ.

V. an. 1129.

ANNUS 1094

scribere nolumus. » Adeo tamen crevit eorum vexatio, ut fratres inde conturbati ratique locum iræ dandum, alio tandem migrare proposuerint. « Sed ecce Dominus, sunt verba Henrici Calkaris, qui non deserit sperantes in se, misit eis sic colloquentibus super hac re (sicut scribitur de Spiritu : nescis unde veniat aut quo vadat), virum venerabilem et canum sic dicentem : Fratres, perplexi estis de recedendo; ego dico vobis ex parte Dei, quod B. Virgo Maria conservabit vos si Horas ejus quotidie legeritis, cum eis Canonicas præveniendo sed Completorium subsequendo. Quo dicto homo evanuit. Hominem illum postea conjecturabant fuisse sanctum Petrum, ex quo successor ejus Urbanus II in Concilio Claromontensi Horas instituit legendas B. Virgini. Et exinde ita sunt confirmati, quod nec pro vita nec pro morte separari potuerint a charitate Christi. » Hanc visionem ante Claromontense Concilium factam innuit Calkar, quod et Baronius videtur his verbis astruere : « Quas preces et Cartusiani divino monitu haud pridem suscepere dicendas. » Fatendum nihilominus est virgineum hoc Officium diu ante, inter Petri Damiani monachos in usu fuisse, quod etiam trecentis et amplius annis ante ipsum Damianum institutum fuisse probat cardinalis Bona. Cistertienses nostro exemplo ducti has Horas ante canonicas recitant, Completorio excepto quod solent postponere. Id Patribus nostris fuisse revelatum divinitus Dorlandus post Calkarum narrat. Eumdem modum a pluribus observari scribit Radulphus Tungrensis hancque affert rationem, nempe ut per officium Mariæ cursus officii incœptus, ipso etiam finiatur; et qui in ejus precibus diem clausimus, sequentem per ejus Preces incipiamus. Sub Jancelini Cartusiæ Prioris regimine, cum a quibusdam e nostris hic ordo in utriusque officii recitatione sensim negligeretur, stricte præceperunt Patres ad Capitulum generale celebrandum congregati, ut « Horæ S. Mariæ semper præcedant Horas canonicas, excepto Completorio ». Notandum præterea a quibusdam parvum hoc virginale Officium intermitti in Hebdomada Paschali, triduo præcedenti, et quando principale servitium

Tract. ms. de orig. et progres. Ord. Cartus.

Petr. Dam. Epist. 120.

Bona, de divin. psalm. c. 12.

Dorland. l. 4. Chron. Cart. cap. 1.

Rad. de obser. Can. prop. 20.

Stat. mss. a Jancelino collecta ante ann. 1222.

Rad. ubi supra.

fit de Virgine gloriosa. Sed Cistertienses illud nunquam omnino omittunt, sicut nec Cartusienses ; nisi quod tribus diebus ante Pascha Psalmos ad Tertiam, Sextam et Nonam mutant, ut videre est in nostro Ordinario.

ANNUS 1094

Ordin. Cart. c. 13 et 49.

JESU CHRISTI

ANNUS 1095.

Urbani PP. II	Ord. Cartus.	Brunon. Patriar.	Lauduini Pr. Cart.
Ann. 8.	Ann. 12.	Ann. 12.	Ann. 6.

AN PRÆFATIO B. V. MARIÆ S. BRUNONI TRIBUENDA ?

I. NONAGESIMUS quintus supra millesimum surgit annus, Indictione tertia, quo Urbanus Pontifex generalem Synodum circa mediam Quadragesimam Placentiæ habuit. Huic Concilio Brunonem interfuisse dicit Surius, et adstipulatur Baronius scribens Urbanum Brunonis opera usum in Conciliis celebrandis usque ad Placentinum. Nec obstat quod diu ante in solitudinem Calabriæ se receperit, nam ex illa subinde ab Urbano evocatum fuisse probavimus; ita ut verisimile sit illum omnimodam secedendi missionem a Papa tantum obtinuisse post absolutum præfatum Concilium. Sed de nostro Patriarcha præclarum quid nobis revelat Camillus Tutinus. « Brunone exorante, inquit, in Placentino Concilio decernitur ut pro Terræ Sanctæ recuperatione preces horariæ ab universa Ecclesia B. Mariæ recitarentur; atque ipse Præfationem *Et te in veneratione B. Mariæ Virginis collaudare,* quæ adhuc in Missis dicitur, devote composuit. » Melius forsan dixisset, ut legeretur et cantaretur consuluit, nam Petrus Canisius hujus Præfationis compositionem tribuit Gregorio Magno. Ut ut sit, fatetur Labbeus in eodem Concilio antiquis novem Præfationibus decimam de S. Maria additam, illam nempe de qua loquimur. Hanc etiam a quodam Cartusiensi compositam fuisse (sive potius restitutam) narrat Antonius Beuterius; sed Cartusiensem monachum, quem hic autor non no-

Baron. ad an. 1092.

Can. in Marial. lib. 4. cap. 21.

Labb. addit. ad Conc. Plac.

minat, Brunonem fuisse indicat laudatus Tutinus. De parvo S. Mariæ Officio fieri potest Brunonem, de visione suis in Christo filiis anno superiori divinitus facta edoctum, Urbano suasisse ut illud, ad obtinendam a Deo Terræ Sanctæ recuperationem, toti Ecclesiæ præscriberet.

ANNUS 1095

Ant. Beut. de part. Missæ.

Bertholdus Constantiensis autor hujus temporis, inter hæreses Placentiæ damnatas Berengarianam enumerat. Ad quid vero iterum anathematis fulmen contra Berengarium, quem jam ab antiquo in septem aut octo Conciliis damnatum fuisse Patres non ignorabant? Id igitur factum fuisse commonente Brunone non est ineptum conjicere, cum ipse illum optime nosset vel etiam ejus discipulus forsan fuisset ut in ejus vita ante secessum diximus, quemque videbimus morti proximum in prava magistri dogmata novum damnationis judicium proferentem.

Berth. in Hist. sui temporis.

CONTROVERSIA INTER VIEN. ET GRAT. EPISC.

II. Antequam Placentia Bruno discederet, non mediocrem habuit consolationem ex adventu S. Hugonis Gratianopolitani sui quondam discipuli, qui ultima tantum Concilii die huc accessit, ut ipsemet his verbis testatur in narratione litis quam cum Archiepiscopo Viennensi habebat : « Interea Dominus Papa Urbanus Placentiæ disposuit celebrare Concilium ubi gallicanos Episcopos præcepit interesse: quo supra lata injuria querimoniam facturus cum pergerem, Viennensem Archiepiscopum in Italia apud sanctum Ambrosium reperi, qui ut me ab incepto itinere revocaret ebdomada qua Concilium Placentinum Papa celebrare disposuerat, consilio Lugdunensis Archiepiscopi se obedituram de causa nostra spopondit. Hac intentione ab itinere domum regressus, cum Lugdunum venire determinata die præpararem, Viennensis placitum renunciavit. Et sic...... iter quod intermiseram statim arripui, et ultima die Concilii summa cum festinatione Placentiam veni, ubi coram Papa et universo Concilio violentiam..... exposui. Quo audito, totius Concilii judicio plenam investituram Salmoriacensis pagi Papa nobis tradidit..... et super hoc Viennensi Archiepiscopo literas destinavit, quorum exemplum infra scriptum est :

Ex Cartular. Eccl. Gratianop.

ANNUS 1095

« Urbanus, etc. Guidoni Viennensium archiepiscopo salutem et Apostolicam Benedictionem. Necessitati et utilitati Ecclesiæ providentes, in promotione tua *quod ætati deerat* toleravimus contra Ecclesiæ nostræ morem; absenti tibi pallium contribuimus; privilegium quoque concessimus, in quo tamen Legatus tuus id per subreptionem fecit adscribi « quod usque ad tua tempora Gratianopolitanus Episcopus possederat » (quem in Romana Ecclesia plurum karum habemus); qua de re cum sæpe apud nos, et apud Legatum nostrum venerabilis confrater noster supradictus episcopus conquestus fuerit, etc. Nuper autem ad Concilium, quod annuente Domino Placentiæ celebravimus, idem Episcopus veniens de eadem re, de Salmoriacensi pago videlicet, in communi audientia conquestus est. Plurimorum etiam assertionibus patuit, pagum illum sub nonnullis Episcopis Gratianopolitanam Ecclesiam possedisse. Illam igitur subreptionem per quam res sub querimonia positas quasi per privilegium vindicas, nos irritam esse et vires nullas obtinere decernimus. Unde Synodali judicio eum de pago illo salva Ecclesiæ tuæ justitia reinvestivimus, et tibi præsentium literarum autoritate præcipimus ut eamdem vestituram adimpleas, et eum quiete possidere permittas donec aut ante nos, aut ante Legatum nostrum, canonico judicio decidatur. Quod si contempseris, profecto noveris B. Petri ac nostram te gratiam amissurum. Data Placentiæ IIII Idus Martii. »

SOLVITUR LIS DE SALMOR. PAGO.

III. Absoluto itaque Concilio, sancto Brunone ad amicam Calabriæ solitudinem se recipiente, S. Hugo Gallias repetens præfatas literas Guidoni per certum hominem reddi curavit. At illo nec statim pontificio mandato obtemperante, Hugo ad Papam Mediolanum citissimo gradu rediens, literas ab eodem VII Kalendas Junii ad clerum et populum pagi Salmoriacensis obtinuit, quibus eis præcipit ut Episcopo Gratianopolitano obediant, « donec utrisque præsentibus Guidone videlicet et Hugone, idem negotium in nostra vel Legati nostri audientia canonico judicio diffiniatur. » Post hæc Urbanus in Galliam marino itinere divertit. « Contigit interea, pergit nos-

ter S. Præsul, Domnum Apostolicum Gallicanam Ecclesiam visitare, qui Valentiam ad dedicandam majorem ecclesiam veniens, ibique Viennensem Archiepiscopum allocutus ad dirimendam litem, quæ inter nos erat, apud Rotmanos utrumque ante præsentiam suam die constituta adesse præcepit, sed sine ullo fructu. Quamobrem ego in Arverniensi Concilio quod Papa eodem anno celebravit, querimoniam nostram adversus Archiepiscopum jamdiu agitatam Papæ et universo Conventui repræsentare curavi. Apostolicus vero injuriæ nostræ et labori compatiens, Salmoriacensem pagum Gratianopolitanæ Ecclesiæ ex integro restituit..... Et exinde Comiti et parochianis nostris literas sequentes delegavit : ANNUS 1095

« Urbanus, etc. Dilectis filiis Guigoni comiti, clero et populo Gratianop. salutem et Apostolicam Benedictionem. Querelam venerabilis confratris Hugonis vestri Episcopi de Salmoriacensi pago jamdiu agitatam, Concilii, quod apud Clarummontem civitatem Arverniæ celebravimus, autoritate noveritis diffinitam...... Nos possessionem illam, quam et idem Frater Hugo, et nonnulli suorum Antecessorum possedisse noscuntur, supradicto Fratri nostro et Gratianopolitanæ Ecclesiæ restituimus....... Omnibus etiam in eodem pago commorantibus tam clericis quam laicis, ne Viennensi Archiepiscopo obediant interdicimus, donec aut judicium quod factum est exequatur, aut querela hæc ante nos Canonico judicio inter utrumque comprobata certiorem finem accipiat. Data III Kalend. Decembris apud Clarummontem Arverniæ.

« Guigo quidem comes (semper Hugo loquitur) Apostolicis literis excitatus Archiepiscopum adire, apud eum et minis ac precibus effecit, quatenus pagum secundum præceptum Apostolici nobis et Gratianopolitanæ restitueret. Cui restitutioni apud capellam Arearum interfuerunt: Gualterius Albanensis et Leodegarius Vivariensis episcopi, Viennensis Ecclesiæ et Gratianopolitani Canonici, Guigo prædictus comes, necnon et Principes istius terræ. » Nec propterea tota lis sopita est. Nam S. Hugone paulo post in Apuliam profecto et ibi per biennium detento, ejus absentiæ occasione utens Archie-

ANNUS 1095

piscopus pagum iterum occupavit, ut ipsemet Hugo his verbis declarat : « quam investituram, inquit, quoniam corporis infirmitas fere per biennium in Apulia me detinuit, Archiepiscopus iterum invasit. » Tam longi itineris suscepti causam assequi non possumus, nisi forsan ut sanctum magistrum suum Brunonem inviseret ; eum vero exeunte hoc anno, vel ineunte altero profectum fuisse conficimus, quod dicat per biennium ibidem remansisse, et aliunde constat quod Gratianopolim redierit circa finem anni 1097, ut ibidem dicemus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1096.

Urbani PP. II	Ord. Cartus.	Brunon. Patriar.	Lauduini P. Cart.
Ann. 9.	Ann. 13.	Ann. 13.	Ann. 7.

I. SEQUITUR annus millesimus nonagesimus sextus, Indictione quarta, quo Raynaldus Contractus Remensis Archiepiscopus redux e Concilio Claromontano, viam universæ carnis ingressus est. Hic Manassæ infensissimo S. Brunonis insectatori successerat. Post ejus mortem legimus Lamberto Bertiniensi Abbati, electioni de se factæ non consentienti, suffectum fuisse Manassem alterum tanta dignitate non indignum, virum ex illustrissima ortum familia, quem in vita S. Brunonis ante secessum vidimus ejus tribulationum socium, quique a Marloto (de quo infra) dicitur virtuti ac literis ab incunabulis operam dedisse sub Brunone scholarum Remensium Primario, tantumque in eis profecisse, ut cum Majoris Ecclesiæ canonicatu quem adhuc puer obtinuerat, Præpositi et Thesaurarii dignitates conjunxerit, quibus per multos annos egregie perfunctus est; in iisque sic se dignum amplioris villicationis ostendit ut, archiepiscopatu vacante, concurrentibus electorum votis, pontificale cacumen sit adeptus. Scribunt quidam S. Brunonem fuisse tunc a Clero Remensi in Archiepiscopum electum. Sed cum hi non meminerint ejus ad sedem Regiensem electionis, probabilissimum est eos pro Risensi sive Rhegiensi legisse, vel etiam corrigendo scripsisse Remensi. Sed nihil simile habet Marlotus agens ad præsentem annum de Raynaldi successore.

RAYNALDUS ARCHIEP. REMENSIS MORITUR.

Ep. S. Anselmi lib. 3. Epist. 139.

Marl. in metrop. Rem. to. 2.

Calkar, Dorlandus et alii recentiores.

ANNUS 1096

JO. DE NICEPHORO FIT EPISC. MILITEN. AGENTE S. BRUNONE.

II. Dum de S. Brunonis provectione ad sedem Remensem recte dubitamus, aliam electionem tanquam certissimam non de eo, sed eo suadente, de amico ejus hoc ipso anno factam proferimus. Mortuo siquidem Theodoro episcopo Squillacensi, quem de S. Brunone bene meritum fuisse superioribus annis vidimus, Rogerius comes consilio usus Episcoporum et præsertim S. Brunonis et Lanuini ejus collegæ, assentientibus Calabriæ et Siciliæ Præsulibus, Joannem de Nicephoro Militensis Ecclesiæ Decanum, episcopum nominavit; quod constat ex literis ab eodem Rogerio concessis, quæ extant apud Ughellum, in quibus sic de Brunone loquitur Rogerius: « Consilio Cassanensis Episcopi, et aliorum Præsulum quos ille nominat, atque Domini Brunonis et fratris nostri Lanuini eremitarum virorum sanctorum consiliis, dominum Joannem de Nicephoro...... in Magistrum elegi et Pontificem. Sui antecessoris erga nostros eremitas affectum imitatus est Joannes, multa bona eis conferens, de quibus postea. Quidam e nostris inferunt Lanuinum fuisse Rogerii comitis fratrem, quod in præfatis literis eum vocet fratrem nostrum Lanuinum. Sed hæc non videntur mihi sufficere ad id penitus concludendum, nisi de notho intelligerentur. Denique idem Rogerius hoc Brunonis monasterio 50 rusticorum familias addixit. Cujus beneficii literæ græco idiomate exaratæ sunt.

Ughel. in Episc. Squillac.

Surian. in Annot. in vit. S. Brunone.

LAUDUINUS QUOSDAM DONAT HABITU RELIGIONIS.

III. Lauduinus Prior Cartusiæ vigilias interim agens super pusillum gregem suum, sibique credito a beato Brunone muneri solerter incumbens, cœpit juxta promissa S. Petri anno præterito sibi et sociis apparentis, Beatæ Virginis experiri auxilium et patrocinium. Nam circa hoc tempus plures sub eo militiam Christi exercituri, in Cartusiam se receperunt, inter quos fuerunt Petrus cognomento Francus, qui post eum Cartusiæ prioratum tenuit; Odilo B. episcopi Hugonis pater carnalis, qui sanctis ac salutaribus filii sui consiliis acquiescens, humilis Conversi habitum etiam plusquam octogenarius jam ante induerat, et alii.

JESU CHRISTI

ANNUS 1097.

Urbani PP. II Ann. 10.	Ord. Cartus. Ann. 14.	S. Brun. Patriar. Ann. 14.	Lauduini P. Cart. Ann. 8.

ROGERIUS ROGERII COMITIS FILIUS A S. BRUNONE BAPTISATUR.

I. SEQUITUR annus Redemptoris millesimus nonagesimus septimus, Indictione quinta, quo juxta Camillum Tutinum, Rogerio comiti nascitur Rogerius filius ex Adelasia uxore, futurus primus Siciliæ Rex. Quidam hunc natalem ad aliud tempus referunt. Sed nostrum non est quæstionem hanc solvere. Unum tantum nobis constat Rogerium Rogerii comitis filium, sive hoc vel alio anno natum, a S. Brunone, ita rogante ac volente patre, sacro lavacro baptisatum fuisse in ecclesia Militensi, necnon et a Lanuino e fonte levatum, quasi susceptore. Hujus rei testem certissimum profert Tutinus Maraldum et ipsum Cartusiensem, sive potius Turrensis eremi monachum, qui cæremoniæ interfuit et rythmum de his composuit, quod in argumentum hujus veritatis ipse Tutinus retulit, ex quo sufficiant quæ sequuntur:

Ex Camillo Tutino in Prospectu histor. Ord. Cart.

Chorus lætus ac discretus
Læta ludit carmina,
Pro lavacro divo sacro
Undæ tum lustralis.
Comes erat, et exorat
Brunum Alemanicum :
Nam tenetur ut ligetur
Illius devotio.
Accersitus, non invitus,
Jubilosus advenit.
Baptisatur et lavatur

ANNUS
1097

Sacro puer flumine.
Lanuinus est patrinus
Nobilis Northmannicus.
Tumque sacro de lavacro
Olivo a Bruno inungitur.
Sistunt bellum, post puellum
Christo Deo supero.
Felix omen, tenet nomen
Puer hic Rogerius.
Canunt omnes, stant insomnes,
Metris jubilantibus.
Ardet forus, gaudet thorus
Nimio præ gaudio.

MONASTERIUM B. VIRG. ET S. STEPHANI PROTOMART. CONSTRUITUR.

II. Crescente jam in eremo S. Mariæ monachorum multitudine, cum locus ille numerum non caperet, Rogerio comite jubente et expensas subministrante, aliud non longe a præfata eremo, sub titulo ejusdem Virginis et Protomartyris Stephani construitur monasterium, ut asserit Tutinus, et constabit ex Rogerii literis anno sequenti exscribendis in quibus S. Bruno dicitur : « piissimus Pater Fratrum qui habitant in Ecclesiis Sanctæ Mariæ de Eremo et B. Protomartyris Stephani ». Et inferius, sub earumdem literarum finem : « Ad Ecclesiarum B. Mariæ de Eremo et B. Protomartyris Stephani obligavi perpetuas servitutes. » Hoc S. Stephani monasterium quidam nostrum crediderunt fuisse ad formam Correriæ, quam Domum inferiorem vocamus, constructum ; ibique solos Conversos cum Procuratore commoratos fuisse sicut in Majori fiebat Cartusia. Verum monachos etiam ibidem vixisse hinc colligimus quod Lanuinus, vivente B. Brunone, Prior ejusdem monasterii diceretur, ut videre erit in præfatis Rogerii literis in quibus Comes declarat, quod « ad petitionem Fratris Lanuini Prioris Ecclesiæ S. Stephani », jussit nomina conjuratorum poni in eisdem literis. Præterea cum in Chronico quatuor Cartusiæ Priorum, tempore Guigonis edito, S. Bruno dicatur in Calabriam secessisse, « ibique laicis et clericis quam plurimis adunatis, solitariæ vitæ propositum quamdiu vixit exercuisse » : ex his verbis colligimus S. Patriarcham non duodecim tantum monachos, ut in Cartusia, sed quot-

quot sese obtulerunt recepisse; et ideo duo condidisse Monasteria, propter rationes alibi allatas.

ANNUS 1097

S. BRUNO SCRIBIT AD RADULPHUM VIRIDEM.

III. Manasse Præposito Remensi in antistitem ejusdem Ecclesiæ renunciato, ut anno superiori diximus, Radulphus Viridis eadem Præpositi dignitate donatur, ad quem celebrem illam epistolam (de qua in vita S. Brunonis ante secessum tam frequenter egimus) S. Bruno scripsit. Hac aliisque ad illum datis literis, non cessavit amicum sibi dilectum multis modis sollicitare ad seculi contemptum, votumque reddendum simul cum eo de monastico habitu assumendo quondam emissum. Utebatur ad hoc Fratre Bernardo monacho vel Converso eremi Calabriæ, viro probo et fideli, cui literas suas committebat. Sed et Radulphus in Brunonem quoque bene affectus pro ejus amore eidem munera transmisit, multaque in Fratrem Bernardum ejus causa contulit. Scripsit etiam ad eum gratulatorias literas, quæ nunc perierunt, quibus de contemptu seculi applaudebat. Cui deinde sanctus vir reciprocas reddidit, hortans ut ad se veniret ex causa orationis ad Sanctum Nicolaum in Apuliam, et inde in Calabriam, spondens quod eum laboris suscepti non pœniteret. Medullatissima illa epistola typis mandata est inter alia S. Brunonis Opera, ubi eam devotus lector requirat. Utrum Radulphus ad S. Brunonem profectus fuerit, non liquet. Constat tamen eum votum non reddidisse, nam reperitur Præposituram adhuc tenuisse annis sequentibus. Tandemque Archipræsul postquam sedisset annis circiter sexdecim in episcopatu, fato extinctus est anno 1124. Sed qui monasticum habitum quem voverat, non induit ex causis, ut par est credere, æquis et rectis, Monachorum Patrem et Institutorem se præbuit, ut habet Ordericus qui ejus elogium, paucis quidem sed efficacibus verbis, sic persequitur: « Radulphus cognomento Viridis Remorum archiepiscopus, eruditione et facundia inter Patres præcipuus, studiisque bonis nostro tempore laudabiliter deditus, Pater et Institutor Monachorum, patronus et defensor pauperum omnium sibi subjectorum, post multa laudabilia opera in senectute

Idem Radulphus moritur.

Archiepiscopus Remensis.

Order. lib. 12. Hist.

Marlot. in in Metrop. Rem. to. 2.

ANNUS 1097

bona defunctus est ». Et in Necrologio Remensis Ecclesiæ dicitur « magnæ sanctitatis Archiepiscopus, totamque Provinciam ad honorem Dei in magna honestate gubernasse. » Quo nihil illustrius compendio dici potuit.

S. HUGO IN APULIA MORATUR.

IV. Forsan Bernardus præfatæ S. Brunonis ad Radulphum epistolæ lator, S. Hugonem ex Apulia in Gallias sub præsentis anni finem redeuntem comitatus est. Nec certe iniquum est credere S. Præsulem per biennium infirmitate in Apulia detentum, a S. Brunone, vel ejus collega Lanuino aut saltem ab aliquo ex Turrensis Cartusiæ Conversis, ejus nomine visitatum fuisse. Imo dum causam inquirimus quæ S. Præsulem ad tantum iter, eo præsertim tempore quo Urbanus Papa in Galliis versabatur, aggrediendum compulerit, conjicimus eum forsan in Calabriam perrexisse ad suum antiquum magistrum invisendum (si tamen uterque in Concilio Placentino tam felici occursu privatus sit), et Salerni in reditu morbo correptum diu hæsisse ; illucque Fratrem Bernardum a Brunone missum, qui curam ægrotantis Episcopi susciperet et eum Gratianopolim revertentem prosequeretur. Sed hæc ex conjectura tantum dicimus. Redux Hugo in patriam, totius sui Cleri Synodum Gratianopoli mense Decembri cogit, ubi Majoris Cartusiæ fundationem a Canonicorum conventu voluit confirmari, scriptis ejusdem fundationis et confirmationis literis (ut primo fundati Ordinis anno diximus) ; ad id forsan a S. Brunone rogatus, qui vel ab eo vel ab ipsis Cartusiæ Monachis per literas tentationem nuperam, qua ad locum deserendum stimulati fuerant, didicerat. Et hæc videtur esse ratio, cur donationis Cartusiæ Charta scriptis tam sero mandata sit.

In eadem Synodo Guigo comes, Guigonis Crassi adhuc viventis filius, quarumdam Ecclesiarum jura quæ videbatur injuste occupare, beato Episcopo restituit, ut colligere est ex sequenti charta, quæ de commoratione Hugonis in Apulia etiam loquitur :

Ex Cartular. Gratianop.

« Notum Gratianopolitanæ Ecclesiæ filiis præsentibus et futuris, quod ego Guigo comes, filius Guigonis Crassi, dimit-

to ex toto atque guerpisco Domino Deo et Beatæ Mariæ ac S. Vincentio, et Episcopo Gratianopolitano et Ecclesiæ Gratianopolitanæ, scilicet Ecclesias quas jure comitali possidebam in nostro Comitatu, sive in Gratianopolitano episcopatu sive in alio episcopatu sitas, in manu Domni Guillelmi Abbatis S. Theofridi, VII Kal. Martias in præsentia Bernardi Prioris Cornilionensis, et Petri Iterii monachi, et Stephani Romani monachi, et Desiderii de Cassanatico, et Guigonis de Grangis, et Guillelmi de S. Laurentio, et Guillelmi Leuzonis, Militum. Erat autem tunc episcopus Hugo in Apulia, sive apud Salernum. Postquam vero inde venit prædictus episcopus Hugo, et tenuit Synodum suam in civitate Gratianopoli in ecclesia S. Vincentii, ego comes Guigo prænominatus ante præsentiam dicti Pontificis et in manu ejusdem Episcopi, dimisi ego prædictus Comes, omnes ecclesias sive census quos ab Ecclesiis requirebam, et omnes decimas et omnia jura Ecclesiastica ita guerpivi sicut melius intellexit prædictus episcopus Hugo, ad utilitatem suam et successorum suorum. Hæc guerpitio fuit facta, quando Jerusalem obsessa fuit, et capta a Christianis nostris. »

ANNUS 1097

Extat. etiam in Tract. de Usu feod. in Delphin.

Etsi hæc Charta scripta sit tantum anno 1099 quo Hierosolyma e Turcarum potestate a Christianis erepta fuit, restitutio tamen paulo ante facta fuerat.

JESU CHRISTI

ANNUS 1098.

Urbani PP. II	Ord. Cart.	Brun. Patriar.	Lauduini P. Cart.
Ann. 11.	Ann. 15.	Ann. 13.	Ann. 9.

JOANNES EPISCOPUS SQUILLACENSIS CONFIRMAT DONATIONES FACTAS S. BRUNONI.

I. ANNUS Redemptoris millesimus nonagesimus octavus ordine sequitur, Indictione sexta, quo Joannes de Nicephoro episcopus Squillacensis, in præsentia Henrici Neocastrensis episcopi et aliorum, confirmat omnes donationes hactenus factas et privilegia concessa S. Brunoni et successoribus ejus in monasterio S. Mariæ de Turre, atque tanta libertate donat, ut nec ipse nec quilibet successorum ullum episcopale jus habeat. Diploma ejus datum est 7 Idus Maii hujus anni his verbis :

Ex Archiv. ejusd. Cart.

« In Nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Joannes voluntate Dei Squillacinæ Sedis episcopus, SS. Patrum præcedentium vestigia secutus, facta eorum et decreta religiosa volo imitari et pro posse meo conservare inviolata. Monasterium ergo quod dicitur S. Maria de Turri, cui præest Venerabilis Pater Bruno, liberum esse laudo, assero et confirmo, qua libertate a Rogerio comite est fundatum, a B. PP. Urbano donatum et ab antecessore meo bonæ memoriæ Theodoro episcopo confirmatum. Noverint fideles quique et amatores veritatis præfatum monasterium, insuper locum illum qui Arsafia dicitur de quo præfatum monasterium donatum est, cum omnibus pertinentiis suis et cum omnibus hominibus, tam de clero quam de populo, quos ad præsens supra dictum monasterium habet vel in posterum habiturum est; ex extraneis quoque omnibus, qui in potestate habitant vel sunt

habitaturi, hac libertate donatum : nec ego nec quilibet successorum meorum, ullum episcopale jus ibi habeat absque communi spontanea voluntate Fratrum prædicti monasterii. Consecrationes, Ordinationes, Chrisma, cæterasque episcopalis Officii indulgentias, a quo potissimum Episcopo consequantur longe vel prope, non sit qui prohibeat. Decimæ eorum ipsis sint. Offensa subjectorum et correctio ad eos respiciant. Hæc quæ diximus privilegio et autoritate mei Antecessoris Theodori, natione Græci, confirmata sunt. Hæc et nos privilegio præsenti, et autoritate quam a Deo consecuti sumus, testificamur, confirmamus, et nec mihi ipsi quandoque aliter, quod absit, sapienti vel alicui successorum meorum hæc violare liceat. Si quis igitur pertinaciter hanc sententiam nostram veraciter prolatam, scriptam signatamque in signum stabilitatis, ingenio vel potentia delere studuerit, deleatur et ipse de libro viventium; assentientibus vero et defendentibus pax et vita cum Vivente et Regnante in secula seculorum. Amen. »

ANNUS 1098

II. Quæ omnia Urbanus II suis Bullis Salerni datis, confirmat hoc eodem anno in hunc modum :

EASDEM URBANUS II CONFIRMAT.

« Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Brunoni et Lanuino salutem et Apostolicam Benedictionem. Quia nostri Officii interest servorum Dei quieti et commodis, prout Dominus in posse dederit providere, petitionibus vestris, Filii in Christo carissimi et reverendissimi, clementer annuimus. Per hujus igitur Apostolici privilegii paginam Apostolica autoritate concedimus, et firmam et stabilem in perpetuum permansuram confirmamus donationem terrarum, quæ vobis datæ sunt in Squillacensi territorio, et conscriptæ et determinatæ, et designatæ per terminos certos a dilecto nostro Filio R. Comite, et Joanne confratre nostro, Squillacensi episcopo, concedente et confirmante. Quocirca prædicta autoritate præcipimus, statuimus*, et ea, quæ vobis concessa sunt, licentia interdicimus, ut ab hoc die in antea neque Comiti ipsi neque alicui hæredum suorum, prædictam vestram donationem et hanc

Ex Cartul. Maj. Cartus.

Extat etiam apud Ital. Sac. in Ep. Squill.

* *Al.* et ea quæ a Deo nobis est concessa, licentia.

14

ANNUS 1098

nostram confirmationem violare, vel dearctare liceat. Neque de his quæ confirmamus aliqua se intromittat persona sine vestra voluntate, quatenus Omnipotentis Dei speculationi mentibus liberis insistatis, et ad ejus faciei dulcedinem Ipso præstante pervenire valeatis. Si qua vero persona aut hæres Comitis ipsam violaverit, nisi ad condignam venerit satisfactionem, eum honoris vel officii sui periculo subjacere decernimus, et a Christo ac Ecclesiæ corpore segregamus, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni sine intermissione et remedio. Conservantibus autem, pax a Deo et misericordia ejus præsentibus et futuris seculis conservetur. Amen. Si vero tam legalis Comes, aut ejus hæres addere aliquid huic voluerit donationi, sub hac nostra confirmatione ratum esse statuimus. Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Rainerius card. subscripsi. Ego Joannes card. subscripsi. Ego Alfanus Salernitanus archiepiscopus subscripsi. Ego Amatus capellanus et sacerdos subscripsi. Ego Dis* capellanus subscripsi. Datum Salerni, mense Septembri, Indictione 6, anno ab Incarnatione Domini 1098. »

*Dominicus, juxta Chartularium Majoris Cartusiæ.

ROGERIUS COMES CAPUAM OBSIDET.

Mich. Monac. in sanctuar. Capua. edition. 1637.

* *Al.* Jordani.

Baron. ad an. 1097.

III. Hoc ipso anno, non vero præcedenti ut habet Baronius, S. Brunone degente in Turrensi Eremo, contigit Rogerium comitem Capuam obsidere contra Principem Capuanum, Landonem videlicet Theani Comitem ex Longobardorum genere a Capuanis electum, ejecto Richardi* filio. Ad eos Papa Urbanus accessit conciliandæ pacis gratia, habens secum S. Anselmum Cantuariensem archiepiscopum. Verum, ut de pace tractari cœpit, Capuanis refractariis existentibus, Papa Comiti favens obsessisque interminationem anathematis quasi denuntians, Beneventum et inde Salernum, ubi suprascriptas Bullas concessit, se recepit.

Contra eum fit conjuratio.

Interea Rogerio obsidionem urgente, tentavit ipse Capuæ Princeps nonnullos Comitis milites muneribus corrumpere, et præcipue Sergium quemdam, natione græcum, principem super ducentos suæ gentis armigeros et exercitus excubiarum Magistrum, qui satanica persuasione præventus ipsi Principi Capuæ, auri non modicum quantitatem promittenti, ad in-

vadendum Rogerium et ejus exercitum noctu aditum pollicitus est se præbiturum. Eadem vero nocte qua proditio compleri et perfici debebat, S. Bruno (qui juxta Chronicum Cartusiæ, septem dierum itinere et eo amplius ab eo loco distabat) Comiti per visum in somnis apparuit dicens: Confestim surge, sume arma si liberari te Deus permiserit tuorumque animos pugnatorum, alioqui proditus a tuis in manus Principis Capuæ traderis. Mox Comes a somno excitatus sumpsit arma, multos ex proditoribus cepit, inquisitionem fecit, veritatem comperit, et tandem flagitiosos illos qui proditionis autores fuerant, in carcerem conjecit extremo supplicio afficiendos, ni a suo liberatore Rogerius fuisset impeditus. Sed non abs re erit ipsummet Rogerium audire totius rei seriem in duobus a se scriptis Diplomatibus, quibus multa in gratiarum actionem S. Brunoni donat, accurate narrantem his verbis:

ANNUS 1098

Chron. ms. Maj. Cart.

A S. Brunone sibi in somnis apparente liberatur.

Constantius in Act. et gestis S. Brunonis. mss.

« In nomine Dei æterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem millesimo nonagesimo octavo, Indictione * sexta. Gloriosus rex David Spiritu Sancto præventus, « narrabo, inquit, omnia mirabilia tua » : propter quod ego Rogerius, divina misericordia comes Calabriæ et Siciliæ, notum esse volo omnibus fidelibus christianis beneficia quæ mihi peccatori concessit Deus, orationibus Reverendi viri Fratris Brunonis, piissimi Patris Fratrum qui habitant in ecclesiis S. Mariæ de Eremo et S. Protomartyris Stephani, quæ sitæ sunt in terra mea inter oppidum quod dicitur Stilum et Arenam. Cum essem in obsidione Capuæ Calendis * Martii, et præfecissem Sergium, natione græcum, principem super ducentos armigeros nationis suæ et exercitus excubiarum Magistrum, qui satanica suasione præventus, Principi Capuæ promittenti auri non modicam quantitatem ad invadendum me meumque exercitum, noctu aditum est pollicitus se præbere. Nox proditionis advenit, et Princeps Capuæ ejusque exercitus juxta promissum est paratus ad arma; dumque me sopori dedissem, interjecto aliquanto noctis spatio, astitit cubili meo quidam senex reverendi vultus, vestibus

Ex ejusd. Cartus. Archiv.

* *Al.* Septima.

* Maii. *Marg. Lectio apud Baronium.*

ANNUS 1098

scissis, non valens lacrymas continere: cui cum in visu dicerem quæ causa ploratus et lacrymarum esset, visus est mihi durius lacrymari; iterato quærenti mihi quis esset ploratus sic ait: Fleo animas Christianorum teque cum illis; sed exurgens quantocius arma sume, si liberare te Deus permiserit et tuorum animas pugnatorum. Hic per totum mihi videbatur velut si esset per omnia Venerabilis Pater Bruno. Expergefactus sum cum terrore grandi pro visione pavescens; illico sumpsi arma, clamans et militibus ut equos ascenderent, visionem si vera esset satagens comprobare: ad quem strepitum et clangorem fugientes impius Sergius ejusque sequaces, subsecuti sunt Principem Capuæ sperantes in dictam civitatem confugium se habituros. Ceperunt autem milites inter vulneratos et sanos centum sexaginta duos, a quibus et visionem fore veram probavimus et rei gestæ scivimus veritatem. Reversus sum, Deo volente, vigesimo nono Julii mensis, Squillacium post habitam Capuæ civitatem, ubi fui per quindenam integram infirmatus. Venit vero ad me jam dictus Venerabilis Pater Bruno cum quatuor de fratribus suis, qui me sanctis devotisque colloquiis consolati sunt, cui Reverendo viro et visionem retuli, et humiles egi gratias quod de me etiam absente curam in suis orationibus habuisset; qui se humilians asseruit non ipsum fore quem credidi, sed Dei Angelum qui stat pro Principibus tempore belli. Rogavi quoque ipsum humiliter, ut pro Dei amore in terra mea Squillacii sumere dignaretur largos reditus quos donabam; renuens ipse recipere dicebat, quod ad hoc domum sui patris meamque dimiserat, ut a mundi rebus extraneus deserviret libere Deo suo. Hic fuerat in tota domo mea quasi primus et magnus. Tandem vix cum eo impetrare potui, ut gratis acquiesceret sumere modicum munus meum. Donavi autem eidem Patri Brunoni ejusque successoribus, ad habendum in perpetuum absque temporali servitio, monasterium S. Jacobi de Montauro cum castro * quod est subtus dictum monasterium antiquitus constructum, et castrum ligneum situm in cacumine montis versus mare (qui mons per directum fabricati castri

* *Extat apud Surium et Baronium usque ad hæc verba.*

descendit), quod castrum Belvider a loci incolis nuncupatur, et casale S. Mariæ quod est ad ripam dicti montis inter orientem et meridiem, domum etiam meam cum vinea quæ Butarium dicitur, cum buttis quæ de eadem domo sunt, quæ fuerunt Roberti Guisguardi fratris mei, et dedit mihi Rogerius dux carissimus nepos meus; casalia Mentabri et Oliviani et Gasparinam, ubi antiquitus casale fuerat, cum omnibus pertinentiis eorumdem sicut hic divisa scribuntur.... Concedo etiam ut recommendatos habeas tu et successores tui, tam de comitatu meo Calabriæ et Siciliæ quam extra, unde quacumque sint, excepta causa superius nominata. Habitationes casalium tibi successoribusque tuis, quandocumque volueritis, commutare licebit, et etiam ipsum monasterium S. Jacobi quod donavi, et omnia in eadem et de eadem terra facere, quæ ego facere potui cum licebat. Nemini infra has divisas licebit aliquid proprium suum dicere vel habere, cum omnibus, qui inibi possessiones habebant, voluntarium escambium dederim satis gratum: cui terras, cui denarios, quibusdam vero, quia villani erant, perpetuas libertates. Præter tenimentum tantum quod est matris Ecclesiæ Militensium et est juxta Gasparinam, multæ intra has divisas terræ sunt, quæ ad te Pater Bruno spectant et successores tuos, quas cum Arsafia dedi majori ecclesiæ vestræ, tempore dedicationis ipsius. Nullus infra has divisas aviare, venari aut in mari piscari audeat, sine dictorum Fratrum consensu, et de his omnibus dicti Fratres habeant jura sua, pascua sumere sive glandes, ligna incidere, aquas divertere, forestas habere vel prata, nec quidquam omnino in his terris contrafacere vel venire, occasione alicujus consuetudinis, prætextu Nobilis vel Baronis, aut ab eis sive vasallis et villanis eorum, tam eorum qui sunt quam qui habituri sunt, aut recommendatis aliquid exigere servitii temporalis, nec eosdem vasallos et villanos cogere, ut communitates habeant aliquas cum terra Squillacii aut Sebarati vel casalium eorumdem, sed in solida libertate et ipsorum Fratrum usus et dominium præserventur ad perpetuo habituros; et in mari juxta terminos quos taxavi,

ANNUS 1098

jus omne habebunt quod et ego habui temporibus retroactis. Ad petitionem Fratris Lanuini hic jussi apponi terminos casalis Arunchi et tenimenti sui, quod ab antiquo pertinet ad Arsafiam, et hæc divisa a flumini Grizzi ex superiori parte molendini Prionisti...... Dedi etiam eidem Patri Brunoni et successoribus suis viridarium S. Nicolai, quod proprium tenebam in manu mea. Dedi etiam eidem hæreditatem Calogerici villani mei qui mortuus fuerat sine * lingua et filiis, et vasallos et villanos in eodem casali commorantes, et in eadem libertate et usu tranquillo quo sunt, et alia loca superius condonata et per meam voluntatem liberata ab omni jugo servili, tam ad dictos Fratres quam ad vasallos recommendatos et villanos; omnique libertate gaudebunt in isto loco qui Arunchium dicitur, et omnibus locis qui conjungi valeant his divisis, quos, Deo volente, habituri sunt, seu villanos a Dominis et fidelibus christianis, qua in locis scriptis superius gaudere ipsos providi. Dono quoque tibi Patri Brunoni et successoribus tuis in perpetuum, meum molendinum et fullonem quæ sunt subtus Squillacium, juxta fontem qui dicitur de Alexi, sub omni libertate et immunitate, ut nemini teneamini pro eisdem, nec mihi nec successoribus meis; ab ipsa mea flumaria possitis totam aquam assumere, et positionem aquæductus molendini et fullonis in ipsa terra mea, si volueritis, in melius commutare absque contradictione aliqua hominis alicujus, vel mea vel successorum meorum; et de aquis quæ in terra nostra sunt, omne beneficium faciatis ad vestræ arbitrium voluntatis.

* *Al.* Linea.

« Dono etiam tibi Patri Brunoni et successoribus tuis in servos perpetuos et villanos, centum duodecim lineas servorum et villanorum eorumque filios in perpetuum, ubicumque sint et morentur, cum omnibus bonis eorum, quos ad tui tuorumque successorum obsequium reservavi, qui inventi sunt apud obsidionem Capuæ in proditoris consortio Sergii pestilentis. Hos morti obnoxios in reversione mea Squillacii servaveram diversis mortibus puniendos, sed tuis postulationibus liberatos filiosque eorum tibi et successoribus tuis

obligo, et filios filiorum in æternum servos perpetuos et villanos, ad B. Mariæ et Protomartyris Stephani personalem et perpetuam servitutem. Insuper concedo ad petitionem tuam, Frater Lanuine, quod animalia vestra vestrorumque vasallorum, recommendatorum et villanorum, per tenimenta terrarum et locorum circa stadia centum libere pasci possint, et per omnia mea nemora glandes habere. Hoc privilegium scriptum est 2 Augusti, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo nono, Indictione 7ª, per manus Fulconis capellani mei, apud Squillacium in capella S. Matthæi, præsente et confirmante venerabili et sanctissimo P. Joanne Squillacensis sedis episcopo, residente ibi juxta fores ecclesiæ, et concedente Adelaida comitissa conjuge mea, residentibus quoque mecum et testibus hujus donationis, Rodulpho comite delo Rotello nepote meo, Guillelmo de Altavilla, Odone bono Marchisio, Roberto de Luciaco Borrello, Malgerio filio meo, Malduito Berengerio, Niello de Ferlit, Riccardo de Treveris, Rodulpho Painevin, Uberto de Solona, Renaldo de Chincha, Roberto de Cuculo, Ermenfredo capellano de S. Matthæo, Roberto de Lania stratigoto villæ, Basilio protospatario, Theodoro Mancino. Nullus contra hanc voluntariam donationem meam et desideratam præsumat, in aliquo minimo vel magno, aliquid facere vel dicere. Siquidem si fuerit rusticus vel burgensis Curiam meam, si quid ipse habuerit, habituram credat de rebus mobilibus, et nihilominus ipsis Fratribus decem auri libras persolvat, et eorum Fratrum damna si quæ perpessi fuerint, de illorum maleficorum bonis reficientur, si accusatus fuerit et convictus : quod si Miles aut Baro, ducentas auri libras persolvat successorum meorum Curiæ, sive meæ ; quod si in tantum non habuerit, ejus mobilia omnia mea erunt, et eisdem Fratribus, nisi satisfecerit condigne, quinquaginta libras auri persolvat. Nec mihi aut successoribus meis, de omnibus quæ libere per me data sunt, liceat in antea aliquid innovari facere vel contradicere, in aliquo parvo vel magno. Quod si ego (quod absit) aliquando vel successores mei contrarium faceremus, in aliquo parvo vel

ANNUS 1098

ANNUS 1098

magno in omnibus supradictis, iram sempiterni Dei, B. Mariæ et B. Protomartyris Stephani incurramus. Et idem Pater Joannes episcopus ad petitionem meam contra tales in majori ejus ecclesia, omni præsente populo et istis qui supra dicti sunt testibus, anathema gravissimum promulgavit. Conservantibus autem communionem Sanctorum et meritum bonum a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Amen. Amen. Amen.

« Rogerius comes. Adelays comitissa. Guillelmus de Altavilla. Rodulphus comes delo Rotello. Odo bonus Marchisius. Josbertus de Luciaco. Niellus de Ferlit. Malgerius filius comitis Rogerii. Rodulphus Painevin. Richardus de Treveris. Ego Fulco Domini comitis Rogerii capellanus, de mandato ejus hoc privilegium scripsi et me subscripsi. »

Hactenus primum Rogerii diploma, in quo cum conjuratorum nomina non fuissent designata, aliud diploma anno 1101 pius Comes antequam moreretur, ad Lanuini S. Stephani cœnobii Prioris petitionem confici curavit, in quo describi voluit nomina et lineas sive proles centum duodecim virorum illorum, qui in eum conspiraverant, quosque B. Brunoni in servos et vasallos donaverat. Est autem diploma illud sequentis tenoris, ex duobus pervetustis auctographis exscriptum et ad nos transmissum :

« Hæc sunt nomina et lineæ servorum et villanorum centum duodecim, qui inventi sunt cum Sergio proditore in obsidione civitatis Capuæ Calendis Martii, Incarnationis Domini anno 1098, Indictione sexta, quos ego Rogerius Calabriæ et Siciliæ per Dei voluntatem Comes, pro miraculo quod mihi Deus dignatus est visibiliter ostendere, orationibus P. Brunonis ad salutem fidelium christianorum qui mecum erant et meam, donavi eidem P. Brunoni ejusque successoribus non solum ipsos, sed etiam filios filiorum suorum usque in sempiternum in servos perpetuos et villanos, cum omnibus bonis eorum mobilibus et stabilibus, habitis et habendis, ubique locorum sistentibus, cujuscumque sint artis sive negotii sive marinarii, quos proditores ex sententia interfici diversis gene-

ribus suppliciorum decreveram. Sed ad petitionem dicti P. Brunonis tunc eis mortem perniciosam peperci, et ad ecclesiarum B. Mariæ de Eremo et B. Protomartyris Stephani obligavi perpetuas servitutes et villanigia, et inde fieri feci chirographum apud Squillacium, cum donatione quam feci de monasterio S. Jacobi de Montauro et tenimenti sui; sed eorum nomina et lineæ non habentur in eodem chirographo. Ad petitionem autem F. Lanuini Prioris ecclesiæ S. Stephani isto privilegio jussi poni in memoriam sempiternam : « Et hæc nomina et lineæ dictorum servorum et villanorum, Petrus de Mauro cum duobus filiis, etc ». Hic recensebantur omnium servorum nomina, et statim subditur : « Hæ sunt centum duodecim lineæ servorum et villanorum, quos dedi P. Brunoni et successoribus ejus, cum omnibus bonis eorum ubicumque sint, in perpetuum, et habitent ubicumque; et hi fuerunt quasi omnes de tenimento Squillacii et Suberati. Hoc privilegium scriptum est quarto mensis Junii, in capella S. Martini quæ sita est in medio civitatis Mileti, infirmo existente domino meo Comite, per manus mei Fulconis capellani dicti Domini Comitis, et recitatum in camera ubi idem Dominus meus Comes infirmus jacebat, præsente Domina mea Adelaïde comitissa, et concedente Malgerio Domini Comitis filio, præsentibus Petro de Moritonio, Roberto de Layna, Toraldo Carbonello, Raynaldo de Climpcam, Uberto de Solona; Incarnationis Domini nostri Jesu Christi anno millesimo centesimo primo, Indictione nona. Amen.

ANNUS 1098

« Rogerius comes. Adelaïs comitissa. Petrus de Moritonio. Malgerius filius comitis Rogerii. Robertus de Laina. Toraldus Carbonellus. Raynaldus de Climpcam. Ubertus de Solona. Ego Fulco Domini comitis Rogerii capellanus, de mandato ejus hoc privilegium scripsi et me subscripsi. Sigillum ut supra. »

OBSERVATIONES IN UTRUMQUE DIPLOMA.

IV. Ex utroque superius exscripto instrumento, quædam necessario observanda sunt ad hujus intelligentiam historiæ; et maxime quod spectat ad tempus quo prius diploma datum est, cum ex illius anni designatione dependeat epocha tum

ANNUS
1098

præfatæ apparitionis, tum obsidionis Capuanæ ac Concilii Barensis a Baronio ad annum 1097 relata; quam tamen ad præsentem esse referendam censemus, nostram sententiam sagaciori lectori semper permittentes. Fatemur enim et nos facile posse in errorem impingere.

Quo anno prius fuit datum.

Annus igitur in fronte prioris diplomatis designatus, nempe 1098, non esse videtur dati diplomatis ut quidam autumant, sed obsidionis Capuanæ et apparitionis S. Brunonis Comitem monentis de structis in eum insidiis, ac conjungi debet cum die inferius notato, nempe Calendis Martii; ita ut diplomatis primæ partis talis sit connexio : « Anno ab Incarnatione ejusdem 1098, Indictione sexta........ cum essem in obsidione Capuæ, Calendis Martii. » Nam verba quæ interponuntur inter annum et diem, sunt tantum quasi præfatiuncula per parenthesim inclusa. Id certe perspicuum putamus, cum maxime in altero diplomate distincte ac continenter ita legatur : « Hæc sunt nomina eorum......... qui inventi sunt in obsidione civitatis Capuæ, Calendis Martii, Incarnationis Domini anno 1098, Indictione sexta, quos ego Rogerius, etc.

Lup. Prot. in Chron.

Lupus Protospata autor coævus idem habet, nempe Capuam obsessam captamque fuisse anno 1098; sed Gaufridus Malaterra, Lupi coætaneus etiam auctor quem Baronius secutus est, annum signat superiorem : quamobrem Michaël Monachus, canonicus Capuanus, Lupum emendat vultque non esse recedendum a Baronii computatione. Hinc Camillus Peregrinus in suis Castigationibus quas, paulo post editum a prædicto Monacho *Capuanum Sanctuarium,* in Protospatam evulgavit, ipsum Monachum arguit, probans præfatum Gaufridum in suæ contextu narrationis, Capuæ expugnationem inter res anni 1098 gestas distincte recensere; ac proinde non esse referendam ad annum 1097. Idem manifestissimum fit ex *Historia Novorum in Anglia,* quam Peregrino, quippe qui eam non citat, ignotam fuisse credimus. Ejus autor Eadmerus S. Anselmi Cantuariensis archiepiscopi individuus comes, postquam longo sermone narravit quanto labore sanctus Præsul a Rege Angliæ facultatem adeundi Romam impetravit,

Baron. ad an. 1097.

Mich. Mon. in Sanctuar. Capuan.

subdit : « Anno ab Incarnatione Filii Dei millesimo nonagesimo septimo, acta sunt hæc feria quinta, quæ fuit Idus Octobris. » Annus præfatus 1097 habuit literam Dominicalem D, ac proinde Idus Octobris occurrerunt feria quinta, ut hic habetur. Deinde pergit Eadmerus beati Præsulis peregrinationis seriem describere, qui tertia feria ante Dominicam Palmarum anni sequentis Lugduno discedens, Romam prospero itinere appulit; deinde ad campum ante Capuam venit et denique Barum ad Concilium. Quid clarius ad evincendum manifeste Brunonis apparitionem factam, Capuam expugnatam et Concilium celebratum fuisse anno 1098. At Protospata qui Capuanæ expugnationis annum signavit 1098, Barense Concilium dicit celebratum anno 1099, quod eodem recidit ; nam Protospata, ut recte annotant Bollandiani, annum a Septembri more Græcorum auspicari videtur. Præterea Baronius scribit Rogerium comitem post Capuæ deditionem mox perrexisse Salernum, illucque ad eum advenisse Urbanum ; at constat ex ejusdem Urbani Bullis superius hoc anno exscriptis, eum Salerni degisse hoc ipso anno mense Septembri, forsan expectaturum Concilii Barensis celebrationem.

ANNUS 1098

Hist. nov. lib. 2. cap. 2. apud Bolland. ad 21 April.

In cap. 3. ubi supra.

V. Alterum in diplomatum verbis observandum illud est, nempe fieri mentionem duarum ecclesiarum, scilicet S. Mariæ de Eremo et S. Stephani Protomartyris, velut essent duo monasteria distincta ; nam in priori diplomate sic loquitur Rogerius : « Nota esse volo beneficia quæ mihi concessit Deus orationibus R. viri F. Brunonis, piissimi Patris Fratrum qui habitant in ecclesiis S. Mariæ de Eremo et S. Stephani Protomartyris. » Et quamvis S. Bruno dicatur Pater Fratrum utriusque ecclesiæ, id tamen intelligendum est tantum de suprema autoritate quam in utraque habebat tanquam Patriarcha; nam in altero diplomate Lanuinus dicitur S. Stephani Prior : « Ad petitionem, inquit Rogerius, F. Lanuini Prioris ecclesiæ S. Stephani. » Attamen bona a Rogerio concessa utrique communia erant. Hoc patet ex priori diplomate in quo Rogerius, conjuratores « et filios filiorum in æternum servos perpetuos et villanos, ad B. Mariæ et S. Ste-

ECCLESIA S. MARIÆ DE EREMO, ET S. STEPHANI.

ANNUS 1098

phani Protomartyris personalem et perpetuam servitutem » concedit.

AN S. BRUNO VIVENS POTUERIT APPARERE ROGERIO?

VI. Tertio, ex apparitione S. Brunonis quæstio potest oriri, an vere S. Bruno comiti Rogerio apparuerit, quoniam ipsum Comitem post reditum ab obsidione infirmum conveniens præsentialiter nègavit seipsum fuisse qui apparuit, sed Angelum Dei qui Principi adstat belli tempore, ut legitur in priori diplomate. Utrum hoc S. Bruno ex humilitate dixerit an ex rei veritate, resolvi potest ex iis quæ S. Augustinus scribit et post eum Durandus, nempe viventes plerumque in somnis dormientibus apparere, dum ipsi se nesciunt apparere; et ab eis qui hoc somniaverunt audiisse dicentibus, quod eos in somnis agentes aliquid vel loquentes viderunt. Unde credibile est operationes esse Angelorum apparentium sub forma et habitu eorum ob quorum merita apparitiones fiunt, propter divinæ Providentiæ dispensationem ad qualecumque vivorum solatium. Sicque probabile est Angelum Dei apparuisse comiti Rogerio sub forma et habitu S. Brunonis, cujus gratia et meritis facta fuit apparitio. Videat lector Thyræum libro *de apparitione Spirituum*, et Cardinalem Bona *de discretione Spirituum,* præclare ista tractantes.

Aug. lib. de cura pro mortuis c. 10 et seqq. et lib. de spiritu et anima cap. 29.

Durand. lib. 7. cap. 35. de Offic. mort.

MONASTERIUM DE MONTAURO.

VII. Quarto, monasterium S. Jacobi de Montauro a Rogerio S. Brunoni concessum, juxta nostri Constantii notas, est Grangia quæ modo dicitur S. Anna, in qua sub initium recuperationis hujus Cartusiæ unus Conversus assidue morabatur. Ibidem post S. Brunonis mortem, Lanuinus quosdam monachos vitæ eremiticæ minus idoneos, cum licentia Pontificis constituit qui cœnobiticam vitam agerent, ut suo loco dicemus.

Const. in act. et gestis S. Bruno. ms.

S. HUGO SUÆ ECCL. JURA TUETUR.

VIII. Gratianopolim revertentes invenimus hoc anno S. Hugonem post confirmatam suis curis, ut anno præterito vidimus, Majoris Cartusiæ fundationem, suæ Ecclesiæ jura tuentem et quæ a Guidone Viennensi, dum aberat, contra fas occupata fuerant generose repetentem. At ubi se nihil apud Archiepiscopum proficere animadvertit, Romam certum nuntium misit de nova injuria apud Papam conquerendi gratia.

Urbanus « literis suis, inquit ipse sanctus Præsul, Legatum suum Lugdunensem archiepiscopum, ut ab injuria Gratianop. Ecclesiæ et nostræ, Archiepiscopum Viennensem autoritate Apostolica omnino coerceret.... » In his literis Legatum suum Summus Pontifex inter cætera de hoc negotio, et de frequentiori Episcoporum in Galliis mutatione sic compellat : « Tuam ergo Fraternitatem pro nobis omnino ad justitiam excitari præcipimus. Sentiat ut adamantem et silicem faciem tuam, remotaque præteritæ lenitatis reverentia omnino secundum justitiam Gratianop. Ecclesiæ sua jura restituas, et Apostolicæ Sedis injurias ulciscaris in Episcoporum mutationibus. Hactenus nimis lenis, pro Apostolicæ mansuetudinis gratia, Gallicanorum petitionibus condescendimus. Deinceps autem id præcaveri præcipimus; neque enim Nicænæ Synodi, quam æque ac sanctum Evangelium veneramur, autoritatem hujusmodi occasionibus evacuari ulterius patiemur. Datum Laterani, II nonas Junii. »

ANNUS 1098

Ex Cartul. Eccl. Gratianop.

IX. Hoc eodem anno Sedis Apostolicæ autoritate, jacta sunt prima fundamenta Cistertiensis Ordinis Beatæ Dei Genitricis patrocinio fulti, ex quo tanquam e fonte rivi universum Occidentalem orbem donis cœlestibus irrigarunt. Cujus Ordinis originem hic annotamus, tum quod postea cum illo et Cartusiensi magna intercesserit familiaritas, tum maxime quod primi illius fundatores, exemplo moti Cartusiensium, vitam ducere austeriorem aggressi fuerint, ut legimus apud Henricum Calkar, et in *Speculo Cartusiensi* his verbis : « Percrebuit post hoc longe lateque bonus odor vitæ Fratrum illorum Cartusiensium, perveniens tandem ad quoddam monasterium solemne valde monachorum, in diœcesi Lingonensi, Molismum nomine. De quo monasterio quidam Religiosi ex rigore dictorum Fratrum Cartusiensium permoti, timentes de laxata vita in anima periclitari, exierunt cum Patre Roberto Regulam servaturi rigidius de cætero. Qui viventes aliquandiu in magna paupertate et rigore, facti sunt semen cui benedixit Dominus, quia ex eis ortus est Ordo Cisterciensis, ad quos postea Bernardus venit cum multis sociis. Post quos non

ORDINIS CISTERTIENSIS EXORDIA.

Baron. ad hunc annum.

Henr. Calk. in tract. ms. de origine et prog. ord. Car.

Specul. Cartus. ms. part. 3.

ANNUS 1098 diu venit Nortbertus eodem afflatus Spiritu, Ordinem inchoans Præmonstratensem, sub Regula tamen laxiori, scilicet S. Augustini. Cartusienses autem stabant in rigoris sui constantia, usque ad Guigonis quinti Prioris tempora, qui scripto digessit eis exercitia religiosa ab Ordine, qui sub ipso crescere cœpit, observanda. » Quod Cartusiensium nomen Molismensibus notum fuerit, non solum habemus ex isto autore, sed id etiam ipsi Molismenses statim post S. Brunonis mortem, declararunt in rotulo cui suum Titulum apposuerunt ut sequitur :

Titulus Sanctæ Mariæ Molismensis Ecclesiæ

Tempore disposito migrat de corpore Bruno,
Cujus dum vixit vita Deo placuit.
Subveniant illi, quibus est permissa potestas,
Ut sit ei requies et sine fine dies.

« Nostris versiculis qui habitamus Molesmium, addentes vobis qui estis Turri, innotescimus quod pro Domino Brunone patrono vestro, *nostro* autem *familiarissimo*, missarum solemnia diebus triginta celebravimus; ejus etiam obitus anniversarium diem in Catalogo Fratrum nostrorum conscripsimus. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1099.

Urbani PP. II	Ord. Cartus.	S. Brun. Patriar.	Lauduini Pr. Cart.
Ann. 12.	Ann. 16.	Ann. 16.	Ann. 10.

URBANUS II MORITUR.

I. ANNUS agitur salutis humanæ millesimus nonagesimus nonus, Indictione septima, quo Urbanus Papa, de Ordine Cartusiensi tam in Cartusia quam in Calabria bene meritus, S. Brunonis, ut tam sæpe diximus, quondam discipulus viam universæ carnis mense Septembri ingressus est. In ejus locum suffectus est Paschalis hujus nominis II, cujus erga nostros Calabros benevolentiam annis sequentibus experiemur.

ROGERIUS DUX APUL. ERGA S. BRUN. BENEFICUS.

II. Eodem anno Rogerius Apuliæ dux, patrui sui Rogerii Calabriæ comitis munificentiam in S. Brunonem æmulatus, nec minus erga eum de Capua expugnata teneri se arbitratus, B. Patri et ecclesiæ S. Mariæ in Eremo villanos, quos apud Squillacium habebat, pro Dei amore et Magistri Brunonis qui monasterio præerat reverentia subjecit; scripto donationis diplomate anno Ducatus sui quarto decimo, cui præsentes fuerunt ac subscripserunt : Rangerius archiepiscopus Rhegiensis, et post eum Rogerius Dux, Falbo * Cassanensis episcopus et Papæ vicarius, Arnulphus Cusentinus archiepiscopus, Tustenus Tropeanus episcopus, Guido Roberti ducis filius, ejusdem Rogerii frater.

* Sasso *apud Ughel.*

Surian. in annot. in vit. S. Brunonis.

JESU CHRISTI

ANNUS 1100.

Paschalis PP. II	Ord. Cart.	S. Brun. Patriar.	Lauduini Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 17.	Ann. 17.	Ann. 11.

LAVDUINUS PRIOR CART. IN CALABR. PERGIT.

I. MILLESIMUS centesimus Redemptoris nostri Jesu Christi incipit annus, Indictione octava, quo Lauduinus Majoris Cartusiæ Prior secundus a S. Brunone, quando eum Urbanus Romam evocavit institutus, in Calabriam rursus tendens, ad Eum qui est Via, Veritas et Vita pervenit. In ipso namque itinere ab Antipapæ Guitberti sectariis interceptus, diroque carceri mancipatus, animam suam pro veri Christi Vicarii defensione effudit, cum Cartusiæ præfuisset annis decem et aliquot mensibus. Quidam non Calabriam euntem, sed redeuntem captum asserunt. Sed nostro Guigoni potius credendum est diserte scribenti eum ad Brunonem tunc non accessisse; sic enim de illo loquitur: « Lauduinus natione Tuscus ex urbe Luca, literis et ipse divinis et humanis eruditus, annos decem rexit domum Cartusiæ; qui cum ad Magistrum Brunonem pergeret incidit in manus Guitberti schismatici quod multum horrebat. » Deinde quantas ab eo molestias passus sit, ut relicto legitimo Pontifice ejus partes susciperet, sic paucis enarrat : « Adversum cujus minas atque promissiones, dolos atque violentias, juvante divina gratia modis omnibus perseveravit inflexus. » Imo Christum pro suis inimicis orantem imitatus, ipsum Guitbertum « quem in suo defunctum errore audivit, lacrymabiliter planxit. Adeo ut a circumstantibus argueretur, quod eum fleret a

A schismaticis capitur.

Catal. ms. 4 primorum Cartus. Priorum.

Violentias patitur.

Orat pro persecutore.

cujus perversitate Ecclesiam Christi bonitas liberasset. Post cujus obitus septimum diem etiam ipse defunctus est, positusque in monasterio S. Andreæ ad pedem montis Siraptis*, cujus vicinum erat castrum ubi captus in custodia tenebatur. » Unde et ei nomen Martyris noster Anonymus adscribere non dubitavit, de eo ad verba Guigonis hæc subjungens : « Hic Lauduinus magnæ literaturæ, magnæ ac rigidæ abstinentiæ, sibi ipsi vixit austerus, ita ut etiam gravi infirmitate depressus vix posset induci a suis abstinentiis abstinere. Millesimo igitur et centesimo Domini anno vocatus a Domino, quasi *martyr* centesimum fructum a Domino creditur accepisse. »

ANNUS 1100

In Carcere moritur.

* *Forsan* Soractes.

Chron. ms. Cart.

Quam austerus fuerit.

Ut martyr habetur.

II. Ex his præterea nostri Anonymi verbis, tenemus quo anno noster Lauduinus et Guitbertus pseudopropheta obierunt. Et quoad Lauduinum idem iterum probatur, ex superius allata Guigonis autoritate dicentis illum Cartusiæ decem annis præfuisse, cujus regimen anno 1090 susceperat; at inchoati hoc præsenti anno necessario desinunt. Quod vero spectat Guitberti mortis tempus, apud autores controversum est, ut fatetur Baronius; quam ob rem illud videtur absolute ad hunc annum referendum, cum septem diebus ante nostrum Lauduinum obierit, ut ex supradictis patet. Habet Onuphrius post Calendas Septembris, et quidem septima ejusdem mensis die. Nam in primo Majoris Cartusiæ Cartulario per primum Ordinis seculum exarato, Lauduini obitus ad 18 Calendas Octobris legitur sic: Lauduinus Prior et Monachus. Et ut nullus relinquatur dubitandi locus quin ille sit Prior Cartusiæ, post recuperationem Domus Calabriæ, sub Francisco de Puteo Ministro Ordinis Generali, Constantius primus illius Rector, inter monimenta a Cisterciensibus relicta Necrologium vetus reperiit, in quo ad eumdem diem legitur : « Frater Lauduinus Prior Cartusiæ. » Multi de illo laudabiliter meminerunt, Dorlandus, Sutor, et alii; Canisius eum suo Martyrologio inseruit, sicut et Andreas Sausayus in supplemento Martyrologii Gallicani cum *Sancti Martyris* titulo. Ferrarius quoque *Beatum* illum nuncupat: cui tamen nullum ab Eccle-

QUO ANNO OBIERIT.

Vid. sup. ad an. 1090.

Baron. ad hunc an.

Onuph. in Chron. Rom. Pontif.

Qua die.

ANNUS 1100

sia cultum esse deputatum fatemur.

PETRUS EJUS SUCCESSOR.

III. Postquam Cartusiæ Lauduini mors est renunciata, quæ tamen non tam cito potuit resciri, orbati Monachi alium sibi ascivere Pastorem sub finem hujus anni, de quo noster Guigo in suo Catalogo sic loquitur : « Post hunc (Lauduinum) Petrus qui cognominabatur Franciscus, eo quod in quodam Franciæ castro, cui nomen Mons Felix, majore vitæ suæ parte moratus sit, natione Flandrensis ex castro Betuna, anno uno Cartusiam rexit » onusque Prælationis anno sequenti dimisit.

JESU CHRISTI

ANNUS 1101.

Paschalis PP. II Ann. 2.	Ord. Cartus. Ann. 18.	Brun. Patriar. Ann. 18.	Petri Pr. Cart. 1. Ann. 1.

I. SEQUITUR annus Redemptoris centesimus primus supra millesimum, Indictione nona, quo Rogerius Calabriæ et Siciliæ comes, Calabrini monasterii fundator amplissimus, omnes quas S. Brunonis monasteriis hactenus fecerat donationes, in grandi et peremptoria sua ægritudine positus, coram Roberto* Militensium episcopo et Joanne Squillacino etiam episcopo, ad Fratris Lanuini ecclesiæ S. Stephani Prioris petitionem, confirmavit. Accrescentibus denique febris æstibus, in Militensi palatio mense Junio, septuagesimo ætatis anno, de republica christiana bene meritus obiit, in æde SS. Trinitatis Ordinis S. Benedicti quam cum insigni monasterio condiderat, tumulatus. Omnes eum Normanni, Apuli, Calabri, Siculi, non secus ac communem parentem luxere. Suæ erga Sedem Apostolicam pietatis argumentum singulare anno superiori exhibuerat, cum ad Paschalem auri uncias mille misit, quibus Pontifex opportune usus est ad expugnandum Guitbertum Antipapam; unde et merito epithetum ei accesserit *Christianorum adjutoris*.

ROGERIUS COMES DONATIONES SUAS CONFIRMAT.

* Ebrardus *ab Ughello vocatur.*

Surian. in Annot.

Pie moritur.

Tho. Fazel. de reb. sic. lib. 7. c. 1.

Baron. ad an. 1100.

II. Eodem tempore quo decessit Rogerius, Mileti Paschalis versabatur, a quo S. Bruno et Lanuinus, qui Comiti morienti adfuerant, confirmationem obtinuerunt omnium quæ tum ipse Rogerius, tum alii benefactores hactenus dederant. Privilegia quoque ab Urbano ejus decessore et ab aliis Epis-

PASCHALIS II DONA ET PRIVILEGIA CONFIRMAT.

ANNUS 1101

copis concessa approbari a Paschali curavere. Bullæ Pontificiæ initium et finis sic se habent : « Paschalis dilectis in Christo filiis Brunoni et Launuino, et eorum Fratribus præsentibus et futuris in perpetuum. Quia nostri officii interest servorum Dei quieti providere, etc... » Deinde confirmat quæ in literis Urbani et diplomatibus Rogerii continentur. « Datum Mileti per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, VI Calendas Augusti, Indictione nona, Incarnationis Dominicæ anno MCI, Pontificatus Domini Paschalis Papæ II anno secundo.

Constant. de act. et gest. ms. S. Brun.

S. BRUNO MORITUR.

Baron. ad hunc annum.

III. Ad extremum illustratur præsens annus obitu S. Brunonis Cartusiensium Patriarchæ, qui optimo fine bene institutam vitam felicissime consignavit, quem plurimis illustratum miraculis venerandum suscepit Ecclesia, ut suo loco dicemus. Appropinquante autem a mortali carne resolutionis tempore, beatissimus Pater se cito moriturum præsentiens, cunctos Fratres ad se evocavit, quibus ab infantia sua ætates suas (ut ipsi sui filii testati sunt in Titulo quem postea dabimus) totumque exactæ vitæ tempus imprimis retulit, in quo nihil nisi laude dignum apparuit. Deinde admonens eos ad sectandam humilitatem, observandamque perseveranter charitatem omnium virtutum parentem, eam, quam de sanctissima Trinitate et Sacramentis Ecclesiæ habebat fidem, longo profundoque sermone declaravit, cujus fidei confessionis formulam, prout eam publice pronunciaverat, ad veteris calcem Martyrologii, quo tunc temporis Calabrini Patres utebantur, statim post illius mortem conscribi curaverunt, eo quod ipse fidei suæ coram Deo et hominibus testes illos appellaverat. Ex quo Martyrologio post Domus Calabrinæ recuperationem invento, eam sæpe nominatus Constantius extraxit, eodem prorsus tenore qui sequitur, cum iisdem inscriptione et præfatiuncula.

Constantius ubi sup.

Incipit Prologus Confessionis Magistri Brunonis

Ejus fidei professio.

« Fidem Magistri Brunonis quam communiter Fratribus suis protestatus est, cum horam sibi appropinquare sensisset

ut omnis carnis viam ingrederetur, scriptam servare curavimus, eo quod satis intime coram Deo nos illius fidei testes esse rogaret. Explicit Prologus. ANNUS 1101

Hæc est ejus Confessio

« Credo firmiter in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum: Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum ex utroque procedentem : et has tres personas unum Deum. Credo quod idem Dei Filius conceptus sit de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Credo quod virgo castissima fuerit ante partum, virgo in partu, et post partum virgo in æternum permanserit. Credo quod idem Dei Filius conceptus sit inter homines ut verus homo, sine peccato. Credo quod idem Dei Filius invidiose a perfidis Judæis captus sit, injuriose tractatus, injuste ligatus, consputus, flagellatus, mortuus et sepultus. Descendit ad inferos, ut suos captivos inde liberaret. Descendit propter redemptionem nostram et resurrexit. Ascendit ad cœlos, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo sacramenta, quæ Catholica credit et veneratur Ecclesia ; et nominatim quod consecratur in altari verum corpus esse, veram carnem et verum sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quem et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum in spem salutis æternæ. Credo carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen. Confiteor atque credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum naturalem, unius substantiæ, unius naturæ, unius majestatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur. Ipse Pater a nullo originem ducit, ex quo Filius nativitatem et Spiritus Sanctus processionem accepit. Fons ipse igitur et Origo est totius Divinitatis. Ipse quoque Pater, essentia quidem ineffabilis, substantia sua Filium genuit ineffabiliter, nec tamen aliud quod ipse est. Genuit Deus Deum, lux lucem ; ab ipso ergo est omnis paternitas in cœlo et in terra. Amen. »

Ex hac fidei professione quidam vult probari S. Brunonem suum Ordinem præsertim instituisse, ad renovandam fidem *Cur ab eo facta?*

ANNUS 1101

In Admonit. ad Agn. Pasch.

Ad damnandas sui temporis hæreses.

Constantius ubi sup.

et adorationem in spiritu et veritate erga sacrosanctum Altaris Sacramentum. Sed, amabo, cur non potius erga sanctissimæ Trinitatis Mysterium, cujus suam fidem sanctus Patriarcha fusioribus et efficacioribus verbis declarat? Vera igitur quæ movere illum potuit ad suæ fidei professionem tam distincte et ample proferendam causa, alia esse non potest, quam quæ a memorato Constantio quodammodo detecta videtur, cum in notis ad hanc confessionem observat: « beatissimum Patrem forte adhuc viventem aliquem contra hæreticos in tali materia conflictum habuisse, et ideo morientem publice confiteri fidei suæ integritatem voluisse. » Id certe de sanctissima Trinitate et augustissima Eucharistia fecisse credendus est, ut omnem a se propulsaret suspicionem, tum Berengariæ hæreseos quæ tot suo tempore inter Doctores turbas civerat, tum Trinitariæ non ita pridem in Suessionensi Concilio a Rainaldo Remensi archiepiscopo condemnatæ; cujus autor Roscelinus Compendiensis canonicus et Doctor Parisiensis S. Brunoni ignotus esse non poterat.

Hist. univ. Par. ad an. 1093.

QUO ANNO, QUOVE DIE OBIERIT.

IV. In fidei itaque integritate constanter perseverans sanctissimus noster Patriarcha, virtutum plenus, fœcundus meritis, optimeque meritus de Romana Ecclesia, de Religione Christiana, de observantia monastica, et in omni sanctitate consummatus, feliciter migravit ad Dominum Dominico die, pridie Nonas Octobris, anno saltem ætatis suæ septuagesimo, conversionis octavo decimo, sui in Italiam adventus duodecimo, Paschalis Papæ II anno tertio inchoato.

Primo sepultus in spelunca.

Constantius ubi sup.

Constantius noster narrat sanctissimi Patris corpus fuisse sepulturæ traditum in spelunca ubi pœnitentiam egerat, a S. Mariæ ecclesia jactu lapidis remota, cui appositum est Epitaphium infra scriptum continens hæc carmina:

Primus in hac eremo Christi fundator ovilis
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genitrix Alemania, meque
Transtulit ad Calabros grata quies eremi.
Doctor eram, præco Christi, vir notus in Orbe;
Desuper illud erat, gratia non meritum.

Carnis vincla dies Octobris sexta resolvit:
Spiritui requiem, qui legis ista, pete.

ANNUS 1101

Judocus Badius qui videtur primus Opera omnia et vitam sancti Brunonis simul edidisse, præfatum epitaphium limare et expolire conatus est, eo quod dictiones quædam perperam ibi corripiuntur quæ alias erant producendæ. Sed si antiqua quæque monumenta ad severioris censuræ normam sic revocare quilibet voluerit et præsumpserit, quid salvum, quid integrum ex antiquitatis canitie remanebit? Nos igitur venerandæ antiquitatis et simplicitatis amatores, aliquid immutare aut addere illis versibus crimen arbitrati, illud epitaphium, quale tunc positum et compositum fuit, religiose exscripsimus; sicut etiam ante nos fecerunt nostri Puteanus et Sutor venerandæ vetustatis propugnatores, et ipse Constantius, qui addit sanctum corpus e præfata spelunca eodem anno ad sanctæ Mariæ ecclesiam fuisse translatum, et sub majori altare conditum, ubi locus adhuc vacuus suo tempore apparebat. Denique ad templum S. Stephani translatum est, atque collocatum in pede arcus capellæ a parte cathedræ sacerdotis, et in alio arcus latere corpus Lanuini ejus successoris. Quæ corpora (semper loquitur Constantius) ab ultimo abbate Pandulpho ex dicto loco deposita fuerant in altari, ubi jacebant eo tempore quo scribebat Constantius. Ejusdem translationis meminit Surius, ut fusius dicemus anno 1514 ubi et plura lector inveniet de præfata spelunca, de S. Patris Reliquiis, et ejus inter Sanctos relatione a Leone X Summo Pontifice facta.

Deinde in Ecclesia S. Mariæ.

Translatus tandem in S. Stephani Ecclesia.

V. Etsi cultus ei ab Ecclesia tam sero adscriptus sit, ipse tamen Paschalis ut sanctum habuit; nam paulo post illius mortem ad Lanuinum scribens, vocat eum « sanctæ memoriæ Magistrum Brunonem »; et in aliis ad eumdem literis hortatur « ut juxta Institutionem beati Patris Brunonis imitetur affectum. » Monachi quibuscum in Calabria conversatus fuerat, velut locupletes illius sanctitatis testes, non dubitarunt ipsum vocare « Sanctum Patrem nostrum Bruno-

UT SANCTUS HABETUR.

In rotulo de quo infra.

ANNUS
1101

nem », quippe qui « in sancta consummatione defunctus est, et sancta ejus anima carne soluta ». Ubi vero mortis illius fama per universas Ecclesias dispersa fuit, non solum Sancti nomine a plerisque donatus est; sed ejus auxilium apud Deum quidam imploraverunt. « Nos (inquiunt in suo Titulo Lucenses Canonici) humiles Sancti Frigdiani Lucensis Ecclesiæ Fratres, pro tanto viro et tam glorioso, voluntarie Officium Commemorationis impendemus, credentes nos apud Deum ejus sanctis commendari meritis. »

Canonici quoque Cathedralis Ecclesiæ Placentinæ tam sublimiter de sanctitate nostri Patriarchæ sentiebant, ut animam ejus gloriosissimam dicere non dubitaverint in hoc Titulo: « Nos sanctissimæ Mariæ sanctæque Justinæ Placentinæ matricis Ecclesiæ parvi meriti Fratres, pro tam venerabilis viri gloriosissima anima debitas ardenti animo exequias agere voluntarie promittimus, ejusque sanctam memoriam in nostra matricula amantissime inseremus. »

Monachi Casæ Dei, allecti bono opinionis odore quo S. Bruno in Majori Cartusia degens viciniam illam resperserat, nomen sanctitatis illi etiam tribuunt: « Nos Fratres et servi servorum Casæ Dei, habitantes in Cellula B. Mariæ quæ alio nomine dicitur Cornilio et est vicina eremo Cartusiæ, pro sanctitate tanti viri, cujus doctrina et exemplo stirps tanta in Christo fructificavit, septem diebus celebrabimus officium et missas, dabimus panem et vinum cum cæteris ferculis pauperibus, sicut ex fratribus nostris, et memoriam anniversariam ejus in Catalogo nostro scribemus. »

Ecclesia S. Mariæ Brelensis, inter Lugdunum et Cluniacum, profitetur se credere S. Brunonem statim post obitum ad cœlos evolasse, et ideo inquit:

Non est deflendum nec Patris morte dolendum;
Non obiit Bruno qui partem fixit in uno.
Hunc Deus excepit, comitem pia turba recepit.

Hinc et Canonici Primariæ Ecclesiæ Aurelianensis eum,

velut jam beatitudine fruentem, invocare non dubitaverunt his versibus: ANNUS 1101

Summum, Bruno, decus et gloria temporis hujus,
Carne jaces, sed parte manes meliore superstes,
Et justi recipis nunc præmia grata laboris,
Præclaris merito Doctoribus associatus.
Vivens in Christo, nostri vir sancte memento,
Doctrinæque tuæ, quæ toto fulget in orbe,
Christo funde preces, mereamur ut esse sequaces.
Quique Deum pro te fraterno more rogamus,
Bruno, tuis semper precibus vir sancte juvemur.

Deinde his verbis Monachos Calabrinæ cartusiæ alloquuntur : « Vos quoque sanctissimi Fratres, qui tantum ac talem patronum ad cœlos præmisistis, omni humanæ compassionis dolore postposito, gaudete et exultate in Domino ; dignosque tanto Patre vos fuisse moribus ostendite, ut ipso pro nobis intercedente dignetur vobis Dominus, si non scientia parem, honesta saltem vita consimilem Patrem providere. Valete. »

Ecclesia Metropolis Remensis S. Brunonem velut jam beata vita potitum, pro se credit orare in cœlis.

Hunc tantum talem cœlestibus esse sodalem
Credimus : hunc rogitat Fratrum devotio tota,
Ut Domino pro se dignetur fundere vota.

Cœnobium S. Mariæ Pictaviensis ejus sanctitatem his versibus rhytmicis adstruit :

Vivis et in cœlis gaudes Eremita fidelis,
Quem felix esse sequitur, fugit omne necesse.
O Patrem sanctum pro quo scelus est dare planctum !

Unde S. Juliani Cœnomanensis Titulus sic præclare habet :

Morte tua flendum non credimus optime Bruno,
Qui fugiens vanos mundi pereuntis honores,
Angelicam in terris vitam sapiens imitatus,
Corpore adhuc vivens, cœlestia mente petebas.
Corporis ergo malis Christo miserante solutus,

ANNUS 1101

Sedibus æthereis æterna pace frueris.
Utinam tua sancta sequi vestigia possem !

Denique fere omnes Tituli eum sanctum prædicant, et maxime Titulus tertius Ecclesiæ B. Vincentii conventus Nioliensium illum quasi jam ex Indigetum numero invocat:

Funde preces ergo pro nobis inclyte Bruno,
Et nos e contra nitemur reddere vota;
Nam cupimus tecum cum Christo vivere sursum,
Et decimo cuncti flagitamus in ordine poni.

Sed cum Titulo sanctæ Crucis sanctique Faronis Meldensis episcopi sic concludamus :

Nullus miretur si Bruno sanctus habetur,
Hoc meruit vita.

Chron. ms. Cart.

Multis post mortem miraculis claruisse legitur. « Nam, inquit noster Anonymus qui secundo Ordinis seculo vivebat, juxta ejus sepulchrum, ut fertur, fons vivus emanat, qui divina clementia et hujus Sancti meritis, langoribus fidelium optatæ confert remedia sanitatis. »

SYNOPSIS VITÆ ILLIUS.

VI. Hactenus acta Brunonis, tum ante tum post secessum in solitudinem, ad mortem usque ipsius serie chronologica deduximus prout ex variis autoribus, tabulis et manuscriptis collegimus. Sed cum fusiori sint stylo et ordine recensita, variisque interrupta instrumentis et testimoniis seu autoritatibus, eorum synopsim subjicere operæ pretium ducimus, ut lector, quæ disperse scripta legit, hic velut breviori in tabula coacta unum sub aspectum habens, ea facilius in memoriam revocet.

Quando natus.

Itaque S. Bruno Coloniæ Agrippinæ circa annum Christi 1030 natus, generis sui splendorem doctrina et virtute clariorem reddidit; a puero enim laudabiliter semper conversatum fuisse multa probant. Remis diu studuit et docuit; ibidem scholasticum, canonicum, cancellariumque magno cum plausu egit. In scholis docens celeberrimos habuit et instituit discipulos, inter quos maxime eminent Otto de

Studia et dignitates.

Quales docuit discipulos.

ANNUS 1101

Castellione postea Summus Pontifex sub nomine Urbani II; Rangerius archiepiscopus Rheginensis in ejus locum electus et deinde ab Urbano II Cardinalis creatus; alter Rangerius episcopus Lucensis in Etruria; Robertus regio natus sanguine Præsul Lingonensis in Gallia; et alii plures tum Episcopi, tum Abbates, vel aliis nominibus conspicui. Non satis erat tanti nominis magistro viros informare, qui aliquando Ecclesiæ catholicæ operam navarent suam, ni et ipse toti orbi palam faceret quanto zelo ardebat pro Domo Dei. Multa ei Manasses Remensis archipræsul beneficia contulerat, a quo et majora poterat sperare, si gratiam hominis simoniaci mollibus voluisset assentatiunculis aucupari. Itaque non suo sed Ecclesiæ studens commodo, Manassis crimen audacter defert ad Concilia. Ab eo statim fortunis et dignitatibus spoliatur, variisque affligitur molestiis. Sed inde potiora a Deo percipiens emolumenta, ut « catholicæ fidei sincerus defensor », a Legato Apostolico apud Gregorium VII Summum Pontificem laudatur et commendatur.

In Remensem Archiepiscopum postulatus.

Interea Manasse de sede deturbato, Clerus Remensis a Gregorio commonitus Brunonem, cujus merita aliunde optime noverat, cooptasset sibi in Præsulem, nisi ipse eodem electionis tempore, id est anno 1084, in Cartusiæ solitudinem aufugisset. Ibi per sex annos latens, mundo suisque amicis ex longo locorum intervallo factus ignotus, causam sui secessus tenuit reconditam. Hanc Parisiis ante duos annos nactus fuerat occasione cujusdam sui amici, qui defunctus et a Deo ad momentum suscitatus, proprio ore se damnatum adstanti Brunoni et quibusdam aliis declaravit. Nullus autorum coætaneorum hujus meminit anastasis, quia nullus fere de Brunone quidquam singulare scripsit, nisi quinquaginta aut sexaginta, vel etiam amplius post ejus secessum annis. Ipse quidem Bruno ad Radulphum Remensis Ecclesiæ Præpositum scribens, voti simul cum Fulcio emissi facit mentionem, nullam vero spectaculi eidem Radulpho forsan ignoti; cujus tamen meminisse poterat in aliis ad ipsum missis literis. Nam ex ea quæ nunc extat, discimus utrumque inter se

Causa secessus.

ANNUS 1101

habuisse literarum commercium : « Peregrinum quemdam, inquit Bruno, in aliis legationibus satis fidelem cum literis ad te dudum direximus, sed hucusque non comparet. Dignum judicavimus unum ex nostris charis transmittere. »

An Manassis persecutiones?

Guibertus de Novigento, Brunoni suppar, illum seculo abrenunciasse scribit occasione persecutionum Manassis; sed quis credat persecutiones jam sopitas in solitudinem adegisse virum, qui in persecutoris sui locum postulabatur? Alii, qui Brunonis meminerunt, diu post illius mortem vixerunt; unde non mirum si nullus eorum parvis ac jejunis elogiis, quæ de illo una aut duabus ad summum brevissimis periodis absolverunt, ullam illius secessus causam inseruerint, quam ipse solis suæ solitudinis sociis indicaverat. Sed etsi quidam S. Brunoni ævo suppares reperirentur, qui de eo scribentes damnati siluissent hominis Historiam, an ideo falsa esset dicenda quia ab eis prætermissa ? Imo, nonne futile est hujusmodi argumentum ab autorum silentio deductum ? Quis enim præter Brunonem et Socios ejus scire poterat, quo motivo ad eremum petendam fuerant incitati et impulsi? Stupenda illa anastasis anno 1082 acciderat, illi vero biennio post seculo vale dixerunt. Quis igitur mortalium divinasset hanc eorum secessus causam extitisse? Quis sensatus vel cogitet illos debuisse amici damnationem quasi buccis crepantibus toti mundo divulgare, ut quæ esset causa suæ conversionis cunctis patefieret? Latuit igitur quasi sub silentii et solitudinis modio hæc Historia, donec pullulante Ordine Cartusiensi, cœpit sensim sine sensu ejus traditio a nostris pervulgari, tandemque scriptis mandari a quodam ejusdem Instituti anonymo Monacho, qui primorum Patrum Ordinis cum Brunone Fundatorum discipulos nosse poterat. Ut ut sit, cuilibet per nos licet suo stare judicio, modo et liceat nobis in nostra simplicitate mori.

Unde silentium autorum.

CARTUSIAM INCOLIT.

VII. Hac igitur damnati hominis ferali tragedia salubriter compunctus Bruno, non una stella præeunte, sed stellis septem S. Hugoni episcopo Gratianopolitano divina missione præmicantibus, accessit cum sex Sociis ad eumdem Præsu-

lem, eoque consulente, juvante, comitante, Cartusiæ desertum intrat ibique Instituti nostri jacit fundamenta. Sexennio in solitudine nondum expleto evocatur Bruno ab Urbano II, suo quondam in scholis Remensibus discipulo, ipsum solatio et consilio in ecclesiasticis negotiis juvaturus.

ANNUS 1101

Romam evocatur a Papa.

Sequuntur Patrem afflicti filii sub spe illum reducendi. At illi omni spe dejecti Cartusiam repetunt. Bruno vero ne Curiæ tumultibus a contemplatione nimium abstraheretur, ab Urbano II sæpius in Apulia degente, licentiam petiit ædificandi solitudinem in loco quem Rogerius Calabriæ comes, cui optime notus erat, ei anno 1090 concesserat. Petita quidem obtinuit, sed ea conditione ut revocabilis esset ad Summi Pontificis nutum, pro rerum variarum exigentia.

Secedit in Calabriam.

Ubi enim Ecclesiæ negotia urgebant, maxime circa Conciliorum celebrationem, statim se ad Urbanum transferebat. Quibus expeditis, ad dilectæ solitudinis silentia confestim revertebatur. Sicque compulsus est vir sanctus per aliquot annos in Curia et in cella ex æquo versari, donec tandem anno 1095 Urbano in Gallias pergente, omnimodam ab eo missionem impetravit. Decreverat quidem ad suos in Cartusiam redire, ut satis declarant literæ quas ad eos scripsit, sed altiori Dei consilio aliter dispositum est. Causam cur non redierit quidam quærunt; verisimiliorem videtur detexisse Surius cum dicit hanc esse, nempe « ne aut Curiam declinare non posset, aut illam non reliquisse sed sequi videretur. » Forsan etiam vir modestus et humilis maluit in ipsa Calabria remanere, ubi post recusatam jam ab annis quinque sedem Rheginensem hujusmodi honores non amplius timendi videbantur, quam Gallias repetere, ubi cum plures haberet discipulos ad amplissimas variis in ecclesiis evectos dignitates, major ac justior timendi causa ei suberat, ne et ipsi eum sibi antistitem dari deposcerent et obtinerent. Sed dum sic vitæ residuum inglorius studet transigere, clarior efficitur. Ipse enim, Deo ita volente, Rogerio Calabriæ comiti Capuam obsidenti in somnis apparens, illumque de insidiis quibus appetebatur monens, majoribus quamquam invitus afficitur

Archiepiscopatum Rheginensem recusat.

ANNUS 1101

honoribus. Quos ad Deum omnium autorem referens, tandem in domus suæ abundantia sepulchrum septuagenarius ingressus est.

Moritur.

OBITUS EJUS IN REMOTIORES PROVINCIAS CUM ROTULO MISSUS.

Ordinar. Cart. cap. 34. n. 19.

VIII. Defuncto itaque sanctissimo Patre, id præcipue curæ filiis fuit ut ejus Chartam funeralem sive obitualem, ut habebat consuetudo, in diversas Provincias et usque in Angliam per certum nuntium mitterent, quatenus ejus decessu nuntiato, preces pro illius anima Domino offerrentur; qui mos apud nos adhuc utcumque viget. Ubi enim aliquis ex nostris defunctus est sive clericus sive laicus, statim per omnes Ordinis domos illius obitus a Procuratore mittitur. Idem etiam observatur circa Benefactores amicos et alios Ordinis participationem habentes, quorum omnium nomina etiam singulis annis, sedente Capitulo generali, palam recitata, ejusdem Capituli Actorum Chartæ inseruntur. Hujusmodi Chartæ Rotuli et Rolli quondam dicebantur, quod in speciem rotulæ sive rotæ convolverentur. Alii eorum etymologiam aliunde deducunt, sed de his nihil ad nos. Rotulorum fit mentio in Antiquis Rifferii Statutis, his verbis : « Pœnitentibus ad nos venientibus participationem orationum concedimus. Similiter et Brevibus et Rotulis, quæ pro mortuis deferuntur. » Eorum formam et usum retinuit Ordo noster usque ad Joannis de Griffomonte Majoris Cartusiæ Prioris tempora, sub cujus regimine Capitulorum generalium acta, non in Rotulos ut prius, sed in Codices seu libellos, ut nunc videmus, referri cœperunt. Quæ vero ad Rotulum apponebantur, nempe carmina lugubria, *Tituli* appellabantur, ut mox videbimus.

Quid sit rotulus?

Vide Cangii Glossar. lit. R. et Bar. ad an. 1130.

Quid Titulus?

Igitur juxta laudabilem hanc consuetudinem, Calabri eremitæ unum ex suis certum tabellarium ad loca, ut diximus, remotissima, quæ sancto viro pridem nota fuerant, ablegarunt cum Rotulo in quo Patris obitum his verbis denuntiarunt :

Titulus S. Mariæ de Eremo quæ dicitur Turris

Titulus Eremi Calabriæ.

« Primo loco, quem Primatem et Caput in Ecclesia credi-

ANNUS 1101

mus et confitemur Apostolicæ Sedis Præsulem, totamque illam principalem Curiam, humiles Eremitæ Calabriæ monasterii sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus fundator Pater noster Bruno fuit et Prælatus dum in carne viveret, debita subjectione veneramur et salutamus, Sanctique Patris nostri Brunonis obitum pridie Nonas Octobris denuntiamus, ut meritis eorum et precibus adjuvetur apud Deum. Salutamus quoque universam sanctam Ecclesiam in Ordinibus et professionibus suis, Canonicos, Monachos, Eremitas, Deo dicatas sanctas Virgines. Quibus et omnibus spirituali præsentia prosternimur, ut defuncti Patris memores esse velint, ut dilectæ illi animæ, si adhæsit macula cum non sit justus qui non peccet, multiplicatis intercessoribus et precum instantia, detergatur et transeat ad requiem. Precamur quoque ut quorumcumque locorum Congregationes aut Personæ religiosæ ejus agant memoriam, se nominatim non pigeat in hac charta subscribere. Separatim vero si qui volunt ejus memoriam scriptam et anniversariam observare, scribantur, ut congruam vicem singulis rependamus, prout pauci sufficimus. Ut autem sciatis quanta fiducia, quam certa spe liberationis ejus preces fundatis, transitum ejus brevi titulo innotescimus, ut in sancta viri consummatione veritatem et perfectionem transactæ vitæ colligatis. Sciens itaque quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Dominum ac Patrem, convocatis Fratribus suis, ab ipsa infantia ætates suas replicavit, et totius temporis sui cursum scientia et sententia dignum proclamavit. Postea fidem suam de Trinitate protracto et profundo sermone exposuit et conclusit sic : Credo etiam sacramenta, quæ Sancta credit et veneratur Ecclesia, et nominatim panem et vinum quæ consecrantur in Altari, post consecrationem verum corpus esse Domini nostri Jesu Christi, veram carnem et verum sanguinem, quæ et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum et in spem salutis æternæ. Proxima die Dominica, sancta illa anima carne soluta est pridie nonas Octobris, anno Domini millesimo centesimo primo. Orate pro eo et pro nobis peccatoribus. Fratrem nostrum harum literarum latorem

Pater Bruno Sanctus a suis dicitur.

Ejus professio fidei.

ANNUS 1101

obedientiæ gratia peregrinantem, vestræ charitati commendamus. Valete. »

Prosaïco Titulo poeticum alium addiderunt, sed omnino moralem, et brevi eloquio complectens omnem S. Brunonis virtutem, qui sic se habet :

Ejus virtutes.

Laudandus Bruno fuit in multis et in uno :
Vir fuit æqualis vitæ, vir in hoc specialis,
Semper erat festo vultu, sermone modesto :
Cum terrore Patris monstravit viscera matris.
Nullus eum magnum sed mitem sensit ut agnum.
Prorsus in hac vita verus fuit Israëlita.
Hunc Deus a pœnis rape, sedibus infer amœnis.

TITULI FUNEBRES. IN ITALIA ET BURGUNDIA.

IX. Huic inscriptioni seu Titulo, in eadem Charta sive Rotulo, subscripserunt quam plurima Monachorum, Canonicorum aliorumque Sanctorum Collegia, numero centum et septuaginta octo, quibus cognita erat Brunonis eximia eruditio et vitæ sanctimonia. Hi omnes præter testimonium, quod vel prosa vel carmine de tanto viro eidem Chartæ adscripserunt, polliciti sunt etiam sancti viri Manibus partim e vestigio justa se se peracturos, partim felicem ejus transitum in perpetua commemoratione habituros. Harum subscriptionum series satis innuit, ipsum nuntium e Calabria per Italiæ fauces ad Gallias, et inde in Angliam profectum fuisse. Jam plura ex his testimonia superioribus annis recensuimus ; ex aliis vero quæ supersunt, graviora seligemus, in quibus vel eximia B. Viri sanctitas non obscure poterit animadverti, vel curiosus lector aliquam utilem haurire notitiam, quibus propterea necessarias notulas adjiciemus. Primus igitur post Eremitarum Turrensium Titulum sequebatur Fratrum Montis Amati Titulus sic inscriptus :

Titulus Fratrum Montis Amati

Ordinis Vallis Umbrosæ in agro Bononiensi.

« Notum autem facimus sanctitati vestræ, nos Fratres de Vivo, humiles habitatores Montis Amati, una cum Domino nostro Priore Hieronimo, in communi statuisse pro Reverendissimo carissimoque Brunone vestræ Congregationis Patre,

septem diebus pro venerabili ejus transitu vigilias et missas celebrare, in matricula conscribere, anniversarium diem agere. Oramus et obnixe petimus ut nostri in omnibus bonis vestris memores sitis. Valete. » ANNUS 1101

Titulus Fratrum Fisciclensis cœnobii

« Nos Fisciclenses Fratres, pro Reverendissimo ac Religiosissimo Domino Brunone, eminentissimo Eremita, supplicationum preces intentissime, libenti valde animo, Creatori Deo cum oblationis sacræ libamine persolvemus, et ejus venerabile nomen inter amantissima Fratrum nostrorum nomina conscribemus, ejusque anniversarium diem, prout charitas vestra petit, devotius celebrabimus. »

Ejusdem Ordinis de quo Bar. ad an. 1063.

Quarto loco legitur Titulus Rangerii, sic inscriptus : Titulus discipuli ejus Rangerii, quem integrum alibi dedimus.

Duodecimum locum in rotulo obtinet Titulus Ecclesiæ Gratianopolitanæ, sic dicens : « Gratianopolitana Ecclesia, quam Dominus Bruno, Monachus atque Eremita, sibi Eremum facere habitationemque prius destinavit, quanto tunc gavisa est in ejus præsentia eam nimirum existimans perpetuam habere, tanto nunc magis dolet præ cæteris super *tanti tamque incomparabilis viri* absentia. Quocirca officium ejus Commemorationis assiduum usque tricesimum libenter persolvit. Panem quoque et vinum cum cæteris ferculis quæ Fratres ejusdem Congregationis interim sumpsere, eadem pro ejusdem viri anima pauperibus largita sunt. Diem vero migrationis suæ, quo animam suam memoratu dignam Deo reddidit, in Catalogo suorum illustrium virorum ponens, anniversariam et celebrem se habere indesinenter repromisit. Nos itaque humili prece vos precamur ut nostri sitis memores, quatenus orationum precumque vestrarum possimus fieri participes. »

Quod in hoc Titulo dicitur : « Panem quoque et vinum cum cæteris ferculis pauperibus largita esse », hujusmodi usus præbendi integram annonam defuncti Fratris pauperibus antiquissimus et ante septingentos annos receptus. Statim

Haeft. Mon. disq. to. 2. p. 739.

ANNUS 1101

post Gratianopol. Ecclesiam sequebatur Titulus Eremi Cartusiæ prope Gratianopolim.

« Nos quoque Fratres Cartusiæ *Piissimi Patris nostri Brunonis, viri valde carissimi,* solatio miserabiliter præ omnibus destituti, quid pro ejus *dilecta anima et sancta* faciamus definire nequimus. Vincunt enim merita beneficiorum ejus erga nos, quidquid possumus et valemus. Itaque sicut pro unico patre ac Domino nostro nunc et sine fine orabimus, et qualiscumque Missarum, cæterique spiritualis exercitii consuetudo circa defunctos apud nos tenetur, pro illius anima omni tempore tanquam filii persolvemus. »

Post hunc Titulum sequebatur Titulus monachorum Casæ Dei in Cellula de Cornelione degentium, quem superius dedimus. Deinde Tituli monachorum S. Ruffi commorantium in Cellula S. Andreæ quæ vulgo *Costa* dicitur. Monachorum Athanacensis Abbatiæ in urbe Lugduno, cui tunc præerat Gauceranus postea Lugdunensis Archiepiscopus, quem suis locis videbimus nostri Ordinis amantissimum.

Titulus Majoris Ecclesiæ Lugdunensis

Sic mors prudenti parcit velut insipienti:
Prudens Bruno fuit, sed cita morte ruit.
Nempe jacet Bruno tumulo depressus in uno,
Qui quantum potuit justitiæ studuit.
Floruit et vita factus simplex eremita:
Si fuit iste reus, tu sibi parce Deus.
Cui dantur frustra pro psalmis carmina pulchra,
Plus prodesset ei ter *miserere mei.*

Sedem Lugdunensem tenebat tunc temporis Hugo, quondam Diensis Episcopus, et per Gallias summi Pontificis Legatus, S. Brunonis contra Manassem defensor, ut vidimus in ejus vita ante secessum.

TITULI FUNEBRES. IN FRANCIA.

X. Titulus S. Stephani martyris Ecclesiæ Antissiodorensis

Bruno pius Pastor, puræ pietatis amator,
Dæmonis ignitas superavit ubique sagittas;
Subjectis largus fuit hic nimis, et sibi parcus.

Factis implebat quidquid per verba docebat.
Non se Prælatum, sed se cupiebat amatum;
Gaudeat in cœlis, quia vixit corde fidelis.

ANNUS 1101

Humbaldus tunc ejusdem Ecclesiæ Episcopus, S. Brunonis quondam sui amici austeritatem vitæ imitatus, ex quo Episcopus factus est, sese a carnibus abstinuit.

Rob. a S. Mariano apud Sammarth.

Titulus S. Petri Resbacensis

Rebais Diæc. Meldensis Ord. Ben.

Temporibus nostris finis dum proximat orbis,
Extitit in mundo proximus ille Deo.
Nam dives fuerat, mores sapienter agebat,
Contempsit cuncta, post pauper et est eremita
Factus pro Domino, qui solus regnat in alto.
Iste viam carnis tenuit, per secula felix
Sit pietate Dei qui secula morte redemit.

Titulus S. Petri Trecarum

Cathedralis S. Petro dicata.

Ut Titulus dicit mundi tentamina vicit
Bruno vir sapiens, justa Dei faciens.
Sprevit opes multas, sibi nec fuit ulla facultas;
Sed quidquid potuit fratribus exhibuit.
Fugit ab hac vita, monachus fit et hinc eremita;
Dum sic abstinuit, regna Dei meruit.

Titulus S. Remigii Francorum Apostoli

Ord. S. Bened. in urbe Rem.

Ne doleatis oves Pastoris funere flentes,
Nam non est flendus, fuerat cui vivere Christus
Atque mori lucrum, superando Dæmonis astum.
Hic Pater eximius, nobis merito venerandus,
Non solum nobis, sed quos sol flammeus urit,
Quem fovet ipse Deus, quem jam retinet Paradisus
In requie pacis, cur talem quæso doletis ?
Raptus enim mundo donatur vivere cœlo,
Et vivit vere, studuit quia vivere juste.
Conregnare tibi Deus, annue quæsumus illi,
Æterna requie dans tecum perpetuari.

Sunt et plures Tituli Ecclesiarum Remensis civitatis, quos variis locis inseruimus.

Titulus Ecclesiæ Suessionensis

« Suessionum mater Ecclesia Fratribus dilectissimis et Deo

ANNUS 1101

charis consistentibus in eremo quæ dicitur Turris, conversationem supernam semper habere per Christum. Piissimi ac Deo dilecti Patris vere venerabilis Brunonis cognito sancto ac glorioso decessu, dulciter super tali tantoque viro commoti fuimus. Officium autem ejus felici animæ, fidelium more, impendimus; et ad ejus beatam memoriam anniversarie recolendam, diem qua carnis carcere egressus est, quomodo a vobis denunciatam accepimus sanctam ejus resolutionem, in nostra matricula scripsimus. Orantes et deprecantes ut ejus sanctissimis vestrisque precibus adjuvemur, tam vivi quam defuncti. Amen. »

Huic Ecclesiæ præerat Hugo de Petrafonte, S. Godefrido Abbati tunc Novigenti amicus, de quo mox dicemus.

Titulus S. Mariæ Novigenti

Egregius Bruno non est laudandus in uno,
Qui docuit Clerum, pater extitit et Monachorum,
Atque Deo charus per claros splenduit actus;
Omnibus hic nobis sit semper commemorandus.
Ipsius ut flatum capiat Deus immaculatum,
Missis et Psalmis societur Civibus almis.

Alius Titulus ejusdem

Dum vixit Bruno monuit fecitque monendo,
Ut nobis vilescat mundus ne pereamus.
Mundus habet fraudes, istis conjungit et artes,
Denique mellitis incautos vulnerat armis,
Mellificatque dolos, ut sic perdat male cautos;
Nostro Brunoni nunquam potuit dominari.
Ne dominetur ei mundus*, deserta petivit,
Mansit et in pace, pax ut sibi longa maneret.

* *Al.* ei, nudus deserta....

In uno codice legebatur Nojandi, ex voce Gallica *Nogent*. Sed in alio legimus Novigenti, quod est monasterium S. Benedicti diœcesis Laudunensis, cui tunc præerat S. Godefridus, postea Episcopus Ambianensis, cui triennio post successit Guibertus ille, qui de S. Brunone et nostro Ordine tot tantaque retulit in tractatu *de Vita sua*. Unde mirum, quod ibidem fateatur se nescire quo et qua de causa S. Bruno e

Cartusia recesserit. « Inde etiam, inquit, qua nescio occasione mirabilis iste Bruno recedens.... ad Apulos nescio Calabrosne concessit, et ibidem huic quiddam simile vivendi genus instituit. » Brüno ab Urbano coactus Cartusiam dimittere, in Curia romana sæpe moratus fuerat, ipsum suis consiliis juvandi gratia. In Calabriæ deserta secedens, ibidem relicto sanctitatis odore mortuus est. Ejus obitus, per rotulum ad plures Abbatias, ad ipsum missus fuerat Novigentum monasterium, cujus monachis erat optime notus Bruno. Nihilominus hæc omnia quantumvis vulgaria solus videtur Guibertus ignorasse. ANNUS 1101

Titulus S. Quintini Bellovacensis

« Humilis Congregatio S. Quintini Belvacensis, sperans patrociniis Reverendi Patris sui Brunonis apud Deum se adjuvari, obedienter tricesimum ascribit, et cum Fratribus suis memoriam ipsius vestrumque omnium amodo tenebit. Ord. S. August.

Raptus ab hac vita Christum sitiens Eremita,
Ne mala mutarent sanctam præsentia vitam,
Quidquid proposuit vivens, moriendo probavit:
Proderit Ecclesiæ fidei vestigia nosse.

Quidam Frater de præfata Ecclesia, Gaucherius nomine, sanctæ recordationis Viro quem multum diligebat, et solum nostris temporibus mundo renunciasse prædicabat, tricesimum faciet et quamdiu vixerit inter familiares suos in memoria diligenter habebit. »

Titulus S. Salvatoris Aquiciensis

« Ego Aymericus hujus prætitulati cœnobii Abbas, animæ inclyti et famosi Magistri Brunonis, precibus licet exiguis, æternam ab æterno et pio Salvatore requiem imploro, et diem obitus ipsius Brunonis in Calendario notavi. » *Aquiscinctum Ord. Ben. Diæc. Atreb.*

XI. Hinc noster tabellarius rotulifer transfretavit in Angliam, ubi S. Brunonem multis viris clarissimis optime cognitum et celebratum fuisse discimus ex sequentibus Titulis: TITULI FUNEBRES. IN ANGLIA ET NORMANNIA.

ANNUS
1101

Titulus S. Pauli Apostoli Londoniensis

Tanti fama viri diffusa sub ultima mundi,
Excitat ardentes in digna precamina mentes;
Et licet ut quimus complere petita velimus,
Nos pro posse monent Dominum memorare Brunonem,
Decessumque sui Missis celebrare quotannis.

His versibus subscripserunt plures ejusdem Ecclesiæ canonici ut sequuntur :

« Archidiaconi Rengerius, Walterus, Quintilianus, Robertus Durandusque Scholasticus, Theobaldus, Arturus, cæterique omnes Canonici Ecclesiæ S. Pauli Lundoniensis, salutamus fraternaque dilectione impertimus Eremitas ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Turris Calabriæ, concedimusque ut petistis Anniversarium fieri singulis annis Reverendo Magistro Brunoni servo Dei, cunctisque Fratribus cœnobii vestri pridie Nonas Octobris. Id concessimus publico consensu Fratrum nostrorum, nomenque ejus nominibus Fratrum nostrorum ascripsimus in memoriam prædictæ Commemorationis. »

Titulus S. Petri Eboracensis

Fama prius nobis retulit quam litera vestra,
  Non de morte quidem, sed bonitate viri.
Gemma Domus Domini Bruno fuit..........
  Vera fides ejus virtutibus ædificata
Æthereas ædes ædificavit ei, etc.

Titulus B. Mariæ Eboracensis

Filius Ecclesiæ mortali carne solutus
  Bruno, vir sapiens, quod sua facta probant,
Non est plorandus, quia nunquam jam ruiturus :
  Spes, amor atque fides, quod meruere tenet.

Titulus S. Mariæ Ecclesiæ Lincolniensis

Transisti mundo securus, maxime Bruno,
  Quem quia sprevisti, nil nocuisse puto.
Te voluit rebus fallacibus illaqueare,
  Sed tibi prospiciens non cadis in laqueum.
Obtulit iste quidem, quæ pronus stultus adorat,

Hoc est divitias et bona quæ pereunt.

. . . .

Quis tam felicem cognovit, vel sapientem ?
Non novi talem, nec tibi consimilem.
In te revera patuit sapientia vera,
Te pietas Domini nutriit et docuit......

Pluries aliæ ejusdem Regni Ecclesiæ et Monasteria suos Titulos apposuerunt, quarum hæc sunt nomina : « Sanctæ Mariæ Conventrensis et S. Petri Cestrensis, utraque episcopalis : S. Edmundi Regis et Martyris in agro Suffolciensi : Sanctæ Mariæ Eboracensis, Sanctæ Mariæ Sanctique Aldelmi episcopi et confessoris Malmesburiensis in agro Wiltoniensi : Sancti Petri et Sancti Augustini Anglorum Apostoli, in districtu Cantuariensi. Sed omnium amplissimus est Titulus Sancti Joannis Archiepiscopi Beverlacensis Ecclesiæ quæ erat Collegium Canonicorum, inter quos quinque celebriores plura panxerunt carmina in Brunonis memoriam, cujus vel amici vel etiam discipuli fuerant, et vocabantur Richardus, Albertus, Turstanus (idem forte qui postea ex ejusdem Ecclesiæ Præposito factus Eboracensis Archiepiscopus). Alter Richardus et Willermus suum quoque Titulum in Anglia scripsit, et carmina composuit Lambertus Abbas S. Nicolai Andegavensis in Galliis, sed tunc in prioratu S. Mariæ Spadlingæ agri Lincolniensis suæ Abbatiæ subjecto demoratus. Hunc Titulum alibi descripsimus. Cui Lambertus hanc ad monachos Calabrinos apostrophen adjecit : « Religiosis Fratribus in loco qui Turris appellatur Deo devote famulantibus, Lambertus Abbas et tota Congregatio Sancti Nicolai salutem et dilectionem. Dolori vestro et desolationi charitatis visceribus compatientes, Dominoque Brunoni ex hoc mundo ad Patrem ut credimus transeunti congaudentes, et triumphalis funeris debitum exolventes justis petitionibus vestris et desideriis sastifecimus, annuentes ut illius depositio in martyrologio nominibus Fratrum nostrorum interscribatur et perpetua memoria recolatur. »

Monast. Anglic. to. 1.

ANNUS 1101

Ex Anglia in Gallias revertens tabellarius appulit Rothomagum, ubi oblato Rotulo primariæ Ecclesiæ Canonicis, ab eis sequens Titulus exquisitis refertus laudibus adscriptus est :

Titulus S. Mariæ Rothomagensis Ecclesiæ

Ecclesiæ sanctæ totius lugeat ordo
Humani generis flens irreparabile damnum,
Mundani mundo decessit victor honoris.
Bruno Pater sanctæ Fundator Religionis,
Cujus tanta piam vitam commendat honestas,
Ut sit eum cuiquam non æquiparare potestas ;
Mundum declinans, mundi sublimia vitans,
Elegit potius privata degere vita.
Sed quamvis humilis, clarus meritis Eremita,
Cujus magnificæ quoniam seriem pietatis
Nemo referre valet, actusve piæ bonitatis :
His prætermissis, precibus nos invigilemus,
Atque Patrem summum devota mente rogemus
Ut Pater eximius vitali luce fruatur,
Justus et agminibus Justorum consocietur.

« Nos Rothomagenses Ecclesiæ Metropolis Canonici singulis annis Venerabilis viri Brunonis Anniversarium facimus. »

Huic Titulo suum subscripserunt monachi abbatiæ Montis S. Trinitatis, cujus bona, nunc loco dotis, adscripta sunt duabus nostri Ordinis domibus Borboniensi et Rothomagensi. Talis autem est hic Titulus :

Quamvis mens hominis nescit discernere finis
Quis sit cunctorum, sed fons et origo bonorum,
Cui patet occultum, nec quid dimittit inultum.
Nos tamen, ut mores designant exteriores,
Dulcis et emeritæ pia consummatio vitæ,
Credimus ad superos quod vester transiit heros.
Quæ vos oratis de votis concelebratis,
Hæc eadem nostris exposcimus ut faciatis,
Ut vivant Christo quos carcere solvit ab isto.

Sunt et alii Tituli duodecim primarum Ecclesiarum et Abbatiarum totius Normanniæ, ex qua egrediens tabellarius Cenomanensem et alias Galliarum Provincias peragrat.

Titulus S. Juliani Cenomanensis

ANNUS 1101

TITULI FUNEBRES. IN BRITANNIA.

Sammart. in Epis. Cenom.

XII. « Audito transitu beatissimi Eremitæ Brunonis, Cenomanensis Mater Ecclesia tricenarium fecit, anniversarium depositionis diem celebratura. » Sammarthani dicunt Ecclesiam Cenomanensem, primum quidem Beatæ Mariæ, inde S. Gervasio, tandem B. Juliano consecratam fuisse anno 1201 ; sed ex hoc Titulo quem sic inscribi in duobus codicibus legimus, patet eamdem Ecclesiam patronum antea cognovisse S. Julianum. Sunt et alii tres Tituli ejusdem Ecclesiæ satis pro tempore elegantes, ut testantur qui sequuntur :

Vixit in Ecclesia firmissima Bruno columna,
Occidit, unde decus Ecclesiæ titubat.
Mundalis luget, cœlestis curia gaudet :
Hæc perdit, tantum suscipit illa virum.
Debita naturæ solvit meliora secutus,
Cui pro morte brevi, vita perennis erit.
Ad superos superum cultor sociusque recessit,
Commendans terræ Bruno quod ejus erat.
Sarcinulasque leves et agentem Prothea mundum
Despicit, æternas pauper adeptus opes.
Depositum interea cineri miscetur, idemque
Sperat et expectat præmia sorte pari.
Suspicor Angelicas huic exultare cohortes,
Et cœli cives plaudere cive novo.

Acta Episc. Cenom. to. 3. Analect. Mabil.

Ecclesiæ Cenomanensis erat tunc episcopus Hildebertus de Lavardin Berengarii quondam auditor, quem propterea conjicimus citatorum carminum autorem, quod a scriptoribus coævis laudetur tanquam excellens poeta.

Inde Andegavum pergens nuncius, a S. Nicolai abbatiæ monachis confirmationem obtinuit beneficiorum quæ Lambertus eorum Abbas, apud Spadlingam in Anglia, Brunonis memoriæ promiserat, sic igitur habet eorum Elogium :

Titulus S. Nicolai Urbis Andegavensis

« Necdum vester nostros lares rolliger attigerat, cum Lambertus Abbas noster jam eum susceperat, et de tanto Patre jam dignos versus adscripserat. Illud autem quod promisit

ANNUS 1101

libenter concedimus, et augere jam promissis iterum promittimus pro Brunone, quem jam cum Deo regnare credimus. »

Bruno fuit fons doctrinæ, norma veri dogmatis;
Aristotelis profunda superans et Socratis,
Supergrediens Platonem sacri dono Chrismatis.
Vixit homo plusquam homo, pressus mole carnea,
Vivens tamen pressit carnem, tendens ad ætherea,
Spernens mundum moribundum ob regna cœlestia.
Vivat Bruno felix cœlis cum supernis cœtibus,
Cernat Regem cujus legem conservavit actibus;
Vosque Patres et Confratres orate pro Fratribus.

Titulus S. Mariæ Dolensis Cœnobii

Ord. Ben. Diœc. Bitur.

« Prout vestra dignatur expetere sanctitas, et nos Dolensis cœnobii Fratres Fraternitatis vestræ desolationi compassi, pro beati patris nostri ac Magistri Brunonis anima devotissimarum orationum suffragia, mox ut ejus obitum audivimus, omnipotenti Deo persolvere curavimus. Ac præter cætera missarum tricenalium nec non eleemosynarum suffragia, annuæ sibi missæ beneficium, quod quotidie et annuente Domino persolvitur, paternæ devovimus dilectionis affectu: insuper et ejus memoriam nostræ scripto matriculæ commendamus, ut quotannis fraternæ devotionis affectus ad commendandum eum omnipotenti Deo, ejus lecto nomine excitetur. » Ex hoc Titulo liquet S. Brunonem in hoc cœnobio plures habuisse discipulos, qui eum etiam *beatum* nominant.

Titulus S. Mariæ Lucionensis

Ord. Ben. nunc Sedes Episcopalis.

« Fratres qui estis in eremo quæ dicitur Turris, notum sit omnibus vobis, quod pro Domino Brunone agemus charitative septem vigilias et septem missas, et panem et vinum, Domino Reginaldo Abbate imperante, dabimus. »

Titulus S. Vincentii Conventus Nioliensium

Diœc. Rupel. olim Malleac.

« Nioliensium Conventum in B. Vincentii Ecclesia juxta summi Patris Augustini instituta horis regularibus psallendo

attentum, visa schedula quæ Brunonis incomparabilis Philosophi obitum patefecit, tantus timor tantusque horror occupavit, quod vix debitum officium complere prævaluit...... Sed quia inevitabile constat, et Salvatorem nostrum legem mortis ad horam subiisse credimus, quod in aliis lugeremus mœrorem in Brunone gaudio mutamus....... Sed quia hoc totum vere transitorium perpendit, post vitam eremiticam, arctiorem et inusitatissimam eremum in transmarinis partibus expetiit, et inde Domino vocante ad summi Regis convivia lætus perrexit; unde licet Angelicum Psalterium credamus eum Christo decantare, tamen si quid maculæ quoad viveret, ex originali parente seu ex actuali vita, oblivione seu incuria contempsit abolere, totius pietatis necnon misericordiæ Fontem, prece et mente, oremus assidue quatenus ei velit indulgere. Et ut pro eo illud impetremus, continuis septem diebus officium mortuis debitum Christo persolvemus. »

ANNUS
1101

Titulus Scholæ ejusdem loci

Lumen erat Bruno dum vixit Francigenarum,
Lux Cleri, fruitur nunc lumine cœlicolarum;
Est etenim tali condignus honore potiri,
Qui vitam vita cœlestem duxit in ista.
Lux fuerat mundo Bruno... etc. *

* *Quæ alibi retulimus.*

Plurimos in hac Abbatia extitisse S. Brunonis discipulos satis præfati Tituli indicant, qui tam accurate cuncta, quæ Brunonis sunt, enuntiant.

TITULI FUNEBRES. IN VARIIS LOCIS.

XIII. Post hunc Titulum sequitur :

Titulus S. Pauli Apostoli Cormaricensis

« Dominis et Fratribus meis, Deo omnipotenti in monasterio Sanctæ Mariæ de Eremo quæ Turris dicitur servientibus, Mainardus uti Mundo, frui Deo. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo centesimo secundo, Calendis Novembris, suscepi rotulum istum. Legi in eo beatam, ut puto, animam suavissimi magistri mei Brunonis se-

ANNUS 1101

culi hujus vaporem transitorium, perseverando in vera charitate, efflavisse, pennisque virtutum cœlestia regna subiisse. Gavisus utique super tanti viri glorioso fine, sed quia intentio indefessa mihi inerat ad eum in brevi pergere, eumque videre et audire, omnesque animi mei æstus in illum refundere et vobiscum sub ejus ducatu Sanctæ Trinitati obedire, ultra quam dicere possim, de inopinato transitu ejus conturbatus sum, nec retinere potui habenas ultro profluentium lacrymarum. Mainardus, inquam ego, in Cormariensi monasterio monachorum plurimorum nomine non opere Prior, Remorum civitatis oriundus fui, Domini hujus Brunonis aliquot annis doctrinam audivi, Deoque volente admodum profeci, profectusque mei grates Domino Brunoni et si in hac vita reddere non potui, nunc saltem animæ illius exhibere statui. Habebo itaque illum omnesque in Christo dilectores ejus, in memoriali meo quamdiu spirare potero; universosque convictores meos, filios ac fratres spirituales ad idem opus pro posse meo provocabo, excitabo, promovebo, preces, oblationes, eleemosynas, pro eo non aliter nec minus quam pro meipso, offeram Deo Trinitati, quamdiu fuerit spiritus in naribus meis. »

Hic Mainardus fuit postea ejusdem Monasterii Abbas.

Titulus S. Salvatoris mundi sanctique Gildasii Confessoris Bolensis

« Quoniam pro omnibus hominibus quos sancta virgo Mater Ecclesia, per aquam et Spiritum Sanctum per universa mundi climata ab omni errore et primo originali peccato emundans, per dies regenerat, debet fideliter ad Dominum oratio fundi; maxime pro illis precum instantia orationumque perpes memoria debet ab omni catholico adhiberi, quorum adjutorio et beneficio credimus posse adjuvari. Quocirca hujus excellentissimi Viri Brunonis audita a Domino vocatione, tria officia in conventu pleniora statuimus peragere. Anima ejus requiescat in pace. »

Hæc ultima fuit Ecclesia quæ Brunoni justa in Galliis

celebravit. Hinc nuntius, exeunte anno 1102 ut ex supra scripto Mainardi Cormaricensis Prioris Titulo colligimus, in Calabriam reversus, suum rotulum Tropeiensibus Canonicis obtulit. Hi vero Brunonis laudibus colophonem imposuere ut ex sequenti Elogio apparet : ANNUS 1101

Titulus S. Mariæ Tropeiensis Ecclesiæ

Unde Deo gratus Bruno fuit, inde beatus;
Quem si laudarem, non hunc pro laude bearem.
Reddo Deo grates, quod habebat tot bonitates
Quot possunt dici lingua sapientis amici :
Inde cutis colli teritur præ pondere rolli,
Rolligeri collum nequit ultra tollere rollum,
Quo tot cum tantis scribuntur : et aula Tonantis,
Et sol cum luna, stellarum cursus et una
Lux, polus, aër, humus, mare, tartara, sulphure fumus
Lividus, obscœnus fœtensque, putredine plenus;
Quæ plaga Plutonis procul est a sorte Brunonis.
Ampla fuit charta : nunc parva videtur et arcta,
Qua sors, qua fatum, qua scribitur omne creatum,
Atque Creatoris sine tempore tempus honoris;
Cujus in hac vita, vitæ fuit hic Eremita,
Quam pius et mitis, simplex sine agmine litis
Dicere si nossem, non est quo scribere possem.
Intus et a tergo jam pellis scribitur, ergo
Ultra quid dicam ? jam nescio dicere quicquam,
Sed tamen ut crescat Benedictio, dico quiescat.
Paci dico datus, cum sit super astra locatus,
Si tamen in fossa fiat caro pulvis et ossa,
Non obiit, vivit; patriam redeundo petivit :
Vivere quæ Bruno vivit, possimus in uno.

Hujus Tituli autorem Gallum fuisse auguramur ex voce barbara Rollus, quæ nec latina nec græca est, sed gallica, nempe *Rôle*. Denique ex his verbis « Intus et a tergo jam pellis scribitur », forma hujus rotuli describitur, discimusque potius defuisse chartam vacuam, quam materiam plangentibus obitum S. Brunonis, cujus transitum prædictus Tabellarius solum intimaverat per Ecclesias et regiones beato Viro olim notas, et in quibus singulares amicos vel discipulos habuerat.

XIV. Restat ut de sancti Patris nostri scriptis modo agamus, quorum duæ sunt classes : majora nempe Opera quæ SCRIPTA EJUS.

ANNUS
1101

Expositio Psalterii.

Sut. de vit. Cart. lib. 2. tract. 3. c. 7.

illi sine ulla, quod sciam, contradictione tribuantur ; et minora de quibus non omnes conveniunt. Majora sunt : 1. *Commentaria in omnes Psalmos Davidicos,* quos scripsisse in seculo adhuc positum in ejus vita ante secessum ostendimus. De quibus sic noster Sutor commemorat : « Itaque scripsit nobili stylo egregiam divinamque in Psalterium expositionem, quæ sui autoris præstantissimum ingenium summamque eruditionem ostendit. » Horum Commentariorum apographum in Majori Cartusia asservatur, quod videtur sub initiis fundati Ordinis excriptum. 2. Scripsit etiam aliam *in omnes S. Pauli Epistolas* expositionem, quam idem Sutor « nobilem, dicit, fidelemque Interpretationem, et ex ea Paulum ipsum, omnium opinione difficillimum, adeo clarum fuisse effectum ut sine magnis laboribus sensa ejus capi valeant. » Hoc quoque opus a S. Doctore dum Remis doceret compositum facile crederem. Minora ejus Opera sunt : 1. *Sermones* quos constat illum aliquando ad populum habuisse antequam in solitudinem se reciperet. Id enim videtur innuere Titulus S. Mauritii Andegavensis :

Epistolarum D. Pauli.

Factis complebat operando quod ipse docebat ;
Multos sermones faciebat per regiones.

Et in Ecclesiæ S. Stephani Antissiodorensis Eulogio eodem sensu dicitur, quod

Factis implebat quidquid per verba docebat.

Nec dubium quin etiam factus Monachorum Pater suos sequaces sacris concionibus, quas capitulares vocamus, ad vitam arctissimam cohortatus fuerit. Et de his videtur loqui vetustus librorum mss, quibus seculo quinto decimo bibliotheoa Majoris Cartusiæ referta erat, Catalogus per materias distinctus et sic inscriptus : *Repertorium Librorum Domus Majoris Cartusiæ.* Ibi sub hac epigraphe : « Sequuntur Libri Sermonum », legitur hic articulus : « Sermones gloriosissimi Brunonis Ordinis nostri Cartusiensis, cum aliis in

papiro ». Sed cum modo non compareant, hinc cum dolore conjicimus eos fuisse igne consumptos. In alio ejusdem Indicis paragrapho hanc inscriptionem habente : « Bernardus Doctor mellifluus », inter S. Bernardi Abbatis opera designatur quidam codex hos continens Tractatus : « Bernardus de Consideratione, et Sermones Brunonis Signensis Episcopi. » Hic Codex, quem Basilii Cartusiæ Prioris temporibus exaratum existimo, inter ultimi Cartusiæ incendii reliquias a nobis nuper repertus, sermones sive opuscula illa complectitur, quæ a Jodoco Badio edita et sancto nostro Patriarchæ adscripta, Maurum Marchesium Congregationis Cassinensis monachum, Brunoni Ordinis S. Benedicti et Signiensi Episcopo, merito vindicasse ex ipso codice agnoscimus. Ibi enim quidam inscius, cui unus tantum Bruno notus erat, his duobus Tituli verbis « Signensis Episcopi, » charactere graphice quantum potuit assimilato ac prioris manus imitatione expresso, hæc alia superscripsit : « Primi Institutoris Ordinis Cartusiensis ». Cum igitur verisimile sit posteriores ejusdem codicis exscriptores, verbis quibus Signiensis Præsul autor dicitur omissis, ea tantum modo quæ nostrum Institutorem indicant transcripsisse ; vocare in dubium nemo potest, quin totius controversiæ fons inde eruperit. Nos vero, detecta quam studio æque sincero ac laborioso perquirimus veritate, ingenue fatemur, imo et certissime testificamur, S. Brunonem Ordinis Benedictini Religiosum horum opusculorum proprium ac germanum autorem esse. Aliud quoque vetustum, sed superiori codice paulo recentius, eorumdem Tractatulorum exemplum in vicina Domo Curreriæ reperimus, in quo quinque sunt sermones nondum inter ejusdem sancti Episcopi opera editi.

Bad. in Epist. ded. in op. S. Brun. edit. an. 1524.

Marches. in Dissert. Hist. de S. Brun. Ast.

Sed ad Brunonis nostri opuscula redeamus. Præter Sermones plures scripsit epistolas, quarum duæ tantum ad nostram pervenere notitiam : una ad Radulphum Viridem, altera ad filios quos in Christo genuerat. De utraque ex Calabriæ Eremo scripta suis locis egimus. His Possevinus addit librum ms. de vitæ solitariæ laudibus, quem dicit

ANNUS 1101

apud Paulum Rogerium cartusiæ Venetæ monachum extare. Porro non prosa duntaxat, verum carminibus plurimum excelluisse testes sunt elegia quam de mundi contemptu ab eo compositam superius dedimus, et Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis Titulus, in quo

Plusquam Maronis laudatur lingua Brunonis.

LANUINUS POST S. BRUNONEM MAGISTER EREMI ELIGITUR.

Marci 9. 33. et Lucæ 9. 46.

Constant. de act. et gest. S. Brunonis.

XV. Post sancti Patriarchæ mortem, orbati ejus filii Calabri Eremitæ de illius successore egerunt. At videtur inter eos orta contentio, quis eorum major esset ? Nec mirum cum de eadem re Apostoli inter se aliquando disputasse Christi Evangelia testentur. Quidam volebant, Lanuino in Prioratu S. Stephani remanente, alterum præfici Sanctæ Mariæ in locum S. Brunonis ; vel si Lanuinus eligeretur Sanctæ Mariæ Magister, alter ejus in locum regimen S. Stephani susciperet ; alii vero, quorum pars erat major et sanior, totum utriusque monasterii moderamen in Lanuinum transfundendum esse contendebant, velut S. Brunonis tot nominibus legitimum successorem ; maxime quod ab eo adhuc vivente in partem sollicitudinis adscitus fuerat. Sed non diutina fuit hæc altercatio. Suadente enim Richardo Albano episcopo, qui tunc temporis Legati vices in his partibus agebat, vice electionis proposita, unicus Magister et Prior canonice electus est Lanuinus, cui sine mora Fratres in concordiam revocati, uno ore et uno consensu, obedientiam promiserunt et præstiterunt, scripta etiam chartula cui omnes nomina adscripserunt sua, eo ordine quo in eadem chartula reperta sunt ut sequitur :

Nomina Religiosorum qui obedientiam Lanuino præstitere.

Ex Archiv. ejusdem Domus.

* *Hic corrosa est Charta.*

Frater Ugo promisi obedientiam Magistro Lanuino. Similiter et Frater Leo ; similiter et F. Maraldus ; similiter et F. Radulphus de Crucifixo ; similiter et F. Ursus subdiaconus ; similiter et F. Rainerius subdiaconus ; similiter et F. Guildericus ; similiter et F. Girardus ; similiter et F. Tricus ; similiter et F. Gualterius Morinus ; similiter et F. Landulphus ; similiter et F. Herchen*.... similiter et F. Renaldus Cæmentarius ; similiter et F. Albertus ; similiter et

F. Rembaldus et F. Ugo; similiter et F. Odo; similiter et F. Anselmus; similiter et F. Longuisus; similiter et F. Gumbertus; similiter et F. Bernardus; similiter et F. Durandus; similiter et F. Loinus; similiter et F. Hato; similiter et F. Fulco diaconus; similiter et F. Heldicus; similiter et F. Guarinus subdiaconus; similiter et F. Lambertus. »

ANNUS 1101

Paschalis Pontifex ubi audiit pacem inter Fratres restitutam solumque Lanuinum Brunoni datum fuisse successorem, sequentes ad eum literas gratulatorias scripsit:

Paschalis ad Lanuinum scribit.

« Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, dilecto Filio Lanuino Eremitarum Præposito salutem et Apostolicam Benedictionem. Pacem inter vos Dei gratia et bonorum virorum studio reformatam gaudemus, et Deo gratias agimus. Monemus ergo dilectionem tuam, ut susceptum ministerium sollicite agas, ut Reverendissimi Magistri industriam semper attendas, ut juxta institutionem *Beati* Patris imiteris affectum. Nemo illorum qui tuo Magisterio commissi sunt lenitatem tuam contemnat, ut præteritas negligentias sequentis zeli fervor abstergat, et bonæ opinionis odor in proxima et longinqua dispersus, cursores trahat ad Dominum. »

Brunonem beatum vocat.

Alias quoque ejusdem argumenti ad cæteros Fratres, eidem tamen Lanuino directas misit, quibus monet ne de jejuniis et orationibus præsumant; suntque ejus tenoris:

« Paschalis, etc. dilecto Filio Lanuino et cæteris Fratribus Domini Brunonis Eremum habitantibus, salutem et Apostolicam Benedictionem. Repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, quoniam quod fractum fuerat, consolidatum; et quod dissolutum fuerat, audivimus alligatum. Cavete ergo ne vos iterum Sathanas circumveniat, et in idipsum, quod Deus avertat, revertamini. Nolite de jejuniis et orationibus præsumere. Deum qui Charitas est, amplectimini. Pax, inquit psalmus, diligentibus nomen tuum Domine. Deus pacis et dilectionis maneat semper cum omnibus vobis. Orate pro nobis. »

XVI. Eodem tempore, supra memoratus Richardus Sedis Apostolicæ Legatus ad Paschalem rediens, eum de resarcita

EIDEM LANUINO PATRIÆ PACEM COMMITTIT RESARCIENDAM.

ANNUS 1101

Eremitarum concordia rursum certiorem fecit. Paschalis vero qui Lanuini prudentiam longe ante expertus fuerat, quem cum Brunone in Curia Urbani Prædecessoris sui non semel viderat, discens a Legato multas turbas inter hujus patriæ Monachos motas esse, maxime in Abbatia S. Juliani, Lanuino commisit ut pacem inter eos, sicut inter suos fecerat, conaretur conciliare. Extant super hoc Pontificiæ literæ, quibus præterea mandat eum ad se venire in proxima Quadragesima, quatenus cordis secreta os ad os plenius colloquerentur. Sed præstat ipsum audire Pontificem de his ad Lanuinum sic scribentem :

« Paschalis, etc. dilecto Filio Lanuino Priori sal. et Apost. Benedict. Quod magnopere desideravimus et vehementi desiderio expectavimus, Domino propitiante peractum est. Revertente siquidem Fratre R. Albano episcopo, pacem et concordiam Eremi reformatam et te in locum *Sanctæ memoriæ* Magistri Brunonis successisse cognovimus. Sit ergo in te ejusdem Viri spiritus, idem sit eremiticæ disciplinæ rigor, eadem morum et gravitatis constantia, quia nos opitulante Domino, quicquid autoritatis et potestatis ipsius Magistri probabilis sapientia et religio ab Apostolica Sede promeruit personaliter, hoc tibi eodem te spiritu concomitante concedimus. Volumus autem ut in proxima Quadragesima nos visitare debeas, quatenus cordis secreta os ad os plenius proloquamur. Interim vero monemus ut de resarcienda pace terræ, quam vehementer turbatam audivimus, cum fratribus nostris et religiosis viris qui circa te sunt satagas, et alios ad hoc commonere procures. Abbati S. Juliani, quem satis reprehensibilem audivimus, præcipe ex nobis ut nostræ audientiæ se repræsentet, eumque de contemptu literarum Legati nostri vehementer argue. Datum Romæ, sexto Calendas Decembris. »

Annus deest in nostro apographo ex Constantio. Albanus Episcopus cujus nominis tantum prima litera in his literis describitur, nempe R. ipse est Richardus de quo jam supra diximus. De Abbate vero S. Juliani plura dicemus anno 1103.

XVII. Hoc denique anno exeunte, Petrus Flandrensis sive Bethunensis, Cartusiæ Prior, cum uno tantum anno præfuisset, « prælationis pondus, inquit noster Guigo, atque sollicitudinem graviter ferens, amore silentii et quietis, et cæterorum quæ ad cellam pertinent studiorum, misericordiam petiit et accepit. » Misericordiam vel etiam absolutionem dicimus omnis muneris abrogationem, vel abdicationem quocumque modo fiat. Hanc igitur petiit præfatus Petrus et obtinuit, non ab ullo superiore quia nullus tunc erat, sed a suo Conventu. Ex cujus a Prioratu absolutione et ex Lauduini ejus decessoris in regimine obitu, discimus placuisse Patribus Ordinis juxta disciplinam a Beato Institutore Brunone sibi traditam, ut officium Prioratus non esset ad certum tempus determinatum ; sed ad vitam, aut quantum vires et merita Priorum ferre possent, imponeretur. Nec quid novi induxere ; illos enim Veterum instituta æmulatos fuisse, imo et sacrorum Canonum præceptis sanctorumque Patrum doctrinæ religiose adhæsisse, facile est probatu. Qualis porro esset electionum forma his primis Ordinis temporibus, ex Guigonis Statutis habes in primo horum Annalium tomo. Jancelini Prioris ævo alium modum servari videbimus. Petro itaque misericordiam consecuto, « convocatis Fratribus et in Capitulum convenientibus, majorum meliorumque consilio ex seipsis unum elegerunt, » qui Petri locum occuparet. « Successit, sunt Guigonis verba, Joannes natione Tuscus ex castro Morianna ; scholasticis quidem studiis non multum exercitatus, pene quippe puer seculo vale fecit, sed in his quæ ad Religionem spectant, nulli suorum secundus Antecessorum. » Denique Petrum expriorem in solitudine usque ad tempora S. Antelmi superstitem fuisse conjicio, quod Guigo mortis illius non meminerit. In primo Cartusiæ Calendario plures sunt Petri nomine ; sed ad eum referendum esse puto, qui Idibus Januarii designatur eodem charactere quo Guigonis obitus descriptus est.

ANNUS 1101

PETRUS MISERICORDIAM ACCIPIT.

Catalog. ms. 4er. Prior. Cartus.

Bohic. in Annal. mss. ad an. 1100.

S. Basil. in Reg. brev. c. 156.

Concil. Lateran. sub Alexandro 3.

Stat. Clun. sub Hug.

Pag. 47.

Stat. Guigonis cap. 15.

Catal. ms. ubi supra.

JESU CHRISTI

ANNUS 1102.

Paschalis PP. II Ann. 3.	Ordinis Cartus. Ann. 19.	Joannis Pr. Cart. 1. Ann. 1.

CONCILIUM ROMÆ HABETUR.

Conr. Ursperg. in Chronic.

I. MILLESIMUS centesimus secundus annus sequitur, Indictione decima inchoatus, quo media Quadragesima convenientibus universis Apuliæ, Siciliæ, totiusque simul Italiæ Præsulibus, Synodus magna Romæ est habita, cui interesse debuit Lanuinus Prior et Magister Calabrinæ cartusiæ et S. Brunonis successor. Eum namque anno superiori a Paschali Romam propterea evocatum fuisse, colligimus ex epistola ad eum mense Novembri data, in qua inter cætera vidimus Paschalem Lanuino præcepisse, « ut in proxima Quadragesima ipsum Summum Pontificem visitare debeat, quatenus cordis secreta os ad os plenius simul prosequantur ». Verisimile est illum ibi eamdem fidei professionem cum cæteris Patribus exhibuisse, qua schisma, quo tunc turbabatur Mater Ecclesia, tanquam hæresis damnabatur.

ANDREÆ ET GUARINI CONVERSORUM OBITUS.

II. Circa hæc tempora ponitur a recentioribus rerum nostrarum scriptoribus, obitus Andreæ et Guarini Conversorum Majoris Cartusiæ, qui ex sex fuerant sancti Patris Brunonis sociis et discipulis. Hi licet laici et idiotæ jugum Domini intrepida cervice subierunt, et inter primas stellas, quas in cartusiensi firmamento vidit S. Hugo, meruerunt annumerari. Utriusque et aliorum laicorum in Cartusia tunc temporis degentium pietatem, humilitatem et obedientiam ab eodem sancto Patriarcha vidimus multum collaudari, in illa

epistola quam ad Cartusiæ filios scripsit; in qua inter cætera sic eosdem Conversos alloquitur : « Gaudemus et nos, quoniam cum scientiæ literarum experti sitis, potens Deus digito suo inscripsit in cordibus vestris non solum amorem, sed et notitiam sanctæ Legis suæ. Opere enim ostenditis, quod amatis quodve nostis. » Amborum meminit Guigo in Vita S. Hugonis, sed pro more suo, nullo eos peculiari celebrat encomio. « Habebat, inquit loquens de S. Brunone, socios Magistrum Lauduinum...... duos laicos, quos appellamus Conversos, Andream et Guarinum ». Dies eorum ad vitam transitus signatur in primo Cartusiæ Calendario; Andreæ videlicet ad octavum Calendas Decembris, Guarini vero ad tertium Calendas Januarii.

ANNUS 1102

JESU CHRISTI

ANNUS 1103.

Paschalis PP. II	Ordinis Cartus.	Joannis Pr. Cart. 1.
Ann. 4.	Ann. 20.	Ann. 2.

GUIGO COMES ALBONIS DAT CARTUS. VALL. UMBROSAM.

I. ANNUS sequitur millesimus centesimus tertius Redemptoris, undecima Indictione, quo S. Hugo Gratianopolitanus alterius Sancti (videlicet Ismidonis episcopi Diensis) opera, a Guigone Albonis comite quamdam vallem in gratiam suorum Cartusiensium obtinuit ; laudante et confirmante patris donum Guigone qui dicebatur Vetus, ut ex subjecto ejusdem donationis diplomate innotescit :

« Mediator Dei et hominum Dominus noster Jesus Christus, propter salutem nostram humanam eligens assumere formam, contra peccatorum nostrorum vulnera dignatus est opponere præceptorum suorum salutifera medicamina. Præcepit enim nobis ut de iniquo Mammona faciamus nobis amicos in hac præsenti vita, a quibus mereamur recipi, cum defecerimus, in æterna tabernacula; et præcepit nobis dare temporalia, ut possimus recipere æterna. Qua propter ego Guigo comes, ut possim evadere pœnas æternæ Gehennæ et adipisci gaudia æternæ gloriæ, dono et ex integro concedo Fratribus Cartusiæ et successoribus eorum usque in perpetuum, vallem...... Sicut ipsi melius eligere et intelligere possunt, a summis rupibus usque ad fluvium...... pro remedio animæ meæ et parentum meorum. Factum est autem hoc sub laudatione et confirmatione et præsentia Domini Hugonis Gratianopolitani præsulis. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo centesimo tertio, In-

dictione undecima, feria quarta quæ est IX Calendas Octobris, Luna XIX. ANNUS 1103

« Ego Guigo comes qui hanc chartam fieri præcepi, laudo et corroboro eam in præsentia Domini Hugonis Gratianopolitani episcopi et Domini Ismidonis Diensis episcopi. Si quis contra hanc chartam et hanc donationem calumniam aliquam movere voluerit, sub maledictione Dathan et Abiron æterno interitu damnetur. Laudat etiam et corroborat Guigo filius meus, cognomine Vetus. Signum Wigonis Decani, sig. Rostanni canonici, sig. Odolrici, signum Wigonis Desiderii, sig. Desiderii de Cassinatico, sig. Guigonis Guarini, sig. Artaldi de Moirenco. Laudant etiam hoc Ministrales de Cornilone, Guigo Franco, Bernardus, et Mallenus fratres. »

Noster hic Benefactor erat Guigo cognomento Crassus, erga S. Hugonem et Cartusienses semper bene affectus, cujus filius, qui Beatum Præsulem cœpit persequi, in præfatis patris sui literis Vetus nominatur, ut hujusmodi appellatione a Guigone Crasso patre suo et Guigone filio suo discerneretur; sicut ejus avus patre et filio adhuc viventibus, Vetus aliquando ac sæpius Senex dictus est. Hujus cognominis identitas paucis hactenus nota, quosdam in errorem impulit avum et nepotem confundendo. Nec solum in supradicto diplomate, sed in pluribus aliis aliorum monasteriorum tabulis, Guigo Guigonis Crassi filius hac designari nuncupatione reperitur. Extat in cartulario Ulciensis Ecclesiæ Instrumentum datum anno 1102, quo Jarento de Curreria et Hugo de Aurelia quædam jura eidem cedunt Ecclesiæ, cessionem sive donationem approbante et « laudante Guigone Veteri Guigonis Crassi filio », qui et ibidem « Cluniacensis » cognominatur. Idem annis sequentibus a nobis dicenda confirmabunt. Unum porro animadverti, eum ante annum 1100 simpliciter vocari Guigonem Guigonis Crassi filium; unde licet conjicere filium ejus Delphinum nondum forsan natum fuisse.

Cartul. Eccl. Ulcien. Ex ms. cl. v. Nic. Chorier.

II. Hoc etiam anno, si Tutino credimus, Paschalis Papa per Apostolicas literas facultatem tribuit Lanuino Eremi Calabriæ Magistro, ut nomine Sedis Apostolicæ aditum ec-

LANUINUS A PASCHALI II LEGATUR AD CANONICOS MILITENSES.

ANNUS 1103

clesiæ Canonicis Militensibus interdicat, nisi infra octavam Paschæ episcopum eligant; iisque non obedientibus Lanuinus ipse, habito prius cum Calabriæ Comitissa et Baronibus consilio, canonicam electionem faciat. Itemque admoneat S. Juliani Abbatem ut ad ejus præsentiam veniat, de omnibus commissis rationem redditurus. Denique ut excommunicationis sententiam ferat in quemdam Abbatiæ S. Euphemiæ monachum. Paschalis literas noster Constantius exscripsit in hunc qui sequitur modum:

Ad Abbatem S. Juliani.

Excommunicat Monachum S. Euphemiæ.

De act. et gest. mss. S. Brunonis.

« Paschalis, servus servorum Dei, dilecto Filio salutem et Apostolicam Benedictionem. Militensis Ecclesiæ Canonicis frequenter jam literas pro canonica celebranda electione transmisimus. Nuper autem præcepimus, ut usque ad octavas proximi Paschæ Pastorem sibi idoneum eligerent. Quod si differrent, ecclesiæ aditum illis interdiximus. Volumus ergo ut eos, Comitissam et bonos Barones convenias, et per ipsos vice nostra ad Pastoris electionem commoneas. Si vero sicut hactenus contemptores extiterint, aditum ecclesiæ omnino eis donec satisfaciant interdicas; et habito cum Comitissa et Baronibus consilio, electionem canonicam facias; Abbati S. Juliani, ut in tua præsentia de objectis sibi satisfaciat; monachum illum, qui dudum in monasterio S. Euphemiæ constitutus est Abbas, si ab ejusdem cœnobii occupatione per te commonitus discedere noluerit, nostra fultus autoritate excommunicationi subjicias. In his omnibus nostras vices sollicitius, et plenius habere volumus te. » Sine die et anno.

Quo tempore hæc fuerunt acta.

Jam ante biennium vidimus Paschalem per literas monuisse Lanuinum, ut pacem quam his in locis turbatam audiverat, Episcoporum patriæ et aliorum religiosorum virorum consilio et opera resarcire satageret; ac S. Juliani Abbati, literas Legati Pontificii contemnenti, diem condiceret ad se Curiæ Romanæ sistendum. Ex quibus conjicimus præfatas Paschalis literas non diu post datas fuisse, quas ideo cum Tutino ad annum præsentem referimus. Acceptis vero Apostolicis literis, Lanuinus sua diligentia Episcopi electionem acceleravit. Sancti Juliani Abbatem abdicavit et alium S. Euphe-

miæ præfecit, ut affirmant aliæ Paschalis literæ de quibus anno sequenti. ANNUS 1103

JESU CHRISTI

ANNUS 1104.

Paschalis PP. II Ann. 5.	Ord. Cartus. Ann. 21.	Joannis Pr. Cart. 1. Ann. 3.

PASCHALIS LAUDAT LANUINI SOLLICITUDINEM IN EXEQUENDIS PONTIFICIIS MANDATIS.

I. SEQUITUR annus millesimus centesimus quartus, Indictione duodecima, quo juxta eumdem Tutinum præfatus Papa multum commendat sollicitudinem a Lanuino exhibitam in Apostolicis literis, quas ad eum anno præterito miserat, exequendis: eique congratulatur de expulsione Abbatis S. Juliani, et de alterius in S. Euphemiæ Abbatem institutione. Ac præterea exhortatur et jubet, ut in eodem S. Juliani cœnobio de Pastore canonice eligendo provideat, electumque Roma consecrationis causa mittat. Hujus mandati diploma a nostro Constantio e Domus Calabrinæ Tabulario extractum subjicimus.

« Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, charissimo filio Lanuino salutem et Apostolicam Benedictionem. De fratris Hu^mi promotione, et Abbatis S. Juliani expulsione nos admodum gaudere cognoscas; quia hunc omnipotens Deus monasterio Beatæ Euphemiæ, jam per biennium Abbatis solatio destituto, providit; et illum ab ipsius loci occupatione removit. Stude ergo, Fili, ut juxta B. Benedicti Regulam in Beati Juliani cœnobio Abbas eligatur, quem ad nos consecrandum largiente Domino destinabis. Etsi enim Fratres nostri clamaverint, vos tantum quæ juris sunt beati Petri minime patienter intuemini. Fratres tuos Eremi cohabitatores in Domino salutamus, ut in charitate permaneant modis omnibus cohortamur. Nos ipsos tuis et illorum ora-

ANNUS
1104

tionibus attentius commendamus. De rebus beati Petri ita studeas, sicut expedire cognoscis. »

Hubertus Abbas S. Euphemiæ.

Abbas S. Euphemiæ cujus nomen noster Constantius sic exaravit Hu^{mi} et in præfatiuncula Constitutionum Magistri Lamberti, de quibus anno 1120, sic scribitur Dominus Hu.; a quodam exscriptore nominatur Hugo, sed potius legendum nobis videtur Huberti. Ac proinde censemus eum fuisse successorem alterius Guillelmi abbatis, qui ita subscribitur in diplomate erectionis Ecclesiæ Catanensis in Sicilia, apud Rocchum Pirrum dato anno 1092, « Vuillelmus Abbas cœnobii S. Euphemiæ similiter interfui. »

Rocc. Pirrus in notit. 1. Eccles. Catanen. et notit. 2. Eccles. Syracusanæ.

ITERUM LANUINUM MONET, UT PROVIDEAT ABBATIÆ S. JULIANI.

II. Interea Lanuinus videtur Paschali scripsisse antequam ejus literas reciperet. Quamobrem iterum ei Papa instat ut quam citius Abbatiæ S. Juliani provideat, promittitque causam Messanensis Episcopi, quem sibi commendaverat, canonico fine claudere quando ad Curiam venerit. Sic igitur scribit: « Paschalis Episcopus, etc. dilecto Filio Lanuino salutem et Apostolicam Benedictionem. Quæ pro monasterio S. Juliani nuper scripsimus, eadem fraternitati tuæ scribimus; ut experientia tua omnino studeat idoneam illic personam eligere, quatenus diuturna illius loci destructio, adjuvante Domino jam possit relevari. Messanensis Episcopi causa, cum ipse ad nos venerit, canonico fine claudetur. Fratres qui tibi sunt divina dispositione commissi, caute et sollicite custodi, ut mercedem tuam cum ipsis a Domino recipere merearis. Omnipotens Dominus ab insidiis visibilium et invisibilium hostium vos custodiat, et fortitudinis suæ brachio vos defendat, et ad vitam pariter perducat æternam. Fratres tuos ex parte nostra saluta. »

Hunc Messanensem Episcopum fuisse Robertum primum, post exactos Saracenos a Rogerio comite nominatum, opinatur Rocchus Pirrus, qui easdem literas ad se a Camillo Tutino ex nostræ Calabrinæ cartusiæ tabulario transmissas, Messanensis Ecclesiæ notitiis inseruit. Robertus vero creditur decessisse anno 1107, unde iterum tenemus omnes præfatas Paschalis literas datas fuisse circa annum præfatum.

JESU CHRISTI

ANNUS 1105.

Paschalis PP. II	Ordinis Cartus.	Joannis Pr. Cart. 1.
Ann. 6.	Ann. 22.	Ann. 4.

LANUINUS A PASCHALI INSTITUTUS VISITATOR ET REFORMATOR MONASTERIORUM CALABRIÆ.

I. REDEMPTORIS millesimus centesimus quintus, Indictione tertia decima, annus adest quo præfatus Lanuinus sanctitatis et religiosæ industriæ fama in dies celebrior effectus, monasteriorum et Ecclesiarum reformationi rursum invigilare jubente Summo Pontifice cogitur. Quod ut felicius faciliusque præstaret ab ipso Paschali nova donatur potestate, qua generalis vicinorum monasteriorum visitator declaratur, accepto de hac re sequenti diplomate a nostro Constantio e pulvere eruto :

« Paschalis Episcopus, etc. dilecto filio Lanuino salutem et Apostolicam Benedictionem. Religionis tuæ sanctitas et sinceritas ac ministerii sollicitudo, quam in monasteriorum et Ecclesiarum reparationem exerces, plurimum nos ad dilectionem tuam impellunt et magnas omnipotenti Deo gratias agere faciunt. Unde super religione tua congaudentes et de tuo multum fervore, fili charissime, confidentes, hortamur et præcipimus ut nostri juris Monasteria, quæ circa te sunt, sollicite requiras; et quæ illic adversus monasticæ regulæ disciplinam præsumpta sunt, cum omni discretione ac moderatione studeas emendare; et eos qui hactenus pravis sunt moribus conversati, coercere non negligas. Præcipimus etiam ut fratrem nostrum Militensem Episcopum adeas, eumque super querela illa quam gerit adversus monachos sancti Angeli, fraterne convenias. Et si pacem inter eos concor-

diamque comparare nequiveris, opportune utraque pars ad nostrum destinetur examen. Non ignoramus enim eum Clericorum suorum instigationibus ad hoc prorupisse, ut beati Petri bona tot infestationibus laceraret; sed nos profecto in tales instigatores, nisi defecerint, gladium beati Petri exeremus et nos ipsos ulciscemur. Datum, etc. » ANNUS 1105

Dum sic Lanuinus invigilat externorum monasteriorum paci, suæ Eremi non oblitus, privilegium obtinet a Donato Squillacensi episcopo, quo ille eadem jura ab antecessoribus cœnobio Sanctæ Mariæ de Turre asserta renovat. Id asserit Ughellus, sed privilegium non affert. Ughel. tom. 9. Italiæ sacræ in Episcopis Squillac.

II. Eodem anno S. Hugo, cujus vividis adhortationibus teste nostro Guigone nemo resistere poterat, secularibus S. Donati Canonicis quibus ipse præsidebat vitam persuasit regularem, quam eo præsente voverunt in manibus Nantelmi Ulciensis Ecclesiæ Præpositi, ut ex sequenti charta apparet: CANONICI S. DONATI VITAM VOVENT REGULAREM.

« Ego Hugo, Gratianop. episcopus et Præpositus Ecclesiæ S. Donati, notum facio filiis Gratianopolitanæ Ecclesiæ præsentibus et futuris, quod Canonici S. Donati abrenuntiaverunt seculo, et sub canonica professione decreverunt Deo servire; et quoniam ipsorum numerus non sufficiebat ad servitium ejusdem Ecclesiæ, eorumdem rogatu cum consilio Canonicorum nostrorum, scilicet Gratianop. Ecclesiæ, committo Canonicos regulares Ecclesiæ S. Donati Nantelmo Ulciensis Ecclesiæ Præposito et omnibus successoribus ejus, ut eis obedientiam promittant, et promissam secundum Deum in omnibus et per omnia teneant, etc. Datum in Capitulo Gratianop., XI Kalendas Febroarii, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo V, Indictione XIII. Hanc donationem laudaverunt Canonici Ecclesiæ Gratianop. scilicet Guigo Decanus, Guigo de Lanz, Rostagnus, Odalricus, Walterius, etc.; præsentibus Guigone comite et filio ejus Guigone Veteri; et Richardus Clericus Domini Hugonis Gratianop. episcopi scribit hanc chartam. » Ex Cartular. Eccl. Gratianopolitanæ.

Eodem anno præfatum Guigonem comitem dictum Crassum decessisse colligimus ex Cartulario Ulciensi, ubi extant literæ Ex mss. Nicol. Chorier.

ANNUS 1105

quibus « Guigo comes in articulo mortis positus, ad preces Majendæ Reginæ filii sui uxoris, et Alberti Præpositi ac Stephani capellani castri de Briancone, dat ac confirmat ecclesiis S. Petri et S. Laurentii tachias, servitia et alia quædam in remissionem peccatorum suorum, uxoris et filiorum. Testibus Majenda Regina, Stephano capellano et Aimone de Auna. »

BERNARDUS CONVERSUS CALABRIÆ MORITUR.

III. Circa eadem tempora universæ carnis viam ingressus est Bernardus, Conversus Eremi S. Brunonis et ejus nuncius, quem multis enituisse virtutibus par est credere. Ejus mentionem facit sanctus Patriarcha in epistola ad Radulphum Remensem Præpositum his verbis. « Quod quidem literis tuis suavissimis in quibus mihi amice blanditus es, necnon beneficiis non solum mihi, verum etiam F. Bernardo causa nostri large impensis, aliisque indiciis nonnullis satis ostensum est. » Nomen ejus etiam reperitur inter eos qui Lanuino S. Brunonis in Eremo Calabrina successori obedientiam præstiterunt. Forsan et ipse est tabellarius ab Eremitis nostris missus qui mortem S. Patris amicis ejus denuntiaret, de quo et in eorumdem Eremitarum literis encyclicis sic mentio habetur : « Fratrem nostrum harum literarum latorem obedientiæ gratia peregrinantem, vestræ Charitati commendamus. » Quidam posuit diem obitus Bernardi ad septimum Aprilis, sed sine autoritate ; dies enim et annus hactenus ignorantur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1106.

Paschalis PP. II Ann. 7.	Ordinis Cart. Ann. 23.	Joannis Pr. Cart. 1. Ann. 5.

I. SEQUITUR annus redempti orbis millesimus centesimus sextus, Indictione quarta decima, albo apud Cartusienses lapillo signandus, quod eo Deus virum ad Ordinem vocaverit, qui Legem Cartusianam nondum scriptam quandoque in lucem ederet, perpetuis duraturam temporibus. Ipse est Guigo tam sæpe nominatus, quem annos circiter viginti tres natum, vestem monachalem hoc anno in Cartusia induisse colligimus, quod in Elogio paulo post illius mortem exscripto dicatur obiisse anno a conversione sua trigesimo, qui fuit annus Christi 1136. Ortum habuit Romani in Delphinatu ex nobili stirpe. Parentum ejus nomina adhuc latent; meminit ipse matris suæ in S. Hugonis vita, ubi disserens quanta cum diligentia et modestia beatus ille præsul suos oculos custodierit, nulla, præter unam, conspecta in faciem muliere. « Hinc fuit illud, inquit, quod cum de matre mea (quæ cum eo quæ voluit, quandiu voluit locuta fuerat) ab eo quæsiissem utrum eam valde senecta fregisset, paululum secum præmeditans, nescio, inquit, utrum sit vetus an non. » Ex quibus non solum discimus quam severus sensuum custos Hugo fuerit, sed Guigonis etiam inde apparet arcta solitudinis observatio, qua matri accessum ad Cartusiam prohibuisse ex iisdem verbis recte conjiciendus est. Triennio post susceptum nostri Instituti habitum, Joanni Cartusiæ Priori magno Ordinis bono suffectus est, ut suo loco

B. GUIGO FIT MONACHUS CARTUSIÆ.

Ex catal. ms. 5. Prior. Cart.

Quam arctæ solitudini deditus.

ANNUS 1106

dicemus. Brevi enim tempore vir sanctissimus evasit, cujus merito et sanctitati testimonium perhiberi videbimus a sanctis abbatibus Bernardo Clarevallensi et Petro Cluniacensi, et ab omnibus viris qui hac ætate claruerunt. Ipse quippe est, ut diximus, qui Cartusiæ Consuetudines scripto primus digeret, ex quarum tenore infracta animi constantia vivens priscis Anachoretis æquiparandus erit, Summorum Pontificum amicitia cohonestandus, Præsulum sui temporis nacturus familiaritatem, omnium denique Dei servorum laudibus prædicandus, ut diversis in locis per viginti septem, quibus præfuit, annos narrabimus. Hunc quidam crediderunt ante nostri Ordinis ingressum Gratianopolitanæ Ecclesiæ Decanum fuisse, sed ex variis instrumentis, annis superioribus exscriptis et sequentibus exscribendis, alium esse comperimus ejusdem nominis, qui Decanatus dignitatem saltem ab anno circiter 1090 ad annum 1100 et ultra tenuit.

An fuerit Decanus Gratianop.

ALCHERIUS DAT CARTUS. VALLEM DE TENESON.

Ex arch. maj. Cart.

II. Circa illud tempus, Alcherius vir nobilis quamdam vallem dedit Domui Cartusiæ in gratiam Atenulphi filii sui monachi. Literæ donationis sunt hujus tenoris :

« Notum sit omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quod Fratribus in eremo Cartusiæ habitantibus, ego Alcherius et filii mei pro salute animarum nostrarum et parentum nostrorum donamus vallem..... quantum nostro juri pertinere videtur. Hæc autem vallis ab orientali parte terminatur rupibus quibus vallis..... clauditur; a meridiana vero parte superiori terminatur alpibus vergentibus contra...... Ab occidentali autem parte terminatur rupibus..... A septentrionali vero parte terminatur rivo qui vocatur Guerus mortuus. Hæc prædicta donatio maxime facta est Atenulpho monacho prædicti Alcherii filio petente et laudante, cum cæteris ejus fratribus. »

Humbertus de Miribel consentit donationi.

Huic donationi reclamavit Humbertus Dominus de Miribel tanquam primarius horum locorum Dominus beneficiarius, totiusque vallis possessionem immediatam sibi vindicabat asseverans Alcherium nullum in eam jus habere. At ut erat erga Nostros bene affectus, quicquid juris sibi despondere

poterat libens concessit, consentiente Bonifacio filio suo, ut liquet ex sequenti diplomate : ANNUS 1106

« Fratres Cartusiæ quæsierunt ab Humberto de Mirabel ut laudaret eis donationem vallis..... quam fecerat Alcherius et filii ejus. Quod cum audisset obstupuit, asserens prædictum Alcherium et filios ejus, nihil in hac valle juris habere; sed prorsus sui juris esse, et ad se et ad filium suum Bonifacium pertinere. Ipse vero libens et prompto animo dedit supradictam vallem prædictis Fratribus Cartusiæ, in quantumcumque sui juris erat et filii sui Bonifacii. » Vide supra.

III. Hoc anno Guigo comes (qui vivente patre Vetus vocabatur, eo vero anno superiori mortuo cognomen illud dimisit) quædam bona Prioratui Ordinis Cluniacensis dicto de Domina contulit : in cujus Prioratus Cartulario legimus, quod donum Vuillelmi domini de Domina « laudavit et corroboravit Domnus Wigo comes et uxor ejus Regina quæ fuit de Anglia (sunt verba chartæ); et si quid juris in supradicto honore habebant totum fideliter donaverunt. Fecit autem hoc prædictus Wigo comes pro anima sua, et anima matris suæ quæ ibi sepulta jacet, et pro salute uxoris suæ et filiorum suorum. Testes hujus doni fuerunt Willelmus de Cassinatico, Wigo Garinus, Alvisius de Domina.... Est autem factum hoc anno Dom. Incar. millesimo centesimo sexto, Indictione XIIII, etc. » Hoc parergum addimus tanquam utile futurum ad quorumdam intelligentiam, quæ de Comitibus Delphinis extricanda necessario in his Annalibus occurrent. GUIGO COMES QUONDAM DICTUS VETUS. Ex Cartul. SS. Petri et Pauli de Domina.

JESU CHRISTI

ANNUS 1107.

Paschalis PP. II Ann. 8.	Ordinis Cartus. Ann. 24.	Joannis Pr. Cart. 1. Ann. 6.

LIS INTER S. HUGON. ET ARCH. VIENN. DIRIMITUR.

I. ANNUS sequitur millesimus centesimus septimus Redemptoris, Indictione quinta decima, quo Paschalis Papa Gallias visitans, litis omnem controversiam inter Guidonem archiepiscopum et sanctum Hugonem a pluribus annis motam judicio diremit, utroque Præsule cum Guigone comite Albonensi sub initium anni Summum Pontificem Lugdunum conveniente. Causam multis Episcopis præsentibus dijudicavit, ut sequitur :

Ex Cartul. Eccl. Gratianopol.

« Paschalis, etc. Inter venerabiles Fratres Guidonem Viennensium et Hugonem Gratianopolitanum Episcopos, de pago Salmoracensi per multos annos et multis in Conciliis quæstio ventilata est. Novissime ante præsentiam nostram Lugduni in hanc concordiam, ex nostri provisione judicii, convenerunt ut ejusdem pagi æquam divisionem facerent, et tam Viennensi quam Gratianopolitanæ Ecclesiæ pars ejusdem divisionis vicinior redderetur; quidquid autem in territorio intra Bornam et Isaram versus Gratianopolim constituto, Viennensis Archiepiscopus calumniabatur, ab omni deinceps infestatione liberum Gratianopolitanæ cederet. Porro ecclesiam beati Donati, quæ intra Viennensem parochiam continetur, cum omnibus immobilibus sive mobilibus ad eam pertinentibus, Episcopus jure proprietario possideret, et tam Canonicis ipsius ecclesiæ quam universa ad eam pertinentia ipse disponeret; Viennensis autem parochiali tantum jure in

clericorum et altarium consecrationibus uteretur. Pari ergo communique consensu, Salmoriacensis pagi talis est facta divisio..... Sic largiente Domino supradictæ quæstionis diuturnitas terminata est, et pacis atque concordiæ inter Viennensem et Gratianopolitanam Ecclesiam earumque Præsules, utroque in idipsum consentiente stabilitas instituta est. Affuerunt huic judicio sive concordiæ, quæ apud Lugdunum 4 Kalend. Februarii facta est, venerabiles episcopi Ricardus Albanus, Aldo Placentius, Pontius Aniciensis, Leodegarius Vivariensis, Guido Gebennensis, Eustachius Valentinus, Cono Maurianensis, et Guigo comes Albonensis. Datum per manum Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii apud Ecclesiam S. Petri de Alavardo, 4° Nonas Augusti, Indictione 15, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo septimo, Pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ octavo. »

ANNUS 1107

Extat integra tom. 2. Stat. pol. Nicol. Chor.

GALTERIUS CALNESIUS MONACHUS CART. ET ALII.

II. Eodem tempore, inter plures sanctos monachos quibus abundabat mater Cartusia, pietate florebant Bertrandus, Rotlandus, Lattardus et imprimis Galterius Calnesius ex nobili ortus familia, qui ante conversionem in Gratianopolitana Ecclesia Canonicus laudabiliter conversatus fuerat; assiduus comes et imitator sancti Præsulis Hugonis fundationis Cartusiæ literas cum eo approbavit, suoque sigillo sive chirographo firmavit. Honorifice noster Guigo de Galterio loquitur in Vita S. Hugonis sic dicens : « vir Deo charus Gaulterius, cognomento Calnesius, qui apud nos in monachatu diu laudabiliter vixit et obiit, solebat referre quod cum in seculo positus suas ei (S. Hugoni) confiteretur offensas (erat enim in Ecclesia Gratianopolitana literis et honore præclarus), incubuerit ipse super caput ejus, et tantam vertici lacrymarum infuderit copiam, ut madefactis capillis deorsum etiam rimuli per confitentis ora defluerent. » Erat Guigo adeo parcus et continens in laudibus suo Ordini ejusque sequacibus impartiendis (quod maxime apparet in eis quæ de S. Brunone et ejus sociis quasi invitus retulit), ut non satis possint perpendi et æstimari quæ de Calnesio scripsit, quem cum virum Deo

ANNUS
1107

charum appellaverit affirmaveritque « eum laudabiliter in monachatu vixisse et obiisse », hinc nobis licet concludere eum fuisse monachum omnibus numeris perfectum. Præfatorum monachorum obitus in veteri Cartusiæ Necrologio, ubi dicuntur Monachi Sacerdotes, reperiuntur: Bertrandi ad 6 Cal. Aprilis, Rostandi ad 18 Cal. Maii, Lattardi ad 6 Idus Augusti, et Galterii ad 3 Idus Septembris. Plures quoque inter Conversos eminebant, ex quibus erant : Conamus 17 Cal. Februarii, Othdo 7 Idus Aprilis, Theotbaldus 17 Cal. Junii et Petrus 13 Cal. Decembris, defuncti incerto anno. Alter quoque cujus nomen latet omni virtutum generi addictissimus quidem, sed præsertim castimoniæ tam severus accuratusque custos, ut S. Godefridus Ambianensis episcopus (de quo plura suo loco) quandoque ad Cartusiam veniens, eum inter cæteros approbaverit et dilexerit.

JESU CHRISTI

ANNUS 1108.

Paschalis PP. II Ann. 9.	Ordinis Cartus. Ann. 25.	Joannis Pr. Cart. 1. Ann. 7.

I. REDEMPTORIS annus millesimus centesimus octavus inchoatur, Indictione prima, quo Calesiensis eremus in monte supra Vorapium, Delphinatus oppidum Gratianopoli duabus distans leucis, fundatur, in Abbatiam aliquot post annis erigenda. Primus ac præcipuus hujus cœnobii fundator merito agnoscendus est S. Hugo Gratianopolitanus, quem Honorius Papa hujus nominis II in quadam Bulla vocat ejusdem monasterii Institutorem. Hic quamdiu vixit, præter loci et totius juris quod in eo habebat donationem, Calesienses eremitas suis consiliis et facultatibus adjuvit, teste nostro Guigone in ejus Vita : « Calesiensis Abbatia, inquit, et alia (quæ ibidem enumerat) cœnobia ipso adnitente cœperant, ipso spiritualiter et corporaliter profecerant. » Calesiam vocat Abbatiam, quia cum hæc scribebat aliam vitæ formam eremitæ sibi constituerant. Primi namque hujus Domus incolæ vitam eremiticam, Cartusiensium adinstar, per aliquot annos duxisse variis autoritatibus et conjecturis probantur. In primis Domus documentis vocantur eremitæ, quo nomine Cartusienses tunc temporis designabantur ; vestem coloris albi nostræ similem in variis instrumentis gessisse dicuntur ; ecclesiam suam in honorem B. Virginis Mariæ, et S. Joannis Baptistæ, juxta Cartusiensium morem a S. Brunone acceptum, dedicari curaverunt. Sub suæ fundationis initium non Abbates sed

EREMUS CALESIENSIS FUNDATUR.

Ex Cartulario ejusdem Carth.

Vide an. 1124.

ANNUS 1108

Priores admiserunt, usque ad annum 1124 quo S. Hugo, cum Eremitarum Cartusiæ assensu ut par est credere, primum eis Abbatem constituit. Præterea per plures annos sui juris penitus non fuisse, sed ex præfatorum Cartusiæ monachorum arbitrio quodammodo pependisse, certissimæ autoritatis documenta nos edocent. Annos vix duodecim post suam in Calesium introductionem transegerant, cum a vicinis nobilibus exagitati locum deserere voluerint ; nec Guigoni Albonis comiti et Mathildi Reginæ ejus uxori, ut remanerent deprecantibus, assenserunt, nisi princeps ipse prius « iret Cartusiam », sunt verba instrumenti, « et sicut boni homines illi laudarent, isti (nempe Calesienses) facerent. » Accepto igitur « quod Cartusienses laudarent, » isti in loco perseveravere. Quinquaginta circiter ab hac commotione elapsis annis, eorum successores Cisterciense Institutum amplecti cogitantes, admonet Alexander III « ne præsumant occasione transeundi ad aliam Religionem, habitum deponere aut Ordinem, unde scandalum possit vel discordiam Fratribus Cartusiensibus suboriri, aliquatenus immutare. » Cum vero spreta Summi Pontificis admonitione, Bonivallenses Cisterciensis Ordinis in suum admisissent monasterium, Alexander tum Joannis Gratianopolitani tum ipsorum Cartusiensium efflagitatu, quibusdam Prælatis dat in mandatis « quatenus si reperiant Gratianopolitanum Episcopum absolute non suum præstitisse in hac parte consensum, sed cum ea conditione si Fratres Cartusienses super hoc consentirent, Abbatem et Fratres Bonævallis moneant, ut Fratres suos quos in præscripto monasterio posuerunt inde quantocyus non expectato judicio revocent, etc. » Ex his omnibus de quibus suis quibusque locis fusius agemus, patet Calesiense monasterium fuisse Cartusiensium directioni quodammodo subjectum.

NOMINA PRIMORUM MONACHORUM CALESIEN.

II. Primorum hujus eremi incolarum et qui vitam solitariam ibidem instituerunt nomina, digna quæ ab interitu vindicentur, hæc sunt; videlicet : Garinus, quem ex Prioris titulo quo inter alios gaudebat, velut totius piæ cohortis antesignanum merito debemus agnoscere ; Gaufredus qui post Gari-

num eumdem Eremum Prioris usus nomine rexit; Guillelmus, Eymeritus, Girbertus et Arveus. Hos sex a Cartusiæ Monachis ut inter eos reciperentur, precibus prius contendisse verisimile est; sed nullo forsan tunc loco vacante, postulatis exclusi Calesiense desertum, S. Hugonis, utpote proprii Antistitis, consilio et autoritate petierunt. Non unius solum Domini locus erat, cujus possessionem plures sibi variis nominibus vindicabant; imprimis præter Episcopum, Abbates S. Petri Viennensis et S. Theuderii, Sabaudiæ et Albonis Comites aliique nobiles, a quibus omnibus quodcumque jus ibi habebant sanctus Præsul novorum eremitarum nomine obtinuit. Et ne acceptorum beneficiorum ingrati videamur, præcipuos hic debemus benefactores recensere: Abbas S. Petri Viennensis quamdam decimam, hoc quem agimus anno, largitus est « ea conditione, si nostro Molino credimus, quod si mutarent Ordinem, donatio esset nulla. » Unde adhuc conjicimus eos cartusiense propositum tunc tenuisse. Stephanus S. Theuderii abbas Cartusiensium singularis benefactor quamdam terræ paginam dedit. Guigo filius Guigonis Crassi, Albonis comes, et Mathildis ejus uxor jam superius nominati terras, vineas, et rupes Calesiensi eremo vicinos concesserunt. Amedeus Sabaudiæ comes quasdam etiam terras et alpes similiter eorum donationi adjecit. Ayminus de Cornilione alias alpes, Odo de Voirone pascua gratis largiti sunt. Aymo Paganus, Ademarus Favo et plures alii parvo pretio viciniores terras dimiserunt.

ANNUS 1108

Histor. Ord. Cartus. ms.

JESU CHRISTI

ANNUS 1109.

Paschalis PP. II Ann. 10.	Ordinis Cartus. Ann. 26.	Joannis Pr. Cart. 1. Ann. 8.

JOANNES I CARTUSIÆ PRIOR MORITUR.

I. MILLESIMUS centesimus nonus Christi annus secunda incipit Indictione, quo Joannes hujus nominis primus, quartus vero in Ordine Prior Cartusiæ, decessit die 7 Octobris postquam octo annis religiose et laudabiliter eamdem Domum gubernarat. Quidam mortis illius tempus in annum sequentem differunt, sed noster calculus probatur ex Guigonis Catalogo, ubi post breve ejus elogium superius exscriptum, ita subdit : « Qui Prioratu annis octo prudenter administrato defunctus, Cartusiæ sepultus est. Colliguntur itaque, a primo Magistri Brunonis anno usque ad hujus ultimum, anni XXV qui ante obitum ejus (qui est Nonis Octobris) circa Nativitatem beati Joannis Baptistæ complentur. Tali quippe tempore a Magistro Brunone præfata cœpit eremus habitari. » Qua Guigonis computatione, cum his quæ superioribus annis dicta sunt comparata, Joannis obitus necessario hoc præsenti anno notandus est. Idem dies in Cartusiæ Calendario designatur.

Vid. sup. ad an. 1101.

GUIGO SUCCEDIT.

II. Qui Guigonis Catalogum continuavit, illum Joanni successisse sic declarat : « Joannem secutus est Guigo de Castro, Valentinensis episcopatus, cui Sancti Romani nomen est, claris de parentibus ortus ; » unde a plerisque cognominatus est de Castro. Qualis vero esset Guigo ex hoc ipso liquet, quod vix triennio in Ordine transacto, annosque na-

tus tantum viginti sex ad prioratum erectus fuerit, stupendo prorsus tali in juvene exemplo. Sed cum sanctitas et prudentia fierent ætatis supplementum, ad tale onus subeundum a S. Hugone episcopo ac fratribus Cartusiæ, non sine pia quadam vi, compulsum fuisse probabile est. At vero qui potuit esse Guigo superior, qui necdum erat sacerdos? His enim temporibus « nemo ante annum trigesimum in presbyterum consecrari » prohibebatur. Verum sicut actum vidimus erga S. Hugonem, quem Summi Pontificis Legatus sacerdotem et ipse Gregorius Papa episcopum consecrarunt, licet annis natum ad summum viginti septem; sic et sanctissimus Præsul erga Guigonem egisse credendus est. Ecclesia quippe necessitate exigente nonnullos ante trigesimum annum ordinari, etiam his temporibus permittebat. Quamobrem noster Guigo, in suis Consuetudinibus mentem S. Brunonis secutus, sancivit ut Monachi Priore orbati, « ex seipsis unum eligerent aut sacerdotem aut ad sacerdotium promovendum. » Quæ quidem Rifferius in Antiquis Statutis confirmavit, sed Guillelmus Raynaldi declaravit nullum posse in Priorem eligi, qui vigesimum quintum ætatis suæ annum non attigisset. Et hæc est ratio, cur juxta moderna Statuta eligendus debeat esse promotus ad sacerdotium, quia modo ad presbyteri Ordinem obtinendum 25 annorum ætas sufficit.

ANNUS 1109

Concil. Melfit. sub Urb. II.

V. sup. in Vit. S. Brunonis. ante sec.

Can. si annorum 5. dist. 78.

Stat. Guig. cap. 15.

Nov. Stat. p. 2. c. 2.

Nov. Collect. Stat. p. 2. c. 2.

A Baronio, Possevino et quibusdam aliis recentioribus, noster Guigo vocatur Guido, sed perperam: nam prior appellatio non solum in Cartusiæ documentis, sed apud omnes coævos scriptores reperitur. Præterea Baronius eum modo Priorem, modo Abbatem appellat, quamvis apud nullum autorem sic appellatum legerit. Imo in S. Hugonis Vita qua usus est Baronius, dicitur tantum Prior ab Innocentio Papa, nec alium titulum ipse Guigo sumpsit. Ejus quoque successores solo « Prioris Cartusiæ » nomine hactenus gloriati sunt; licet temporis successu Ministri Generales, respectu totius Ordinis cujus Cartusiæ Prior est caput, dici passi sint. S. Stephanus, quem vidimus suum Ordinem Calabrinorum monachorum ad instar instituisse, suis præcipit « ut

Abbas perperam dictus.

23

ANNUS 1109

Pastor nunquam Abbas sed tantum Prior nominetur. Prædicatores quoque qui multa etiam a nobis mutuati sunt, Abbatis quoque titulum rejecerunt. « Placuit enim, ut observat S. Antoninus, insinuandæ humilitatis gratia, ut qui toti præesset Ordini, non Abbas sed Magister Ordinis diceretur; cæteri vero inferiores præpositi Priorum vel Suppriorum vocabulo censerentur. » Id ipsum nostro exemplo æmulati sunt Guillielmitæ, Cœlestini, Carmelitæ et Eremitæ Augustiniani. Et revera Prioris vox modestius sonat, licet quoad dignitatem et autoritatem, eamdem ac alia sublimiora nomina habeat significationem. Unde non satis repudiari posse videtur quorumdam superiorum vanitas, qui sicut Christus Scribis et Pharisæis exprobrat, « amant salutationes in foro et vocari ab hominibus Rabbi, » gloriosos consectantes Prælatorum et Abbatum titulos. Hujusmodi homines et eorum adulatores condemnat etiam ipse Joannes Caramuel Ordinis Cisterciensis, Theologus aliunde non rigidior: « Non carpo, inquit, qui Abbates Prælatos nominant, quia revera tales sunt; carpo qui putant genus nobilius esse specie, et Prælatum nobiliorem Abbate »: Abbas quidem, Prælatus, et alia hujusmodi nomina absolute sumpta idem significant. Sed Dei benignitati et Superiorum Majorum zelo et vigilantiæ multum debemus, quod hujusmodi elatorum nominum affectatio ullius Nostrum animos nondum inflaverit; aut si ea quispiam aliquando usurpare tentaverit, quod statim velut umbra momentanea evanuerit. In his Annalibus quandoque videbimus a quibusdam Præsulibus, nostrum quidem Ordinem diligentibus, sed plus ejus inani honori quam solido profectu consulentibus, tentari ut Cartusiæ Prior Abbas diceretur; sed eo velut vere religioso non acquiescente totisque viribus reluctante, rem carere effectu.

Reg. Grandim. c. 61.

S. Anton. 3 p. hist. tit. 23. c. 4. § 3.

Haeften. disq. mon. lib. 3. tr. 6.

Matth. 23. 7.

Prior Cartus. dictus R. Pater.

Denique solus Cartusiæ Prior inter omnes Ordinis Priores, « Reverendi Patris » nomenclatione afficitur; qui titulus, etsi passim a primis Ordinis temporibus ei tributus legatur, fixus tamen non fuit ante annum 1360. Quamobrem in Guillelmi Rainaldi Statutis paulo post editis, prohibetur « ne

Priores adinvicem scribendo, scribant Reverendo, nisi (ut in margine apponitur) Reverendo Patri Cartusiæ. » Et quod mireris, nulla est differentia inter eum et alios Priores, imo et cæteros Monachos. « Sedes enim ejus (etiamnum) ubilibet, ut præcepit magnus Guigo, vel vestitus nulla dignitate vel pretiositate differt a cæteris, nec quicquam gestat unde quod sit Prior appareat. » Idem etiam victus ; cella ejusdem formæ, non amplior, non præclarior ; eadem prorsus supellex, ad statuendum cæteris Prioribus exemplum. Denique si in aliqua re præter dignitatem et dignitatis nomen differt, hæc una est, quod major sit ejus labor quam cæterorum ; ita ut merito sibi hæc divi Chrysostomi verba arrogare possit : « Fratres Christi similiter sumus, omnia sunt nobis communia. In quonam ergo exupero ? In curis, in laboribus, in sollicitudinibus, in eo quod pro vobis doleo. Sed nihil hoc dolore suavius. » Et post pauca : « Hæc omnia cogitate et manum porrigite ut sitis nostra gloriatio et nos vestra, in die Domini nostri Jesu Christi. »

ANNUS 1109

Consuetud. cap. 15. n. 4.

S. Chrysost. in Epist. ad Thessal. 2. in cap. 3. homil. 4.

JESU CHRISTI

ANNUS 1110.

Paschalis PP. II Ann. 11.	Ordinis Cart. Ann. 27.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 1.

GUIGO PRIOR CART. VICINAS RUPES DONO COMPARAT.

I. ANNUS agitur millesimus centesimus decimus, Indictione tertia, quo Guigo novus Cartusiæ Prior suorum tum præsentium tum futurorum quieti et utilitati studens, in id potissimum incubuit ut residuæ rupes, quæ in vastissima illa eremo continentur, suæ Domus juris essent. Eas igitur, agente et procurante S. Hugone, a propriis Dominis gratis obtinuit, ut ex instrumentis inde confectis apparet. Quidam Theotbertus de episcopatu Bellicensi, quamdam vallem usque ad Guerum mortuum « donavit Fratribus habitantibus in eremo Cartusiæ, Domno Hugone Gratianop. episcopo petente et rogante atque confirmante. Hæc autem donatio facta est eo tempore quo bellum erat inter milites de Minueto et milites de Balma, regnante Domino nostro Jesu Christo et præsidente in Urbe Roma Domino Papa Paschali. » Duo alii nobiles, Boso nomine, « Guigoni Priori Cartusiæ dederunt duo nemora cum arboribus, rupibus et præterfluentibus aquis, et omni jure quod in eis terris habebant. »

Ex Arch. Cart.

GUIGO COMES ERGA CALESIEN. BENEFICUS.

II. Non Cartusiensibus solum, sed aliis suæ diœcesis Monachis multa bona suis curis S. Hugo conciliavit ; imprimis Calesiensibus eremitis, quos præter Cartusienses sua fovebat dilectione. His igitur hoc anno plures terras eorum eremo vicinas a Guigone comite dari curavit, ut ex sequenti diplomate colligere est :

« Ego Guigo comes et uxor mea Regina nomine Mathildis donamus Domino Deo et Beatæ Mariæ de monte Calesio, et Fratribus ibidem Deo servientibus et successoribus eorum in perpetuum, terras quæ sunt in circuitu prædictæ ecclesiæ........ Ut prædicti Fratres serviant in prædicto loco et successores eorum Deo Patri, Filioque ejus et Spiritui Sancto pro animabus nostris et parentum nostrorum et omnium fidelium Christianorum : et quisquis prædictos Fratres inquietaverit vel ad eos ascenderit (nisi pro salute animæ suæ vel utilitate prædictorum Fratrum) aut de sylva quam eis donamus contra voluntatem illorum acceperit, iram nostram habebit et insuper quindecim solidos propter fractionem banni nostri persolvet nobis. Qui hanc donationem nostram fideliter tenuerit, benedictionem a Domino consequetur. Qui autem donationem nostram inquietaverit, a Deo Patre Filioque ejus et Spiritu Sancto, et ab omnibus fidelibus Episcopis ac sacerdotibus excommunicetur nisi resipuerit, et cum Juda traditore in Inferno locum accipiet. Facta est hæc Charta, XX Kal. Novemb. anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo decimo, anno Pontificatus Domini Hugonis episcopi Gratianopolitani trigesimo. Signum Guigonis comitis qui hanc donationem fecit. Signum Mathildis Reginæ, quæ hanc donationem fieri jussit et laudavit. Signum Odolrici magistri, signum Stephani Romani, signum Gavini Prioris, signum Bernardi, signum Petri Randani. Hanc donationem, quam fecerunt Guigo comes et Mathildis Regina uxor sua, donaverunt, etc., laudaverunt similiter filii eorum Guigo Dalfienus et Humbertus. Amatus scripsit. »

ANNUS
1110

Vide sup.

Hic Guigo filius erat Guigonis Crassi jam ante aliquot annos defuncti, quo vivente, ut alibi vidimus, Vetus cognominabatur ut discerneretur a suo filio qui Dalfienus postea vocatus est, a quo Delphinorum nomen successores ejus retinuerunt. Alter Guigonis Veteris filius in eisdem literis nominatus Humbertus, videlicet ecclesiasticam professionem amplexus, primum fuit Canonicus Viennensis, deinde episcopus Aniciensis ac tandem Viennensis archiepiscopus, ut alibi data

V. sup. ad an. 1102. et infra ad an. 1147.

ANNUS
1110

occasione probabimus. Præterea ex die quo datæ sunt præfatæ literæ, discimus S. Hugonem possessionem sui episcopatus accepisse tantum sub finem anni 1080, ut jam alibi annotavimus et adhuc probabitur ex his quæ jamjam subjicimus.

S. HUGONIS LIBERALITAS.

Cart. 2 Eccl. Gratian. et ms. v. cl. Chorier.

III. Paulo post S. Hugo suam liberalitatem aliis Monachis exhibuit. Rogatus namque a suæ Ecclesiæ Canonicis, Bosoni S. Mariæ Crudatensis abbati tres ecclesias concessit, sed ea conditione, ut idem Abbas Hugoni et successoribus ejus definiret ecclesias de Pollinaco ; quas cum quidam Prior de Moirenco, nomine Ardencus, simoniace acquisivisset, tamdiu calumniam super eum beatus Episcopus, ut Deum solum præ oculis habens, Priorem excommunicaverit et ab Ecclesia expulerit, donec sponte peccatum suum cognoscendo, in manu Hugonis prædictas ecclesias dimitteret. « Facta est hæc donatio de tribus prædictis ecclesiis, et definitio de ecclesiis de Pollinaco, IV Non. Novembris, anno Incarn. Dom. MCX, anno Pontificatus Domini Hugonis episcopi XXX. Signum Rostagni, s. Guigonis de Lans, s. Odolrici, s. Guigonis Decani, s. Fulconis Canonicorum Gratianopol. Ecclesiæ, etc. »

Ad similem restitutionem faciendam cogit Hugo Milonem Montis Majoris monachum, qui quamdam ecclesiam simoniace adeptus fuerat. Censuras quoque ecclesiasticas in laicos ecclesias, decimas, cœmeteria et alia Ecclesiæ bona injuste possidentes, ut diximus, intentaverat. Unde multi nobiles justo moti scrupulo, quocumque jure hujusmodi fruerentur bonis, ea S. Præsulis voluntati permittebant. « Ex eis fuit Chatbertus de Mauristello, qui apud castrum Cornilionem in ultima positus infirmitate, guerpivit omnes decimas quas habebat in episcopatu Gratianop. sive in alio, et omnes ecclesias, et omnia cimiteria, et cimiterium S. Martini de Miserego in manu episcopi Hugonis, sicut melius intellexit prædictus Episcopus ad utilitatem suam et omnium successorum suorum. Datæ sunt literæ hoc anno, XVI Cal. Junias. »

Hæc cum nostri Guigonis verbis consentiunt scribentis in ejus Vita, et ut grave crimen exaggerantis, quod laici ecclesias, oblationes, decimas et cœmeteria possiderent.

JESU CHRISTI

ANNUS IIII.

Paschalis PP. II Ann. 12.	Ord. Cartus. Ann. 28.	Guigonis Pr. Cart. I. Ann. 2.

I. HOC anno, nempe millesimo centesimo undecimo, Indictione quarta, idem S. Hugo quædam bona tum suæ Ecclesiæ Cathedralis tum Præpositurae S. Donati olim distracta et a nobilibus occupata, iterum per viam sive emptionis sive donationis, aut etiam restitutionis recuperavit. Extant super his in Gratianopolitanæ Ecclesiæ Cartulario varia Instrumenta hoc anno data, inter quæ reperiuntur literæ Rainaldi de Lanz, Excubiarum cartusiæ fundatoris futuri, quibus donat S. Hugoni coram Desiderio de Cassenatico et Guillelmo de Viniaco, decimas quas habet in Parochia de Lanz et alibi in toto isto episcopatu. Sed ante illum ejus pater, dictus etiam Rainaldus, earumdem decimarum partem restituerat « tali convenientia, ut filius ejus Guigo Canonicus habeat prædictam decimam ad feudum per manum episcopi Hugonis in vita sua. » Idem B. Præsul tertiam partem decimarum S. Laurentii de Croses receptam, Nantelmo clerico jure fiduciario quamdiu viveret possidendam tradidit, « retento annuo censu V solidorum, et de parata XII denariis. Et ipse Nantelmus hominium fecit Domino episcopo quando decimas ab eo accepit, et fidelitatem super altare S. Georgii juravit quando ei prædictam Ecclesiam commendavit, anno Pontificatus Domini Hugonis XXXI, anno Incarnat. MCXI, » exeunte ut conjicere est ex ejus Pontificatus anno. Non ita prompta facilisque fuit bonorum a

S. HUGO BONA SUÆ ECCLESIÆ RECUPERAT.

Ex 2 Cartul. Eccl. Gratian.

Ex 3 Cartul. ejusd. Eccles.

ANNUS IIII

Chorier in Hist. Delphin. tom. 2. lib. 1.

Guigone comite detentorum recuperatio. Hic enim rem volens armis decernere, non solum quæ dicebat sua, sed omnes Hugonis terras et possessiones vi occupavit. Ille sumpto Ecclesiæ gladio spirituali, Comitem excommunicationis fulmine semel iterumque percussit; sed omni facultate temporali spoliatus, annonam apud Cartusiam a charissimis suis filiis quærere non recusavit. Sed audiamus nostrum Guigonem in ejus Vita his verbis ista perstringentem :

Idem veritatis studiosissimus.

« Veracem eum (Hugonem videlicet) in suis fuisse sermonibus, quo certius quam inimici testimonio probare poterimus ? Guigo comes ad ea quæ mundi sunt homo satis idoneus, circa eumdem etiam Dei famulum tranquillitatis tempore valde devotus, invictissime pro justitia resistenti molestias non parvas nec paucas intulit. Bis namque, ut multa taceamus, ab eo pro suis excommunicatus excessibus, bis eum episcopalibus expulsit domibus. Itaque cum grande placitum inter eos haberetur in præsentia Guidonis Viennensis archiepiscopi, qui postea Papa Calixtus effectus est ; et vir Dei juxta illud quod scriptum est : justus quasi leo confidens absque terrore erit, justitiam adversus Comitem aperta contradictione defenderet, indignans ille atque iracundiæ facibus inflammatus paratusque, sicut apparuit, quidquid potuisset objicere, quasi pro gravi crimine intulit dicens : Audivi aliquando a vobis ego, quod verum non erat, dici. Ad hæc S. Episcopus coram cunctis qui aderant (aderant autem diversi Ordinis non pauci) interrogavit, utrum se scienter audisset mentitum. Tunc ille tanquam furore repletus, veritatis pondere pressus, eum se respondit scienter nullatenus audisse mentitum. Ex veriloquio ipsius, hoc unum hostis et irati sufficiat testimonium. » Hæc noster Guigo qui tempora quidem non designat, sed hujusmodi inimicitias inter utrumque, Episcopum dico et Principem, denuo suscitatas fuisse sui Prioratus tempore satis innuit cum subjungit :

Comitem excommunicans bis ab eo sede expellitur.

Moratur Lugduni et in Cartusia.

« Et quamquam digressionis forsan arguamur, quia tamen per Comitem beati Viri patuit veritas, per eumdem monstretur consequenter etiam charitas. Infestissimus, ut dictum est,

erat ei; adeo ut non suis in domibus, sed aut nobiscum aut Lugduni demoraretur. Ejus quippe civitatis Ecclesia magnam illi reverentiam magnumque in suis tribulationibus præsidium semper exhibuit, ejusque consiliis in gravioribus uti negotiis pergratum habuit. Cum ergo die quadam de Comite pariter loqueremur, ait ipse bonam se de salute ipsius spem gerere nec assecuturum Dei misericordiam desperare, quia nunquam delectabilius ac ferventius quam pro eo solitus fuisset orare. Miranda charitas, sed et stupenda non minus humilitas! Quid enim charitate plenius quidve apud homines singularius, quam orare non segnius pro persequente quam pro obsequente? Quid autem humilius quam hanc ipsam devotionem non ad sua, sed ad ipsius referre merita, non quæ jam esse sciret sed quæ futura speraret? » ANNUS IIII

Denique Comes B. Hugonis precibus et patientia devictus, cognita culpa depositisque odiis, in Ecclesiæ suique Præsulis gratiam rediit; factaque tum Episcopi tum Comitis possessionum divisione, pax inter utrumque coita ad mortem perseveravit, ut colligere est ex verbis S. Hugonis in longa ejusdem dissidii narratione, ubi inter cætera sic de illius sedatione loquitur : « Proclamationem fecerunt homines Episcopi et episcopus Hugo, Guigoni comiti filio Guigonis Crassi. Tandem acceperunt consilium episcopus Hugo et comes Guigo ut condaminæ dividerentur : misitque Episcopus homines suos pro divisione condaminarum. Misit autem Guigonem Conversum, et Willelmum Letardum cellerarium suum, et Adonem de Bocoiron ministralem suum. Et Comes misit homines suos, scilicet Joannem de Podio, et Benedictum botelarium sive militem suum, et Petrum Chalnesium ministralem suum. Et fecerunt Guigoni Converso imprimis dividere duas condaminas, etc. Postea Episcopus et Comes istam divisionem firmiter tenuerunt. » Ipse vero Comes, tum Mathildis Reginæ uxoris suæ et Adalaidæ suæ sororis exemplis et suasionibus, ut in quibusdam chartis legitur, multa bona variis ecclesiis cœpit conferre. Id ex variis Cartulariis probatu facile est, si hæc ad nostras res pertinerent.

Reconciliatur Comiti.

Ex eodem Cartul.

Ex Cartular. Prioratus de Domina.

24

JESU CHRISTI

ANNUS 1112.

Paschalis PP. II Ann. 13.	Ordinis Cartus. Ann. 29.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 3.

CELEBRATUR CONCILIUM VIENNENSE.

I. SEQUITUR annus Redemptoris millesimus centesimus duodecimus, Indictione quinta, quo celebrari contigit decimo septimo Calendas Octobris Viennense Concilium contra Henricum imperatorem, in quem nominatim et solemniter anathematis sententiam Patres injecerunt, suadente et eos ad id audacter exequendum hortante beato nostro Hugone episcopo, ut testatur in Vita ejusdem Sancti Guigo Cartusiæ Prior, qui ejusdem cogendi concilii causam aperiens, hoc ait, Summum Pontificem Innocentium Secundum alloquens : « Nam et ante annos aliquot (id est ante Concilium Aniciense conventum anno 1130) cum Henricus imperator Papam Paschalem, cum clericis et parte civium in ecclesia S. Petri nefanda proditione cepisset, et eorum qui secum erant capti, pietate victum, ad illicita pacta coëgisset, ipse (Hugo) præ cunctis, ut apud Viennam excommunicaretur effecit. Qua excommunicatione Ecclesiæ suæ Domino roborante sententiam, tyranni illius in contrarium est mutata prosperitas et imperiali dignitate privata posteritas. » Nam revera idem Henricus obiit anno 1125, nulla relicta prole mascula quæ ipsi succederet.

Henricus imperator excommunicatur instigante S. Hugone.

Eidem Concilio adfuit et pro Guidone archiepiscopo præfuit alter Sanctus, Godefridus videlicet Ambianensis episcopus, ut legitur in ejus Vita; qui audita ibidem a S. Hugone et aliis sanctitatis fama nostrorum Cartusiensium, in eorum

Baron. ad an. 1125.

venerationem et amorem raptus, idem vitæ asperæ genus, vir austerus, quantocyus apud ipsam Cartusiam sectari animo decrevit; idque adimplere tentavit paulo post reditum ad suam Ecclesiam, ut mox narrabimus.

ANNUS
1112

S. Godefridus Ambian. Episcop. præest Concilio.

II. Circa idem tempus « Guitfredus de Bellomonte filius Guigonis, et Guitfredus avunculus ejus cum filiis suis Guitfredo et Berlione, nec non et Guigo hujus Guitfredi nepos, illius autem prioris frater cum uxore et filiis suis donaverunt Fratribus in eremo Cartusiæ habitantibus, quantum ad eos pertinebat, quamdam alpem intra terminos ejusdem deserti sitam, pro remedio animarum suarum, et ut possint evadere pœnas æternæ gehennæ et adipisci gaudia æternæ gloriæ. Hoc factum est Domino Hugone Gratianop. episcopo præsente, laudante, corroborante. Signum Folcherii Canonici et Bernardi Decani. »

GUITFREDUS DE BELLOMONTE BENEFACTOR CARTUS.

Ex Arch. Maj. Cart.

JESU CHRISTI

ANNUS 1113.

Paschalis PP. II Ann. 14.	Ordinis Cartus. Ann. 30.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 4.

LANUINUS PERGIT AD PAPAM.

I. MILLESIMUS centesimus decimus tertius annus incipit, Indictione sexta, quo Paschalis Papa pergens Benevetum, ibi mense Februario Synodum celebravit, in qua cum Quæstiones Provinciales et alia judicialia definiverit, ideo ibidem Lanuinus Magister sive Prior eremi S. Brunonis adfuisse creditur, conquesturus de illatis a quibusdam suo monasterio injuriis. A Paschali bene exceptus facultatem obtinuit, ut Episcopo diœcesano renuente, post debitas monitiones omnes aut monachis aut monasterii bonis molestiam inferentes, anathemate ipse percutiat. Cui propterea Summus Pontifex sequentes dedit literas, quarum notitiam debemus nostro Constantio.

Ab eo obtinet Bullam contra molestantes.

« Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo Fratri Lanuino Magistro Eremi, salutem et Apostolicam Benedictionem. Peccatis nostris exigentibus ad tempora devenimus, ut mala quælibet jam quasi ex licentia committantur ; undique iniquitates insurgunt, et persecutiones interius et exterius oriuntur. Laici Ecclesiarum bona diripiunt, et in ipsas ecclesias manus extendere non verentur. Quibus nos in Pastorum speculam constituti obviare compellimur, et tantis sacrilegiis et rapinis novum cogimur remedium adhibere. Si quis igitur laicus ea quæ ad eremum vestram cujuscumque dono pertinere noscuntur, rapere vel invadere, vel in personas ecclesiasticas temerario ausu manus injicere præsumpse-

rit, ad satisfactionem canonice moneatur. Quod si secundo tertiove commonitus satisfacere contempserit, nec per Episcopum de cujus parochia fuerit justitiam obtinere poteris : Nos tibi ex Apostolicæ Sedis autoritate potestatem conferimus, interdictionis et excommunicationis sententiam in eum donec satisfaciat, secundum qualitatem et quantitatem criminis, proferendi. Tibi etiam quia multorum anachoretarum Pater et Magister per Dei gratiam constitutus es, paternæ magisterium disciplinæ concedimus, videlicet ut anachoretas doceas et benedicas. Et si quis de longinquis forte advenerit, probato spiritu, secundum quod dicit Apostolus, si ex Deo est, suscipiendi ac benedicendi eos habeas potestatem. Data Beneventi, decimo Calendas Martii, Indictione sexta. »

ANNUS 1113

Certe multum considerandum est, inquit Constantius in Notis ad præfatas literas, quod Summus Pontifex in hoc privilegio Lanuinum appellet *Fratrem,* quem in aliis privilegiis semper nominavit Filium. Cur vero hac Fratris appellatione, qua solum utuntur Papæ ad Episcopos scribentes, Lanuinum Paschalis cohonestaverit ? Hanc reddit rationem Constantius, quia Summus Pontifex edoctus atque ejus probitatem et sufficientiam expertus, eidem tanquam Confratri Ecclesiæ tribulationes et persecutiones communicabat.

Paschalis Lanuinum fratrem, non filium appellat in suis literis.

II. Hic etiam annus beati Bernardi conversionem a seculo ad Cistercienses, Ecclesiæ Dei fuit memorabilis : cum ipse doctrina, vitæ exemplo, sanctorum fœcunda sobole Ecclesiam magnopere illustraverit. Quantum vero Cartusienses ipse Sanctus veneratus fuerit et dilexerit, diversis locis postea occurret dicendum.

S. BERNARDUS CISTERCIENS. HABITUM INDUIT.

In ejus Vita lib. I. c. 4.

JESU CHRISTI

ANNUS 1114.

Paschalis PP. II	Ordinis Cartus.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 15.	Ann. 31.	Ann. 5.

S. GODEFRIDUS EP. AMBIAN. IN CARTUSIAM SE RECIPIT.

I. MILLESIMUS centesimus decimus quartus annus, Indictione septima, incipit, quo S. Godefridus Ambianensis episcopus vitæ tranquillioris et severioris accensus desiderio, ad Magnam Cartusiam aufugit quasi furtive suo se Clero subripiens. Rei seriem Nicolaus Suessionensis monachus sic enarrat apud Surium : « Perpendens vir prudens Godefridus, quam molestum atque adeo intolerabile sit tot secularium tumultuum perferre tempestates, ubi comperit præclaram servorum Dei famam, qui in Cartusia non longe a Gratianopoli degebant, relictis omnibus, illo igne quem Dominus Jesus misit in terram suaviter ardens, eo celeriter profectus est ut quietius uni Deo vacaret. Præerat tunc Cartusiæ Guigo, vir egregie doctus et vitæ integritate conspicuus, omnium ore prædicandus. Is ut vidit vultus angelici et simplicis naturæ virum, gratias immensas agit Christo, statimque illum sanctissimo Fratrum collegio adjunxisset, ni veritus esset Romanum Pontificem, Remorum Archiepiscopum, aliosque Galliarum Præsules minime passuros ut illic permaneret. Interim tamen cellulam ei attribuit. Separatim enim degunt singuli in domiciliis quæ cellas vocant ; ad ecclesiam certis horis pariter conveniunt, inde taciti redeunt ad cellas suas ; ad nudam carnem asperis induuntur ciliciis ; quarta et sexta feriis pane et aqua victitant ; divinæ contemplationi adeo adhærent, ut

Surius in vita S. Godefr. lib. 3. cap. 8. ad 8 novemb.

jure possint dicere cum Apostolo : nostra autem conversatio in cœlis est, illorumque precibus et Sanctorum meritis mundus constare videatur. Sed de eorum excellenti meritoque ab omnibus prædicanda conversatione, aliis plura dicenda relinquimus, atque ad institutum redimus. Servus Christi Godefridus hac re summopere delectatus, quod imperturbata animi puritate et tranquillitate frueretur, licet etiam in illa populi frequentia et importunitate animo ad cœlestia contemplanda se erexisset, postquam optatæ solitudinis locum divinitus se adeptum vidit, jejuniis, precibus, lacrymis, sacris meditationibus, divinis lectionibus adeo fervens incumbebat, ut quamvis a primis ætatis initiis, ut diximus, in his assiduus fuerit, jam tamen primum Deo se servire cœpisse mirifice gratularetur. Sordebant terrena viro, subit æthera votis, cum Propheta plorat nimis prolongari incolatum suum. Cum autem quandoque venerandus Pater Guigo cellulas monachorum pia sollicitudine inviseret, etiam ad beatum Godefridum pervenit, invenitque eum nescio quæ divina scripta legentem et uberes fundentem lacrymas, seque hostiam vivam Christo Salvatori mira suavitate in cordis ara immolantem. Valde autem ejus amore incensus, et nosse cupiens utrum posset æquo animo ferre injurias, ita ait ad eum : Solebasne, Episcope, pro sacris Ordinibus aurum et argentum, et id genus munuscula recipere ? Multi enim per id tempus hoc vitio, proh dolor ! infecti erant, ut vix cuiquam sine pretio sacros Ordines conferrent. Respondit cum multo gemitu Episcopus : Equidem, Pater beatissime, non nummos expetebam ab aliquo, sed vel invitus sæpe humani favoris aura inani afficiebar. Id audiens Guigo miratur eum minime se palpare, sed humiliter accusare etiam extrema quæque. »

ANNUS 1114

Ex quibus licet admirari in S. Godefrido columbinam simplicitatem, et in nostro Guigone serpentis prudentiam. Quamvis enim cunctationis ejus causam in recipiendo ad Ordinis habitum sancto Præsule, metum Romani Pontificis et aliorum Principum ecclesiasticorum fuisse dicat præfatus autor ; præcipuæ tamen causæ cardo verti videbatur, quod optime

ANNUS 1114

nosset Guigo non debere nec posse sanctum Godefridum episcopatum deserere, nisi cum Romani Pontificis licentia; alioquin in Canones et apostolica decreta offendisset, quod etiam ipsi postmodum a Legati illum repetentibus fuisset objectum.

DE EJUS ABSENTIA CLERUS CONQUERITUR APUD CONCIL. BELLOV.

Ubi sup. cap. 9.

II. « Interim Conon cardinalis Pontificis Maximi Legatus, et Radulphus Remensis archiepiscopus apud Bellovacum celebrant Synodum, et ad eam accedunt Ambianensium Legati, conqueruntur se destitutos optimo Pastore suo. Ad quos Remensis Archiepiscopus : Qua fronte, inquit, hæc apud nos proponere ausi estis, qui virum pudicum, orthodoxum, virtutibus cunctis ornatum vestra improbitate a sede sua expulistis ? Quem illi parem, nedum sanctiorem unquam habituri estis sacerdotem ? O vos miseros qui tanto Pastore vel ad momentum caruistis ! Num vos illum turpia lucra sectantem, libidini vacantem, ecclesiastica beneficia venundantem unquam deprehendistis ? Illis respondentibus ab his illum plane immunem esse, subjecit Archiepiscopus : Ite ergo et tam peritum ovilis dominici custodem perquirite, et inventum vobiscum adducite. Testor enim Dominum Jesum, donec ullus erit in Godefrido vitalis spiritus, nullum alium vos Episcopum habituros.

Causam sui secessus Patribus significat.

« Dum hæc geruntur, en adsunt nuntii apportantes literas beati Godefridi, quibus ille significat se episcopatu abdicasse ; hortatur ut alium Patrem sibi quærant, se nunquam rediturum affirmat ; ostendit se ineptum et inidoneum qui Episcopi munere fungatur ; se quidem verbis docuisse subditos suos, sed mala vita corrupisse et perdidisse. Quæ cum legerentur, pene omnes lacrymati sunt, admirantes tanti viri humilitatem, qui cum esset meritis summus, inter omnes minimos se abjicere videretur. Sane cum interdum de his quidam Reverendissimi Patres, qui tum præsentes affuere, inter se colloquerentur, vidi eos lacrymas tenere non posse, adeo illorum animis affixa est epistola illa, in qua tantum se vir tantus extenuavit. Tandem statuunt Patres apud Suessiones ad Domini Epiphaniam convenire, et quid faciendum sit deliberare. » Sed de his dicemus anno sequenti.

ANNUS
1114

LANUINUS NOVUM CONSTRUIT MONASTERIUM.

III. Quod pertinet ad res Cartusienses in Calabria, hoc anno Lanuinus, cum juxta licentiam anno elapso a Paschali obtentam, multos non solum e gentibus, sed etiam « ex longinquis partibus, » ut loquuntur Pontificiæ bullæ, ad vitam eremiticam recepisset; cernens quosdam ex eis minus ad eam aptos, decrevit aliud monasterium constituere in quo saltem cœnobitice conversarentur. Id ille sapienter excogitavit; cum enim juxta Regulam a sancto Patriarcha, non scriptis sed viva voce traditam, Novitius ea tantum conditione inter nos reciperetur, « ut si forte nostrum nequiret aut nollet tolerare propositum, ad seculum nequaquam rediret, sed aliquod potius aliud Religionis genus, quod ferre posset, acciperet » ; sic honori et saluti consulebatur egredientis Novitii qui ex Eremo statim ad cœnobium transmeare poterat. Utriusque monasterii curam Magister Eremi habebat; et qui cœnobitis præerat, sub nomine Præpositi vel Decani vel etiam Prioris, eidem Magistro tanquam supremo Priori morem gerebat, juxta Summi Pontificis Paschalis decretum, a quo sequentes literas Lanuinus in hunc finem obtinuit:

Statut. Guigonis, cap. 22.

Sub cura Magistri Eremi.

« Paschalis Ep. Servus servorum Dei, dilecto filio Lanuino salut. et Apostolic. Benedict. Quoties a fratribus nostris illud exigitur quod Sanctorum Patrum Regulis consonat, dignum est ut eorum petitiones libentius audiantur. Ex igitur præsenti autoritate ecclesiam illam juris Eremi, quæ apud Squillatium sita est, monasterium constitue: ut Fratres austeritatem Eremi ferre non valentes, juxta beati Benedicti Regulam illic possint omnipotenti Deo deservire. Quam nimirum habitationem per Præpositum et Decanum gubernari disponique præcipimus ; sic tamen ut Eremi Præpositus semper præferatur et ut major habeatur, et sicut idem monasterium Eremi dispositioni ejus subjaceat. Item ejusdem loci Præpositus et Decanus subjiciatur Magistro Eremi. Data Laterani, sexto Calendas Februarii. »

Jam alibi vidimus duo extitisse monasteria Sancti Brunonis tempore: unum B. Mariæ dicatum ubi ipse morabatur ; aliud non multum a priori dissitum in ejusdem B. Mariæ et

ANNUS 1114

S. Stephani honorem ædificatum, in quo cum omnibus Conversis quidam etiam Monachi, sive minus ferventes sive potius infirmi facti degebant, quorum ipse Lanuinus erat Prior. Sed omnes usque ad præsentem annum eremitice vixerant, quasi unum tantum conventum componentes, ut constare videtur ex Epistola encyclica post S. Brunonis mortem ad ejus amicos missa, in qua unius tantum monasterii memoriam faciunt, cum se inscribant : « Humiles Eremitæ Calabriæ monasterii Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. » Et in plerisque literis a Paschali II Lanuino datis, quas suis locis superius excripsimus, ipse Papa Lanuinum vocat « Eremitarum Præpositum, et multorum Anachoretarum Patrem et Magistrum ». Nec loquitur nisi de uno tantum monasterio. « Pacem, inquit, et concordiam Eremi reformatam cognovimus. » Et ad omnes scribens : « Lanuino et cæteris Fratribus Domni Brunonis Eremum habitantibus salutem. » Et ad ipsum Magistrum Eremi : « Fratres tuos Eremi cohabitatores salutamus. » Sicque eremitæ dicti sunt et perstiterunt, donec tandem præsenti anno aliud tertium erigeretur monasterium pro cœnobitis apud Squillacium, ut in supra scriptis literis dicitur. Illud noster Constantius idem esse putat cum Cella Mentauri, sive Metauri vel Metabri, quæ tribus milliaribus ab urbe Squillacio distat, dicata olim S. Jacobo, cujus sola ecclesia stabat, eo tempore quo scribebat Constantius, sub nomine S. Annæ, « sed quando, inquit, quomodo et a quibus hæc nominis mutatio facta fuerit, ignoro. »

IN HOC CŒNOBIO RECENS CONSTRUCTO, NOVITII INSTITUEBANTUR.

IV. Nec solum in hoc novo cœnobio degebant qui vitæ eremiticæ asperitatem sustinere non poterant, sed ibidem omnes Novitii postea educabantur, et quos Magister Eremi, sive S. Stephani monasterii, aptos contemplationi judicabat, secum in eremum ducebat, ut ex aliis literis a Paschali concessis colligimus, quæ sunt sequentis tenoris :

« Paschalis Ep. etc, dilectis filiis Lanuino Priori et cæteris Fratribus salutem et Apostolicam Benedict. Non facile est ad eremiticam vitam repente conscendere ; unde opportunum est ut Fratres qui convertuntur a seculo, primum in Metauri

Cella probentur, et quos infirmitas gravior vel senectus deprimit, ibidem si voluerint requiescant : ibi etiam monastice conversentur qui non potuerint ad Eremum transmeare. Præcipimus ergo ut nemini liceat Cellam ipsam ab Eremi unitate dividere, sed semper in Prioris Eremi dispositione permaneat. Si quis autem contraire tentaverit, divinæ indignationis ultione plectatur. Datum Laterani, 2 Idus Martii. » ANNUS 1114

Paulo post sub regimine Lamberti qui fuit Lanuini successor, remanente Præposito cum paucis Monachis in præfata Metauri Cella, monasterium S. Stephani cœnobitis destinatum fuit ; Eremus vero S. Mariæ solis anachoretis. Quibus et cœnobitis Regulas scripsit idem Lambertus, ut suo loco dicemus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1115.

Paschalis PP. II	Ordinis Cartus.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 16.	Ann. 32.	Ann. 6.

AGITUR DE REVOCANDO E CARTUSIA S. GODEFRIDO.

Legati propterea illuc missi.

Vita S. God. lib. 3. cap. 10.

I. ANNUS sequitur millesimus centesimus decimus quintus, Indictione octava notatus, quo apud Suessiones a Conone Sedis Apostolicæ Legato, Concilium die Epiphaniæ convocatur; ubi inter alias causas actitatas, quid pro revocando e Cartusia S. Godefrido ad Ambianensem episcopatum factum sit, audiamus a Nicolao monacho ejus vitæ scriptore.

« Ubi eo ventum est, jubente Ludovico Francorum Rege, accitus est Henricus abbas S. Quintini, in quo monasterio vir Dei Godefridus ab ipsis pene cunabulis sobrie et pie educatus, ad summum virtutis apicem pertigerat; vocatus est etiam Hubertus magnæ autoritatis vir, et celeberrimi monasterii quod Cluniacum vocatur monachus. Hos duos cum suis literis mittunt ad Fratres Cartusiæ, orant, imo imperant, ne Godefridum Ambianorum Præsulem apud se diutius morari sinant, sed ad sedem suam ocyus redire compellant. Addunt mandata ad ipsum Godefridum ut celerrime ad desolatum gregem suum se recipiat. Ostendunt non debuisse illum semel susceptam Ecclesiam tam facile deserere. Plus enim apud Dominum demereri dum sinit per abrupta vitiorum præcipites ire oves suas, quam possit promereri dum privatim in quantumvis remota solitudine vivit etiam severissime. Tum quoque docent sacros vetare Canones, ne quis Episcopo viventi subrogetur, nisi vel infirmitate cogente id ipse petat,

vel ob crimen deponendus sit. Hæc ubi Godefridus accepit, animo valde consternatus ad pedes monachorum se prostravit, cum multis lacrymis orans ne sinerent ipsum a se evelli; flent pariter etiam illi. Attamen multis eum consolantur modis, et quia Regiæ et Episcoporum autoritati resistere non poterant, in pace illum a se dimittunt. » Et inferius : ANNUS 1115

« Porro cum beatus Godefridus a Cartusia non tam sponte sua quam vi prope modum abactus esset, exiens crebro ad eam reflectebat oculos lacrymis madentes, se miserum et infelicem summo animi dolore proclamans, cui in illo angelico contubernio non licuerit usque ad supremum vitæ diem permanere, et soli Deo divinæque contemplationi vacare. Fuit autem in Cartusia a sacris feriis beati Nicolai episcopi quæ aguntur octavo Idus Decembris, usque ad Quadragesimæ initium, admodum interim exultans in Domino quod a terrenis curis absolutus optata quiete frueretur: multa illic reliquit virtutis et sanctitatis exempla, ut hodieque de illo inter se crebro conferunt. Profectus inde venit ad Remorum urbem, ubi tum Cono Cardinalis et Legatus frequentissimam Synodum habebat. Adduxit autem eum in Synodum Radulphus Remorum archiepiscopus, jejuniis, vigiliis aliisque sanctis exercitiis adeo extenuatum et confectum, ut vix pedibus consistere posset. Quem ut viderunt Patres, valde mirabantur adeo illum se Mundo, sibi Mundum crucifixisse, ut nec Mundum ipse diligere nec Mundus illum amare posse videretur. Duriuscule eum tum appellavit Cono Legatus, quod injunctum munus reliquisset. Deinde admonuit ut propriæ utilitati multorum salutem anteponens, ad Ambianos rediret et suo officio fungeretur, rectius sibi consulturus si non sua unius salute contentus, plurimos Christo lucrificare conaretur, et tandem a Christo audire mereretur : Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Cum non posset vir Dei illius aliorumque Episcoporum autoritati obluctari, ad suam redit Ecclesiam et ab omnibus cupidissime

Ubi sup. cap. 11.

ANNUS 1115

Guib. lib. 2. Vitæ suæ cap. 2. et lib. 3. cap. 13.

Hugo mon. ad Pont. Abb. in Biblioth. Cluniac.

excipitur. » Hactenus acta S. Godefridi. Hoc et quædam alia ab eo sanctissime facta, Guibertus de Novigento ejus in Abbatiæ regimine successor, nescio quo impulsus spiritu pessimam in partem detorquens, tantum Præsulem « decus Pontificum, doctrina præclarum, sanctitate perspicuum, » ut de eo scripsit alter autor coævus, velut hominem ambitiosum, astutum, avarum, seditiosum, et ipsi Catilinæ comparandum calumniari non est veritus ; sed quia Guibertus hæc de Godefrido vivente scribebat, eum velut virum alias satis veracem, in eadem sententia post Episcopi mortem non perseverasse pie credimus.

ABBATIA CLAREVAL. ET CARTUSIA PORTARUM EODEM TEMPORE FUNDANTUR.

II. Eodem anno Clarevallensis abbatia, nostrique Ordinis monasterium dictum Domus Portarum fundantur, ac felicioribus proficiunt incrementis. Utriusque cœnobii primi Patres ac spiritualis ædificii fundatores, Bernardi vocati sunt : ambo in charitate plusquam germani, de quibus multa passim annis sequentibus occurrent dicenda. Itaque post conditam Matrem Cartusiam, cum primi illius incolæ intra amicæ solitudinis claustra inclusi, suum tenuem cœtum selectis, quos mittebat Deus, alumnis fovere ac conservare solummodo ambirent, nec de prole cogitarent extra sinum suum propaganda ; ecce post quietem sterilitatemque triginta et amplius annorum, Ambroniacensis abbatia Ordinis S. Benedicti novum eis, melius dixerim primogenitum (Domus siquidem Calabriæ, velut Majoris Cartusiæ soror habenda est, tanquam ab eodem Patriarcha Brunone procreata) edidit fœtum, hanc videlicet Portarum Domum, in Provincia Ordinis cui nomen Burgundiæ sitam, quæ post Matrem nostram et Calabricam cartusiam totius Ordinis prima est, et per longa tempora quasi Sanctorum promptuarium extitit, quamdiu in ea Novitii ad professionem admissi sunt. Hæc autem secunda in Galliis Cartusia tale habuit initium. Bernardus et Pontius Ambroniacensis monasterii monachi, solitariæ vitæ desiderio accensi, audita Cartusiensium fama, eorum vitæ formam amplecti decreverunt. Attractis igitur post se virtutum suarum fragrantia quibusdam ecclesiasticis et secularibus viris, cum

Monachi Ambroniac. Portarum cartusiæ auctores.

sui Abbatis licentia in asperam secessere solitudinem. Saltus erat in agro Sebusiano et diœcesi Lugdunensi, tribus leucis cum dimidia ab urbe Bellicensi semotus, quem ab omni memoria *Portas* appellabant, eo quod in eo nativæ ipsæ rupes, certis quibusdam in locis, velut manu artificis excisas portas ementirentur. Hanc eremum incultam et sterilem, cum turba hæc laboris ac sancti otii amans dignis pœnitentiæ fructibus fœcundare cœpisset, advocatis e Cartusia Patribus, relicto Benedictinorum labaro, consentiente et locum concedente Gaucerano Lugdunensi archiepiscopo, saccum nostrum cilicinum induit; cunctique a Magno Guigone in filios adoptati, sub sui antesignani Bernardi auspiciis (qui propterea in ducem confirmatus, in protopriorem quoque eis concessus est) Cartusiensium morem et nomen complexi sunt. Hanc illorum ad nostrum Institutum transmigrationem ipse Bernardus illius præcipuus autor, singulari instrumento descriptam reliquit in hunc modum:

ANNUS 1115

Loci descriptio.

« Quæ imposterum futuris seculis profutura creduntur, literarum monimenta merito commendantur. Quapropter præsentis paginæ lectione, ad notitiam legentium tam præsentium quam futurorum volumus pervenire, quod quando prius heremiticæ professionis gratia Ambroniacense cœnobium relinquentes, solitudinem istam de Dei misericordia plurimum confisi cœpimus habitare, ego videlicet Bernardus Portarum Prior vocatus, et Frater Pontius tam in eremo quam in monasterio mihi carissimus, locum istum sicut habitatore vacuum sic et a possessore invenimus liberum, exceptis duntaxat aliquibus pratulis, quæ circummanentium nonnulli prout quisque voluerat vel potuerat, sic paraverant. Sic enim solitudo eadem ab omni humano dominio libera permanebat, ut quicumque, vel undecumque veniens, prior in ea aliquid labore proprio occupare voluisset, sine ulla contradictione licite ac legitime possideret. In ipso igitur anno ingressionis nostræ in eam, visitante nos carissimo ac venerabili Patre nostro Gaucerano Lugdunensi archiepiscopo, honorabilis presbyter Petrus de Briord, qui etiam postmodum

Ex Cartul. ejusd. Domus.

Gauceranus Archiep. Lugdunen. primus fundator.

ANNUS 1115

archipresbyter fuit ibidem, auribus ejus intimavit locum istum ex antiquitatis traditione, et ex patris sui qui et ipse multorum annorum fuerat, antiquitus regalis juris fuisse, et ob id ad Lugdunensem Ecclesiam, sicut et cætera sui episcopatus regalia jure regio pertinere : quod cum palam positum, sine ulla multorum qui aderant contradictione, ita esse constaret, confestim præfatus Archiepiscopus divina inspirante gratia locum eumdem cum adjacente jure seyssivit, et consequenter Domino et B. Mariæ, nobisque ac successoribus nostris in perpetuum possidendum donavit ac concessit, ejusdem donationis terminum, sicut a summitatibus circumstantium montium versus eremum pendet, constituit. Ibidem itaque sub anathemate, ne quis in universis quæ dies illa infra præfixos terminos deserta vel sine certo possessore invenerat, ex tunc nobis aut posteris nostris injuriam vel calumniam faceret, his tantum misericorditer exceptis, quæ duobus aut tribus annis ante diem illam proximis certa terminatione possessa et a vicinis defensa fuerant, et quæ in jure ad necessarios usus circummanentium antea fieri consueverant, ubi vel quantum sine molestia nostra fieri poterunt; quæ omnia in benedictione ecclesiæ de Sundis quæ paulo post subsecuta est, sub sanctissimi ac Reverendissimi Patris Hugonis episcopi Gratianopolitani præsentia et universi populi audientia, idem Archiepiscopus iteravit, et consensu majorum, et sine contradictione minorum tenore simili confirmavit; necnon etiam quæ sub eisdem terminis secularium esse videbantur, suis et prætaxati Episcopi precibus a plurimis possessoribus ibidem donari nobis fecit. Quam donationem pauci quidem tenuerunt, sed plures ipsa quæ dederant nobis, postmodum vendiderunt. Pauca vero quæ Ambroniacensis monasterii erant, eodem anno, eorumdem nihilominus Episcoporum petitione suffragante, cum professionis nostræ solutione, sicut ejusdem rei charta plenius continetur, consensu totius Capituli sine ullo retinaculo adepti sumus. »

S. Hugo Ep. Gratianop.

AMBRONIACENSES CONSENSUM ET LOCI PARTEM PRÆBENT.

III. Hæc Bernardus, cui tum professionis ejus solutionem, ut mox eum loquentem audivimus, tum Portarum deserti

partem quæ Ambroniacensium erat, Desiderius abbas cum toto suo conventu, ad petitionem Gaucerani Lugdunensis et S. Hugonis Gratianop. Præsulum concessit, confectis hac de re subjectis literis:

ANNUS 1115

« Ego Desiderius Ambroniacensis cœnobii abbas, notitiæ præsentium trado, memoriæque sempiternæ sequentium per præsentem scripturam commendo, quod duo de Fratribus nostris, scilicet Bernardus et Pontius, de licentia nostra et totius Capituli ad eremum transiere Portarum, quos complures clerici ac laici secuti sunt, eamdem devotionem habentes. Timentes igitur ne, sub specie obedientiæ, ab Abbatibus nostræ ecclesiæ propositum everteretur ipsorum, petente Gaucerano Lugdunensi archiepiscopo cum clericis suis, et beato Hugone Gratianopolitano episcopo cum compluribus nostræ ecclesiæ familiaribus, solutionem obedientiæ a nobis obtinuerunt, nec non et terram quam in eadem eremo habere videbamur, eis absque ulla exceptione sive retentione donavimus. Si quis autem contra hæc facere præsumpserit, contra suam se sciat fecisse salutem. Hæc autem facta sunt in Capitulo nostro, communi consensu omnium qui aderant monachorum, quorum ista sunt nomina: Ismio Prior, Boso Prior Lemensii, Constantinus Prior Castaneti, Guido mon. et cellerarius, Hector mon., et Odilo Prior Ayriaci, Boso Cornutus mon., Boso Athanatensis mon., Guigo Sapiniacensis mon., Guido Prior Seysiriaci, Adalardus Prior Meximiaci, Martinus mon., Guillelmus mon., Fulco mon., Drogo mon., Pontius mon. et sacrista, Armannus monac., Pontius mon., Berlio mon. et camerarius, Ado Prior Jusiriaci, Stephanus mon., Guifredus mon., Lanfredus mon. et conversus, Pontius mon. et conversus, Engelmannus mon. et conv., Confortis mon. et conv., Ulricus puer, Adalardus puer, Guntherius puer, cum plerisque aliis Monachis. Huic rei etiam interfuerunt Girardus archipresbyter, presbyteri duo Bernardus capellanus et alius Bernardus subcapellanus, et Bonetus et alii nonnulli. Susceperunt autem prædictam donationem prælibatus Portarum Prior, et Dodo clericus

Ex Cartul. ejusd. Dom.

ANNUS 1115

magister, laici vero sive Conversi Bonuspar, Hugo, Aynardus et Petrus. »

Abbatum confirmationes.

Hanc donationem plures ex Desiderii successoribus confirmaverunt, inter quos sunt Ismio qui ab Innocentio II Summo Pontifice pro limitibus Portarum, cum Falcone Lugdunensi antistite arbiter fuit delegatus anno 1145; Aymo Ismionis successor, qui præterea Guichardo itidem Lugdunensi archiepiscopo adstitit anno 1171, in executione Bullæ pacificationis controversiæ inter Cartusianos Portarum et Canonicos Regulares de Ordinato* Ordinis S. Ruffi; Guigo quoque cognomine de Surre et ipse Abbas Ambroniaci, qui præsens fuit concessioni factæ huic Domui anno 1220 ab Hugone Domino de Coloniaco. Ex his patet quantum debemus sacro Benedictinorum Ordini, a quo prima Cartusia in ipso suo ortu, ut vidimus, quasdam possessiones accepit; et hæc secunda Ordinis nostri Domus, non solum terras, sed quod pretiosius est, monachos sanctissimos spiritualis sui ædificii architectos habuit.

*Ordonnaz.

PRIMI MONACHI.

IV. Ex clericis et laicis qui Bernardum et Pontium in eremum secuti sunt, hos tantum reperimus nempe Bosonem qui monachi habitum cum aliis induit; nisi forsan unus sit ex his quos magnus Guigo e Cartusia ad Portas miserat, cui propterea Procuratoris onus statim impositum est, ut ex quibusdam instrumentis discimus. Alter quoque Bernardus, non ille qui fuit postea Bellicensis Episcopus, eodem tempore inter monachos adscitus legitur. Forsan et Joannem de Montemedio, seniorem illum venerabilem de quo fit mentio in S. Antelmi vita, ad sui imitationem Bernardus et Pontius allexerunt. Inter laicos nobiles, qui statum Conversorum humilem elegerunt, annumerantur Bonuspar de Surra, Galterus de Onglaz et Hugo de Cassiaco, quorum amici et consanguinei in eorum gratiam multa novæ plantationi postea largiti sunt. Hos et alios quos ad idem vitæ genus Deus vocavit, Ainardus et Petrus Majoris Cartusiæ Conversi, qui missam a magno Guigone primorum incolarum coloniam ad Portarum cartusiam deduxerunt, per plures annos ibidem

demorati, rebus domesticis vilioribus suis exemplis informavere.

ANNUS 1115

BENEFACTORES.

Ex Cartul. ejusd. Domus.

V. Quod spectat Portarum Benefactores, plures sub fundationis initium a Deo suscitati sunt, qui terras vicinas gratis donarent vel vili pretio concederent. Inter eos præcipui annumerantur Humbertus de Villa, Manasses et Petrus de Coloniaco, Ulricus de Villars filius Adalardi, Richardus et Humbertus de Benuncia, et alii ejusdem familiæ. Durannus et Willelmus Delperon fratres dederunt Deo et B. Mariæ et « Fratribus Heremi Portarum quidquid in prædicta eremo possidere videbantur, quantulumcumque ab anachoretis pro dono accipientes. » Boso et Willelmus de Briord et plures ex eorum progenie, multa dederunt. Amblardus et Giroldus de Turre, Albertus filius Giroldi, et alter Albertus et Berlio fratres, præfati Giroldi nepotes, multa largiti sunt.

Christoph. Justel in Hist. genealog. Arvern.

JESU CHRISTI

ANNUS 1116.

Paschalis PP. II Ann. 17.	Ord. Cartus. Ann. 33.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 7.

CARTUSIA EXCUBIAR. FUNDATUR.

I. MILLESIMUS centesimus decimus sextus, Indictione nona, sequitur annus, quatuor nostri Ordinis cœnobiorum fundatione memorabilis, Excubiarum videlicet, Durbonis, Sylvæ Benedictæ et Majorævi. Tot Domorum simul erigendarum hæc causa fuit, quod multi Nobiles nostri Propositi amplectendi studio inflammati, loco apud Cartusiam, ubi monachorum numerus ultra tredecim augere fas non erat, sibi denegato, alio signum Cartusiense figere decreverunt. Hoc itaque ducti spiritu viri nobiles, Petrus Cornutus et David ejus amicus aliique eorum sequaces, locum inter montes Delphinatus solitariæ vitæ aptum diu quæsitum tandemque repertum, ab ejus Domino, S. Hugonis episcopi interventu hoc anno obtinuerunt. Situs est in Gratianopolitana diœcesi inter meridionalem et occidentalem ejusdem civitatis partem, in monte quodam, qui corrupto Excubiarum nomine *Escougiæ,* sive vernacula lingua *les Escouges,* etiamnum dicitur; prope S. Marcellini oppidum extra flumen Isaram, a primaria Ordinis Domo septem leucis distans. Unus istius Domus fundator in hanc usque horam habitus est S. Hugo Gratianopolitanus Præsul, cum quo tamen in hujus gloriæ societatem merito debent venire Rainaldus de Lanz, ejusque uxor et filii, quos locum ipsum dedisse probant literæ ab eisdem inde scriptæ tenore qui sequitur:

Ejus situs.

Fundatores.

« Ego Rainaldus de Lanciis et uxor mea Amaldrada cum filiis meis Guilisio, Rainaldo, Willelmo, Eustachio, et nepotibus Rainaldo Folcherii, et Guigone Bastarz et fratribus suis, cum consilio et laude amicorum nostrorum, damus et ex bona voluntate concedimus Petro Cornuto et David omnibusque ejus sequacibus, quicquid in montanis Exquogiarum * habemus, nihil omnino retinentes. Termini terræ quam nos eis damus sunt, a Facibella et del Foilleil Dalchina sicut summitates montium intercludunt, usque ad veros terminos qui sunt isti, fons Dravensis.... inde porriguntur usque ad summitates utrorumque montium. Hujus donationis sunt laudatores Guigo Desiderii, Franco et Mallenus et Petrus filii ejus, qui nobis medietatem de Exquigiis donaverant, et aliam medietatem quam dederant Morandus Arnaldus, Trutbertus cum filiis et nepotibus suis. Horum omnium testimonium si quæ contradicere volet posteritas, non permittit hoc Domini Hugonis Gratianopol. episcopi veneranda autoritas, qui hoc donum a nobis factum non solum approbavit, verum etiam chartam istam impressione suæ Bullæ servis suis, qui in illa habitant eremo, misericorditer assignavit anno Domini Millesimo centesimo decimo sexto. »

ANNUS 1116

Ex Cartul. Ecclesiæ Gratianopol.

* *Idem ac Excubiarum.*

His vitæ Cartusianæ tironibus magister ac Prior a magno Guigone datus est Soffredus Matris Cartusiæ alumnus, qui ultra quadraginta annos gregem commissum, inter varias a vicinis nobilibus perpessas vexationes sapientissime moderatus est. Ubi novæ Domus regimen capessivit, prope fuit ut e loco cum suis expelleretur, nisi Guigo Desiderii vir potens supremus loci Dominus, insectatorum conatus sua autoritate cohibuisset. Multas nihilominus per annos viginti et amplius impugnationes primi hujus Domus incolæ sustinuerunt, donec ædificata ecclesia Hugo episcopus Gratianopol. S. Hugonis successor, consecrationis illius die totam discordiam componeret, interventu Franconis et Malleni, qui patris sui præfati Guigonis Desiderii facultatibus et pietati successerant. Sed de his alibi.

Soffredus I Prior.

Varias patitur vexationes.

V. an. 1139.

II. Præcipuus itaque Excubiarum fundator jure habendus

BENEFACTORES.

ANNUS 1116

Hist.Delphin. tom. 2. lib. 2. sect. 2.

V. inf. ad an. 1139.

est Rainaldus de Lanz, a Chorerio Raimundus vocatus, qui in alio instrumento dicitur « acquisitor et possessor loci, insuper dator, concessor et fidelis patronus. » Guilisius quoque ejus primogenitus paternam liberalitatem non solum confirmavit, sed contra oppugnatores tuitus est. S. Hugo, pro innata erga quoscumque Religiosos benevolentia, Excubienses sicut Cartusienses et Calesienses, « spiritualiter et corporaliter fovit, » ut jam non semel in ejus vita observavimus. Alii plures suis beneficiis et favoribus novam hanc plantationem irrigarunt, inter quos ultimum locum non merentur Domini de Sassenage, Bourgoin, Baux, Antevox et Faverges. Sed horum omnium munificentiam superavere Domini de Turre et Vinay qui pascua ampla concesserunt. Per ducentos circiter annos cuncta satis prospere nostris Excubiensibus successere, sed ineunte seculo quarto decimo, tot tantisque injuriis a vicinis quibusdam affici cœperunt, ut temporis successu ad incitas redacti locum tandem deserere coacti sunt, ut suis dicemus locis.

V. ad an. 1340.

Ibidem Moniales Permaniæ demorantur.

Vid. ann. 1391.

Molin. Hist. ms. Ord. Cart.

Antequam ab Ordine locus hic penitus derelinqueretur, cum vix duo aut tres monachi ex illius bonis ali possent, Moniales parthenii Permanensis, tempore magni schismatis, relicta propria Domo cujus ædificia ex incendio ruerant, ad hanc Excubiensem autoritate Capituli generalis translatæ fuerunt. Hinc quidam recentiores rerum nostrarum scriptores, quosdam obitus tum monachorum tum monialium Domus Excubiarum in Chartis capitularibus nostri Ordinis legentes, eamdem cartusiam a prima sua fundatione duos simul continuisse hominum et virginum conventus arbitrati sunt. Horum sententia fulciri posset ex quibusdam literis in Gratianopolitanæ Ecclesiæ tabulario repertis, quibus « Domina Willelma de Eltevo et Rostannus filius ejus dant Fratribus Domus Excubiarum, campum in parochia Cizerini Excubiarum sub nemore de Bretun, pro Gerarda filia sua quam sacro velamine velari fecerunt. Ut autem hoc donum firmum et inconcussum teneatur a prædicta Domina Willelma, Arbertus de Turre pro Fratribus Excubiarum fidejussores accepit

Petrum de Eltevo, Gerardum Doloisi et Othmarum Bordet. Robertus vero Viennensis archiepiscopus, qui sedit ab anno 1179 ad an. 1195, prædictis literis sigillum suum apposuit. » Hujus instrumenti verba sic intelligenda sunt, quod Gerarda quam Excubienses Fratres dicuntur sacro velamine velari fecisse, non in hac Excubiarum Domo (quæ a solis monachis tunc habitabatur) professionem fecerit, sed in parthenone nostri Instituti, cui nomen erat Bertaudi, in cujus Necrologio ad 12 Calend. Octobris Giraudæ, sive Gerardæ, obitus reperitur.

III. Altera Domus quæ hoc anno pariter fundatur, Durbonis nomen habet. Constructa in spatiosa eremo ab urbe episcopali Vapincensi, in cujus diœcesi sita est, duabus leucis ; a Diensi quinque ; una vero a pago S. Juliani, et simile habuit initium ac domus Excubiarum. Quidam enim nobiles quibus non erat in Majori Cartusia locus, cum a beato Guigone Lazarum ejusdem Matris Ordinis alumnum obtinuissent, qui eum Cartusiensium consuetudinibus institueret, vasta eremo ab amicis donati sunt maxime dominis de Beldisnar, ut ex subjecto apparet diplomate quod ejusdem est tenoris ac charta fundationis Matris Cartusiæ, mutatis tantum quæ necessario mutanda fuerunt.

CARTUSIA DURBONIS FUNDATUR.

« Gratia sanctæ et individuæ Trinitatis misericorditer nostræ salutis admoniti, recordati sumus humanæ statum conditionis et vitæ fragilis lapsus inevitabiles, quam sine termino ducimus in peccatis. Bonum itaque judicavimus nos peccati servos de manu mortis redimere, temporalia pro cœlestibus mutare, æternam hæreditatem pretio perituræ possessionis comparare, ne duplici contritione conteramur, et præsentis vitæ miserias laborum et dolorum initium sentiamus. Itaque Lazaro et his qui cum eo venerunt Fratribus, ut Deo vacarent ad inhabitandam solitudinem quærentibus, ipsis eorumque successoribus in æternam possessionem spatiosam eremum concedimus et donamus. Ego Matfredus de Beldisnar, una cum Lagerio fratre meo, et filiis meis Petro scilicet et Guigone, ac filiis ejusdem Lagerii et una cum nepotibus

Loci donatores.

Ex Cartul. ejusd. dom.

ANNUS 1116

meis Petro scilicet et Manasse, et Pontio Rollandi, et Petro Guillermi, et Rotlando et matre eorum. Et ego Pontius de Beldisnar et fratres mei, Albuinus scilicet et Guillelmus et filii eorum. Et ego Pontius Albuinus nepos eorum. Et ego Richaudus Albuini et filii mei. Nos omnes supra scripti cum hæredibus nostris concedimus et donamus prælibatam eremum supradictis Fratribus. Laudant etiam et corroborant hoc donum Richaudus de Vallenigra et filii ejus, Guillelmus quoque de Monte Amato et fratres ejus, Ugo videlicet et Richaudus, Petrus et Guigo ac Pontius et mater eorum. Filii vero Richaudi de Vallenigra qui hoc laudant sunt hi, Guillelmus, Belmundus, Petrus, Isnardus, Bertrandus et mater eorum. Ipsa vero quam ei damus eremum hunc habet ab Oriente terminum........ Præfata quidem eremus his terminationibus conclusa, a Lazaro et ab his qui cum eo erant Fratribus cœpit inhabitari ac construi, anno ab Incarn. Dom. MCXVI, episcopatus vero Domini Leodegarii secundi Vapincensis episcopi XI, qui videlicet laudat et corroborat hoc donum quod fecerunt supra scriptæ personæ cum omni conventu clericorum suorum; et quantum ad se pertinet vel ad clericos suos, quidquid sui juris vel clericorum suorum esse videtur omnino concedit. Laudat Petrus sacrista, Petrus Guigonius præpositus et Petrus Geraldi, Maurinus et Petrus Odoini, Petrus S. Herigii et Petrus Grammaticus, Petrus Bonifilii et Guillelmus de Camposauro, Guillelmus Gonterii et Hisnardus, Stephanus Matfredi et Dido Alamannus, et Raimbaldus, Galterius et Raimundus et Stephanus Matfredi minor. Si qua vero persona potens vel impotens hanc donationem infregerit, autoritate Dei et præfati Domini Leodegarii Vapincensis episcopi, tanquam sacrilegii rea ab omnipotentis Domini gratia et fidelium consortio separata, anathemate Maranatha feriatur; æterni ignis incendio, ni digne satisfecerit, cum Datan et Abyron et Juda traditore concremanda. Lecta est autem hæc charta Vapinci in ecclesia beatæ et gloriosæ semperque Virginis Mariæ, quarta feria hebdomadæ tertiæ Octobris, in præsentia dicti Domini Leodegarii Vapin-

censis episcopi atque Canonicorum suorum, aliorumque multorum tam sacerdotum quam cæterorum ordinum clericorum celebrantium sanctam Synodum, XV Calendas Novembris.

ANNUS 1116

PRIMI ILLIUS INCOLÆ.

IV. Primorum hujus eremi incolarum nomina hactenus latuerunt, ex quibus tamen fuisse verisimile est Ottonem qui post Lazarum præfuit, Garnerium sub eodem Ottone procuratorem, et Bertrandum qui ex Priore hujus Domus factus Sistariensis episcopus, eamdem Ecclesiam per plures annos magna cum laude gubernavit. Hos statim secuti sunt alii nobiles, Petrus de Urgello, Guillelmus de Montelauro, Pontius qui præsidente præfato Bertrando procuratorem egit, Petrus Ricaudi in cujus gratiam ejus consanguinei Guillelmus de Monte amato et Pontius Ricaudi frater ejus multa dederunt, et Petrus Ariberti. Hi et eorum successores per plures annos magnam perpessi rerum omnium penuriam, quo plus terrenis carebant eo amplius cœlestibus fruebantur charismatibus. In hac vero inopia gaudentes perseveraverunt usque ad annum 1178, quo Fridericus imperator illos Christi pauperes novis auxit facultatibus et honoribus, sicut et Sylvæ Benedictæ Cartusienses propter Terricum fratrem vel filium suum naturalem, in eadem Sylvæ Domo sub Conversorum habitu tunc commorantem. Multi tamen ante et post eumdem Imperatorem, multa contulerunt intra ipsius eremi terminos, quorum primarii sunt Arnaudus de Flota Lamberti filius, cujus uxor Bertaudi monasterium pro Monialibus fundatum nostro Ordini addixit. Isoardus Diensis comes si quid juris aut dominii habebat Durbonensibus tradidit anno 1149; simile donum anno sequenti fecerunt Raymundus de Monbrunt et Alnadatus frater ejus in manu Jacinthi cardinalis, teste Guillelmo archiepiscopo Ebredunensi qui plures nobiles ad munera novis Eremitis largienda excitaverat, præsente et laudante Raimundo episcopo Vapincensi. Guillelmus comes Forcalcariensis quædam pascua insuper et multas libertates et privilegia anno 1174 concessit; quem etiam imitati sunt Raimundus Tolosæ comes et Provinciæ marchio, et alii

Benefactores præcipui.

ANNUS 1116

Principes Provinciæ marchiones, Guillelmus quoque dictus Sectorferri Albonensis * et Viennensis comes, qui præterea eleemosynam quam pater suus Raymundus dux Narbonæ, comes Tolosæ et marchio Provinciæ, eidem Domui anno 1138 fecerat, confirmavit. In Chartis capitularibus Ordinis hi dicuntur magni ejusdem cartusiæ benefactores, nempe Jacobus Blein [a], Magister Vincentius Blein [b], nobilis Dominus Benedictus de Saviria [c], Antonius Morelli [d], nobiles Domini Reymundus de Morgiis [e], et Amedeus Guifrerii et Margarita de Sargiis.

* *Al.* Albionensis.

[a] Ex chart. 1492.
[b] Ex chart. 1494.
[c] 1495.
[d] 1500.
[e] 1502.

FUNDATUR DOMUS SYLVÆ BENEDICTÆ.

V. Tertia conditur cartusia dicta Domus Sylvæ Benedictæ in Delphinatu et archiepiscopatu Viennensi, quinque vel sex leucis ab ipsa Matre Cartusia versus septentrionem, et ab urbe metropoli Vienna septem circiter ad orientem distans, prope pagum de Viriaco ad meridiem, in loco ab hominum consortio satis remoto. A Cartusiensibus primum habitari cœpit hoc anno in lare paupere et farre modico, cum nec tunc aliquem specialem fundatorem eos habuisse constet. In quodam manuscripto Domorum Ordinis, Tornodurensis Comes unus e quatuor Baronibus Delphinatus dicitur eam fundasse anno 1130, sed cum hæc sententia nulla stabiliatur autoritate aut documento, eam velut dubiam non admittimus, licet nomen saltem benefactorum Comitibus Claromontensibus ex eadem familia ortis non denegandum putemus. Igitur a tempore primæ fundationis in magna rerum temporalium indigentia, magnis tamen gratiæ bonis ditati, Nostri in hac Sylva delituerunt usque ad annum 1167, quo Fridericus Imperator dictus Ænobardus novam Domum ibidem construxit et dotavit, sub nomine beatæ Mariæ de Sylva Benedicta, ut eodem anno dicemus.

Ex Archiv. ejusd. Domus.

De primis hujus Domus monachis nulla extat memoria præter Othgerium Protopriorem, qui compositis a Guigone Cartusiæ Consuetudinibus cum toto suo conventu adhærens, celebrem hanc omni cupiditati renunciationem confirmavit, seque ac suos successores ad illius observationem scriptis adstrinxit, ut postea videbimus. Nullum ante Friderici Impe-

ratoris tempora fundatorem aut benefactorem instrumenta produnt. Primus præfati Principis erga hanc Domum pietatem æmulari cœpit Humbertus Sabaudiæ comes, qui dedit villam de Ars. Hujus exemplum secuti sunt Guillelmus de Poictiers et Aymarus ejus filius an. 1183, Guigo Delphinus et Raymundus comes Provinciæ anno 1240, sequenti vero Guido de Castronovo super Rhodanum. Amedeus Sabaudiæ comes Domum in suam tutelam an. 1285 suscepit, et Sybilla de Balgiaco ejus uxor et Eduardus filius ejus, in quibusdam literis in gratiam ejusdem cartusiæ concessis, profitentur Alexandrum de Balgiaco avunculum suum in Capitulo sepultum esse. In hac etiam Domo sepulturam accepit Martinus de Viriaco, Dominus de Faverges et de Monterevelli, qui vivebat anno 1243 et quædam largitus est cum Sibundo de Viriaco Ex eadem familia videtur fuisse Germanus[a] de Viriaco, cujus obitus in quadam Charta capitulari reperitur cum titulo benefactoris. Ex gente Claromontensium nullus reperitur ante annum 1246, quo Sibaudus de Claromonte quædam dedit. Guillelmus et alter Sibundus ejusdem familiæ, exeunte eodem seculo, quamdam terram viginti quinque librarum pretio comparatam cesserunt. Hic Sibundus moriens legavit, anno 1319, quinquaginta solidos Viennenses. Gaufredus quoque suo testamento tredecim post annis condito, reliquit decem libras annuales. Aymarus ex eadem gente ante majus altare cum sequenti epitaphio tumulatus est : « Hic jacet nobilis ac potens Dominus Aymarus de Claromonte, Dominus de Crolart, Domui Domini Delphini Præfectus et ejus locum tenens in Delphinatu, qui obiit anno 1454, die 6 Octobris. » Ejus obitus reperitur in Charta anni sequentis his verbis : « Egregius et nobilis Dominus Aymarus de Claromonte magnus amicus et benefactor Ordinis, habens Anniversarium per totum Ordinem, etc. »

ANNUS 1116

Primi benefactores.

[a] Ex chart. an. 1494.

Viri nobiles Anselmus Girinus et Girinus Girini, pater et filius, dederunt « duo quartalia frumenti ad faciendum panem recentem » pro Religiosis in vigilia Omnium Sanctorum, anno 1326. Plures ex eorum hæredibus alia etiam concesse-

ANNUS 1116

runt usque ad annum 1400, quo Joffredus Girini miles unum sacellum fundavit et dotavit, in quo suam et suorum successorum sive hæredum sepulturam elegit, obtenta prius licentia ab ejusdem anni Capitulo generali. In Charta anni 1514, inter mortuos legitur Ludovicus Commatre benefactor Sylvæ Benedictæ. Sed inter magnos et primos benefactores, non quidem tempore sed liberalitate, merito recensendus est V. P. Nicolaus Hinselin parisinus, qui professionem in hac Domo emittens octodecim millia librarum Francicarum concessit, qua largitione alios omnes Benefactores superavit. Hic postea factus ibidem Prior utrumque statum non parum promovit, instauratis præsertim ædificiis quæ superiori seculo multam ruinam passa fuerant ab hæreticis, qui Vineam Christi in hoc christianissimo Imperio depascentes, Sylvam hanc diripuerant, arisque et aliis ædificiis eversis in nihilum redegerant, occiso etiam Donato, ut suo loco dicemus.

DOMUS MAJOREVI.

VI. Quarta denique cartusia quæ hoc anno lucem vidit, vocatur Domus Majorevi, vulgo *Mayria,* sic dicta ex valle synonima in qua sita est. Aliam hujus nominis etymologiam affert Petrus Franciscus Chiffletius, ex quodam instrumento quod commentitium subdititiumque satis probabiliter existimat Guicheno : sed hujusmodi vocum indagare origines nostri non est propositi. Distat hæc Domus una leuca ab oppido Nantua et tribus a * Ponte Indo, in agro Sebusiano et diœcesi Lugdunensi. Primarium utriusque ædificii spiritualis et temporalis fundatorem habuit Pontium de Balmeto, Ecclesiæ Cameracensis in Hannonia olim Archidiaconum, tunc vero Lugdunensis Pœnitentiarium et Canonicum, paulo post Cartusiensem monachum ac tandem episcopum Bellicensem. Alium conditorem Pingonius imaginatus est, sed hanc prærogativam soli Pontio deberi ex certissima probamus autoritate, quam ex Domus Cartulario habemus ut sequitur :

Chifflet. in Append. ad Man. solitar.

Guichen. in Hist. Bressiæ.

* *Pont d'Ain.*

Pontius de Balmeto fundator.

Joan. Carpent. in hist. Camer.

Pingon. in arb. Gentil. Duc. Sab.

« Willelmus primæ Lugdunensis Ecclesiæ Decanus, universumque ejusdem Ecclesiæ Capitulum, omnibus Christi fidelibus salutem et pacem. Noverit quicumque vestrum

Ex Cartular. ejusd. Domus. fol. 1.

hanc Chartam aut legerit aut viderit, quod Dominus Pontius de Balmeto Lugdunensis Ecclesiæ prædictæ Magister et Pœnitentialis atque Canonicus, vallem Majorevum nominatam dedit et libere concessit Fratribus Ordinis Cartusiensis : Fratri scilicet Stephano pro Priore ibi misso, Bonofilio et Gaufrido Conversis; et omnia in prædicta valle nemora, prata, exerta, existentia cum omni jure proprietatis et dominii alti et bassi, nihil inde sibi vel suis retinens; quin potius omnia præmissa cum suis appenditiis universis, prædictis Religiosis pro se et posteris suis ibidem eremetice Deo famulaturis devote contulit et concessit, quæ ipse et sui jure parentum hæreditario pacifice possidebant. Ad testimonium autem hujus donationis, et ad removendam materiam quæstionis in rebus prædictis, dictus Pontius, sicut ipse suique antecessores possederant, terminos designavit montem Valesium in aditu prædictæ vallis, a quo donationem suam terminare incipiens pervenit ad montem...... Garnerius de Balmeto et Willelmus Dominus Dorchiæ milites, prædicti Pontii fratres, prædictam donationem approbaverunt et laudaverunt in præsentia nostra. Actum in Capitulo nostro Lugduni, anno Domini MCXVI, cum appositione nostrorum sigillorum. »

ANNUS 1116

Extat inter probat. Hist. Bress.

Eumdem fundatorem Cartularii scriptor, centum circiter annis postquam Domus condita est, designavit sic scribens : « Anno ab Incarnatione Domini 1116 eremus Majorevi, autore et fundatore Pontio Lugdunensis Ecclesiæ Magistro et Pœnitentiali atque Canonico, et ipsius Majorevi postea Priore ac demum Bellicensi episcopo, construi cœpit et locus ab Eremitis possideri; et terræ ac possessiones quas incolunt et in quibus Deo serviunt, ipsum pro se suisque benefactoribus exorantes cœperunt acquiri, etc. »

Factus monachus cartusiensium.

Non dubium quin Pontius tum ad hanc Domum erigendam, tum ad nostrum propositum apud Matrem Cartusiam amplectandum excitatus fuerit exemplo Portensium Cartusiensium, quos cum suo Archiepiscopo sæpius invisisse, suisque consiliis et favoribus adjuvisse verisimillimum est. Magistrum, qui primis hujus Domus incolis Cartusianæ pro-

ANNUS 1116

Stephanus S. Brunonis socius, primus Prior.

fessionis spiritum instillaret, datum fuisse Stephanum quemdam, exscriptæ Willelmi Lugdunensis Ecclesiæ Decani literæ nos docent. Traditio est apud Majorevenses recepta, Protopriorem hunc fuisse Stephanum Burgensem, unum e S. Brunonis sociis, qui cum eo nostri Ordinis fundamenta jecerat. Quemdam Stephanum e Cartusia illuc missum fuisse certissimum est ; unde satis valida est conjectura, Majorevensium traditionem, quam non audemus oppugnare, non carere fundamento. Duobus annis præfuit et in officio Prioris defunctus est. Eo mortuo orbati fratres Pontium suum fundatorem, sibi in Patrem etsi recens professum a Guigone Cartusiæ Priore obtinuerunt. Plures Nobiles Stephanus ad Ordinem suscepit, inter quos fuere : Milo paulo post Procurator et inde Prior, vir sui Instituti tenacissimus, cui multum debemus, quod suis summis precibus Consuetudinum Cartusiensium scriptionem magno Guigoni suaserit ; Fulcoldus, qui variis in documentis dicitur « vices agens Prioris » ; Petrus et Stephanus qui Procuratoris officio sub Milonis regimine functi sunt. Inter Conversos floruerunt Bonusfilius et Gaufridus e Majori Cartusia cum Stephano Priore missi. Gaufrido paulo post mortuo, Bonusfilius ultra quinquaginta annos rem domesticam religiosissime administrans, ad Christum sua pia conversatione plures e vicinis Nobilibus convertit, inter quos Philippus de Malliaco se suaque, induto Conversi habitu, in hac Domo consecravit.

Primi monachi.

PONTII POSTERI BENEFACTORES.

VII. Pontii fundationem non solum approbarunt, sed etiam sua liberalitate promoverunt Garnerius et Willelmus ejus fratres. Garnerius post uxoris mortem dicitur humilem Conversorum statum subiisse ; Garnerius ejus filius suas facultates inter filios Hugonem et Garnerium partitus, residuo bonorum suorum Majorevensibus legato, peregrinationem ad Sancta Loca obivit. Eorum successores et hæredes, antecessorum erga nostros studium semper conservarunt. Hugo de Dorchiis ex eadem familia nostrum Institutum amplexus in hac Domo, eamdem post aliquot annos exeunte seculo tertio decimo meruit gubernare. Petrus, cognominatus Alemand, Aymonis

Guichen. in Hist. Bress.

de Dorchiis filius sepulturam elegit in hac Domo ubi jacet cum Guillemeta uxore, mortuus circa annum 1350; et cum eo tota gens de Balmeto extincta est. Inter alios hujus Domus Benefactores quos recenset Guicheno, hos non licet prætermittere, nempe Hugonem de Balma super Cerdon militem, qui defuncta uxore, quidquid intra hujus Domus terminos habebat largitus est, et paulo post nomen suum Ordini dedit circa annum 1160. Idem fecit Guido ejus frater. Humbertus ejusdem Hugonis nepos, condito anno 1289 fundamento, sua ossa in hac Domo condi imperavit. Aymo ex eadem familia Capitulum ædificavit anno 1361, ubi et sepultus jacet. Joannes de Balma nepos ejus, vir multarum divitiarum, post suæ conjugis Antoniæ de Varey mortem, de qua unicam habuerat filiam potenti viro Petro de Grolee nuptam, Institutum nostrum professus est, et paulo post ad sanctimoniales Poletenses ex Capituli mandato missus pro juvamine [a] Vicarii in negotiis ejusdem Domus, ibidem sexennio post [b] defunctus est. Unus in capitularibus Chartis Benefactor reperitur, scilicet Petrus Perrotati sacerdos, qui decessit [c] ejusdem cartusiæ Præbendarius.

[a] Ex chart. cap. gen. an. 1441.

[b] Ex ch. 1447.

[c] Ex ch. 1461.

S. HUGO COMITI GUIGONI RECONCILIATUR.

VIII. Hoc anno S. Hugo Gratianopolitanus in suam et Ecclesiæ gratiam recepit Guigonem comitem, ea conditione ut restitueret « ecclesias et cimiteria earum et sponsalitia ac decimas quæ quoquomodo habebat in eis. » Hujus concordiæ autores præcipui fuerunt Leodegarius Vivariensis et Petrus Diensis. Deinde idem S. Præsul, Beati nostri Guigonis rogatu, ut par est credere, ad novam Portarum cartusiam novos eremitas in sancto proposito confirmandi gratia, iterum accessit. Illuc etiam tunc redierat, ut ex dictis anno superiori colligere est, Gauceranus archiepiscopus Lugdunensis, quem interea prædictus Hugo dedicationi ecclesiæ de * Suclinis a Portis non multum dissitæ occupatum juvans, sacro ritui præsentium hominum animos pia sua oratione ita pupugit, ut plures ad pœnitentiam excitati vitam statim emendaverint, peccata sua satagentes eleemosynis redimere. Ex eorum numero fuit quidam nobilis, qui Portensibus monachis quidquid in eorum

Ex Cartul. Eccl. Gratianopol.

Portarum Cartusiam visitat.

* *Souclin.*

Plures ejus hortatione ad pœnitent. excitantur.

ANNUS 1116

eremo possidebat munifice cedens, quantum ex delictis dolorem hortante utroque Præsule conceperit, data sequenti Charta testificatus est :

Cartular. I Port. fol. 22.

Arbertus de S. Saturnino pœnitens.

« Venerabilium Patrum Lugdunensis archipræsulis G. et Gratianopolitanensis episcopi Hu. commonitu, Ego Arbertus miles S. Saturnini, comperi horrificos ignes Erebi ignivomosque vermes in malorum necem grassari. Timens igitur cum uxore mea his pœnis tam amaris, ob innumerositatem meorum scelerum, inretractabiliter mancipari ; credens tamen, ut Scriptura dicit, per Dei misericordiam et per eleemosynarum erogationem posse vitari : interventu Gauceranni Lugd. archiepiscopi et Hu. Gratianop. episcopi in hoc sancto consilio, dum sanctæ sponsæ Succlinis Ecclesiæ celebrantur nuptiæ, dono cum uxore mea nomine Flandina, ob remedium animæ meæ et meæ uxoris, Deo et beatæ Mariæ et Fratribus in eremo Portarum ipsi servientibus, pro salute parentum nostrorum omniumque fidelium, quidquid nos vel quilibet alius pro nobis in præfata eremo Portarum possidere videbamur. Signum prædicti Archiepiscopi †. Gratianop. Episcopi †. Bosonis monachi †. Gerardi Rufi et totius Concilii. » Deinde Cartularii scriptor addidit : « Hanc donationem confirmavit frater prædictæ Flandinæ Artoldus miles Balmensis, mortuo patre suo Elgodo in inferiori Domo in sexto decimo anno hujus eremi. Signum fratris ejus Pagani presbyteri †. Barnardi Prioris et Bosonis Procuratoris et aliorum Fratrum. »

Bona nostris largitur.

His recte conveniunt quæ noster Guigo de S. Hugone in ejus Vita narrat, eum nempe fuisse « prædicatorem egregium, suosque auditores instruxisse ad confessionem, excitasse ad pœnitentiam, promptam ad ignoscendum divinam monstrando clementiam, eosque interdum prædicatione ejus ita motos fuisse, ut capitalia etiam aliqui crimina, Deum magis verentes quam homines, publice faterentur ; » quod alibi exemplo ostendimus.

Codex magnus Cartusiæ.

Plures alii idem faciunt.

Plures alii Nobiles in ejusdem ecclesiæ de Succlinis benedictione, ut habent acta, quicquid in eadem eremo sibi asse-

rebant, vel dederunt vel vendiderunt, inter quos fuere Aymo de Rovoria et Archimbodus frater ejus, Petrus de S. Leodegario, Richardus de Albiniaco et alii. Quidam etiam seculo renunciantes humilem Conversorum statum professi sunt; ex his fuerunt Hungrinus, Petrus Joannis, Hugo, Oliverius et alii.

ANNUS 1116

Idem Cartular. fol. 32.

Quidam fiunt Cartusienses.

IX. Interea præfatus Lugdunensis præsul Gaucerannus, S. Hugonis exemplo Portenses monachos, sicut ille Cartusienses, suis curis et consiliis velut filios fovens, eorum pacem et solitudinem a nullo turbari sinebat. Hocque erga eos studium circa idem tempus eo clariori, quo humiliori exhibuit facinore. Jus quoddam in hanc eremum sibi vindicabant Sanctimoniales S. Petri Lugdunensis Ordinis S. Benedicti, jamque nostris dicam impegerant vel minabantur impingere. At Gaucerannus, ut malum imminens illico averteret, ad monasterium Benedictinarum Hugone de Bellijoco aliisque suis amicis comitatus accedit, Capitulum earum ingreditur, indutaque supplicis persona, Agnetem abbatissam cæterasque Sorores enixe rogat, suum jus velint pauperibus eremitis cedere; quod et illæ sui Antistitis humilitate devictæ prompto ac libenti animo præstiterunt, ut fidem facit confectum super his instrumentum :

GAUCERAN. ARCH. LUGD. NOSTROS PROTEGIT.

Supplex eis bona impetrat a Sanctimonial. Lugd.

« Cunctis hanc scripturam legentibus vel audientibus notum esse volumus, quod Dominus Jocerannus Lugdunensis archiepiscopus, et Abbas S. Justi Hugo Beljocensis, et Theotardus archidiaconus, Girinus quoque capellanus, et dapifer Arbertus cum pluribus aliis, ingressi Capitulum Sanctimonialium S. Petri Lugdunensis unanimiter deprecati sunt abbatissam Agnetem quæ præsens aderat, et cæteras ancillas Dei quæ circa illam residebant, quatenus servis Dei Eremitis commorantibus in montanis super parochiam quæ vocatur....... perpetuo dimitterent calumniam quam se habere afferebant........ Quæ tantorum virorum petitionem erubescentes, concesserunt eis pro remedio animarum suarum quod petebant, tali videlicet conditione ut si præfati servi Dei, quod absit, propositum suum reliquerint vel in aliam

Idem Cartul. fol. 57.

ANNUS 1116

Religionem migraverint, ipsæ quoque recuperent jus suum..... si quis hæc destruere nisus fuerit, noverit se, nisi digne resipuerit, contra salutem animæ suæ laborasse. »

EÆDEM SANCTIM. REFORMATIONEM AMPLECTUNTUR.

X. Hanc erga nos Sanctimonialium liberalitatem, cœlestium bonorum largitione abunde Deus postea compensavit. Cum enim disciplina regularis eodem in cœnobio non ita religiose observaretur, illam Abbatissa ejusque Sorores divino afflatæ spiritu, in integrum unanimi consensu inter se restituerunt. Tam salubre consilium noster Bernardus suis literis Sanctimonialibus forsan suggesserat, qui audita earum emendatione, ad sanctum propositum firmius tenendum, uberioresque in sancta Religione processus efficiendos, eas hortatus est scripta egregia epistola in qua inter cætera sic eas alloquitur:

Manual. Solitar. pag. 316.

Quibus Portarum monachi gratulantur.

« Bernardus Portarum Prior vocatus et qui cum eo sunt Fratres, venerandis in Christo carissimis sororibus Abbatissæ Lugdunensi, et aliis Sanctimonialibus sub ejus regimine Christo servientibus, devotissimam in Domino salutem. Gratias agimus Deo quod tandem vobis donare dignatus est, ut sub regulari disciplina religiose et sancte viveretis. De hoc gratiæ Dei circa vos beneficio, Angeli gratulantur, Sancti lætantur, Ecclesia Christi gloriatur et exultat. Jam ipse Christus coronam vobis præparavit in cœlis, quia ipso donante mundum et diabolum vicistis....... Ipsa quoque gloriosissima Dei genitrix Maria jam pro vobis intercedit, et gaudet vos in numero sanctarum computari feminarum. Amodo Ecclesia Christi, quæ de vestra inordinata conversatione dehonestabatur, vestris apud Deum orationibus adjuvabitur; et quantum prius contristabatur de vestra irreligione, tantum gloriabitur et lætabitur de vestra emendatione...... Quod si forte aliquæ ex vobis adhuc tristes sunt de hac sancta et Deo placita, quæ eis facta est violentia, vos quæ prudentiores et meliores estis, debetis eas in verbo Dei consolari et intimare eis quod sancta Scriptura dicit : Sicut tinea vestimento et vermis ligno, ita tristitia nocet cordi. » Deinde postquam quædam de cordis custodia disseruit, tandem epistolam his verbis concludit :

Proverb. 25. 20.

ANNUS 1116

« Hæc cogitate, hæc assidua meditatione recolite ; et nihil laboriosum, nihil onerosum æstimabitis, quo possitis ignis æterni supplicia evadere et beatitudinis æternæ præmia obtinere. »

Inter utrumque Monasterium fit concordia stabilis.

Ab eo tempore magna semper inter sacrum hoc parthenium et Portarum cartusiam perstitit concordia : nec eorum pax unquam fuit interrupta nisi anno 1249, quo « cum mota esset materia quæstionis (ut habetur in litis instrumento) inter venerabiles personas Dominum Guidonem de Turre archidiaconum Lugdunensem rectorem prioratus de Villabois, et A. abbatissam et conventum monialium S. Petri Lugdunensis ratione dicti prioratus de Villabois, ex una parte ; et Fratrem Joannem Priorem Portarum et conventum ejusdem Domus ex altera : Bonetus obedientiarius S. Justi Lugdunensis et Domini Papæ capellanus, et Guigo sacrista S. Pauli Lugdunensis ab utraque electi arbitri, pronuntiando sententiarunt Domum Portarum esse liberam et immunem ab impetitione, quam Dominus Guido de Turre archidiaconus et Domina A. abbatissa præfati faciebant adversus dictam Domum ratione prioratus de Villabois ; firmiter inhibentes ne de cætero aliqui vel aliquæ, nomine ejusdem Prioratus, Fratres Portarum molestare vel inquietare præsumant. Actum anno supra dicto in vigilia B. Andreæ Apostoli, Lugduni apud Plateriam, in ecclesia B. Mariæ. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1117.

Paschalis PP. II Ann. 18.	Ordinis Cartus. Ann. 34.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 8.

FUNDATUR DOMUS MONTIS RIVI.

Ex ms. ejusdem Domus.

* *Vulg.* la Ste-Baume.

I. SEQUENTI anno millesimo centesimo decimo septimo, Indictione decima, nova prole Ordo Cartusiensis augetur, quæ est cartusia Sanctæ Mariæ Montis Rivi, ab episcopali urbe Tolonensi versus septentrionem, et a monte Balmæo* quatuor leucis distans, in diœcesi Massiliensi ; cujus fundationis occasionem hanc fuisse fert traditio. Vir quidam nobilis natione Italus, cujus nomen hactenus latuit, gravi ac periculoso morbo detentus et ad Sanctam Balmam delatus, voto se obstrinxit cartusiam in loco Sanctæ Balmæ proximiori se fundaturum, si sanitatem recuperaret. Qua statim non sine miraculo obtenta, omnia bona sua pro Domus hujus fundatione contulit, induto postea ibidem monachali habitu. Nihilominus Fundatores sive potius benefactores præcipui habiti sunt ejusdem patriæ Nobiles: inter quos primas semper obtinuerunt Domini a Soleriis, Gaufridus videlicet, Hugo et Fulco fratres ejus, nec non præfatorum Hugonis et Fulconis uxores, qui omnes uno consensu huic novellæ plantationi dederunt jure perpetuo quamdam terram, quæ videtur prima donatio facta Benedicto hujus Domus Protopriori. Sic autem se habet : « Anno MCXXIII et die VIII mensis Maii, Domini de Soleriis Gaufridus, Hugo et Fulco fratres, nec non uxores prædictorum Hugonis et Fulconis concesserunt... habitatoribus Montis Rivi, Monachis et Conversis, ut possideant terram.... Hoc autem dederunt Domno

Fundatores qui.

Ex Cartul. ejusd. Dom.

Benedicto tunc Priori et Domno Aicardo procuratori, præsentibus Conversis Michaele, Petro et Johanne, in manu et præsentia Domini Guillermi Tolon. episcopi, etc.; præsentibus Hugone Radulphi, Petro, Johanne Columbi, et me Johanne Bernardi notario, qui his signum meum apposui. » ANNUS 1117

Præfatorum Benefactorum posteri, paternarum possessionum facti hæredes et pietatis, multa quoque tradiderunt; quibusdam etiam cum bonis suis seipsos Deo et Ordini consecrantibus. Hos inter eminent Guillelmus a Soleriis qui, abdicato Tolonensi episcopatu, Cartusiensis monachus apud patres Vernenses effectus et inde Montem Rivum translatus, ibidem per plures annos perseveravit, ut alibi fusius dicturi sumus; Guido de Soleriis eodem tempore factus in hac Domo Novitius, ante professionem dedit totum jus quod habebat jure dominationis in territoriis et castris de Soleriis et alibi, exscriptis super hoc literis, pridie Idus Junii anno quinto decimo post millesimum ducentesimum. Deinde octavam præfatorum Castrorum partem beneficiaria lege, seu in feudum ut dicimus, monachi tradiderunt sive restituerunt Hugoni de Soleriis et ejus successoribus. R. de Soleriis quinquennio post, hæreditatis sua pascua in eleemosynam dedit; quod et paulo ante fecerant Gaufredus de Soleriis Fulconis filius, ad preces Domni Guidonis sui patrui Cartusiensis, et cum Gaufredo Maria, alter Gaufredus et Willelmus liberi Willelmi, et Agnes Fulconis filia; omnes ex eadem Soleriorum familia, quorum donationes laudavit et suo confirmavit diplomate Stephanus Tolonensis antistes. Alter Guido de Soleriis, Bariolensis Præpositus, fuit magnus hujus Domus amicus, cujus controversias arbitrio suo solebat dijudicare; vivebat anno 1239. Guillelmus de Soleriis confirmavit, anno nonagesimo primo post millesimum ducentesimum, die II Decemb. omnes donationes per prædecessores suos Dominos de Soleriis huic Domui factas de pasquerio et usu pascendi in toto territorio suo. Post hæc nihil in hujus Domus tabulario de hac familia reperitur, quæ jam ante trecentos annos e Galliis in Hispa-

Guillelmus de Soleriis fundatorum præcipuus.

V. an. 1220.

Ex literis datis an. 1217, die 16 Junii.

Ex literis dat. an. 1245.

ANNUS 1117

niam translata est. Ultimus enim hujus nobilissimæ stirpis Arnoldus de Soleriis, cum multis aliis Franciæ baronibus circa annum 1366 in Castellam transiit, Henrico secundo Regi contra Petrum Crudelem opem laturus. Ipse vero multis divitiis et honoribus ab eodem Henrico ditatus, Dominus fuit de Villalpando, cujus filia nupsit Joanni de Velasco a quo genus ducunt Castellæ Comestabiles.

BENEFACTORES EJUS.

Raymund. Ep. Massil.

II. Præter Dominos de Soleriis, tot et tantos habuit hæc Domus Benefactores, ut vix enumerari queant : quamobrem præcipuos hic tantum recensebimus. Raymundus Massiliensis episcopus, anno trigesimo sexto præsentis seculi dedit omnia quæ inter Montis Rivi terminos continentur, ab omni censuali actione libera. Faraldus abbatiæ Sancti Victoris Massiliensis Prior omnisque illius conventus, in præsentia præfati Raymundi præsulis, cultum et incultum intra domus terminos dederunt, scripta super hoc Charta anno 1141, sexto Calend. Martii : quam donationem postea confirmavit

Petr. Salom. abb. S. Vict. Massil.

Petrus Salomon abbas, in præsentia Raymundi Arelatensis archiepiscopi et Guillelmi Tolonensis episcopi. Et post Petrum Fredolus Abbas idem donum laudavit in præsentia Alexandri Papæ tertii, cujus extant Bullæ datæ apud Montem Pessulanum anno 1165, quarto Nonas Augusti. Ipse vero

Fredolus ibid. abbas.

Fredolus, abdicata anno sequenti Abbatia (non vero in illius regimine mortuus ut habent Sammarthani), quod coram Summo Pontifice laudaverat, privatis literis ratum iterum habuit anno 1176 datis, quæ sic incipiunt : « Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Fredolus dum essem Massiliæ abbas, mandato et autoritate Domini Papæ concessi Monachis et fratribus Montis Rivi, etc. » Fulco

Fulco Ep. Massil.

Massiliensis præsul plura dedit anno 1185 ; Guillelmus Grossus ejusdem civitatis vicecomes, anno 1188 sexaginta solidos census annui contulit, ut emantur in opus ecclesiæ oleum, cera, thus, et vinum et frumentum ad conficiendas hostias.

Fundatio hostiarum.

Bened. Ep. ejusd. Eccl.

Eumdem censum auxit Benedictus Massiliensis episcopus, anno 1264; vestes fundavit, reditu annuo tredecim aureorum florenorum de Florentia, Jacobus Vincentius Aquensis

Item vestium.

scriptis literis anno 1338 ; donationem vero confirmavere Joannes Rostagnus et Persevallus Vincentii fratres. Persevallus eodem anno, Pellegrina uxore sua facta apud S. Zachariam Moniali, in hac cartusia monachum induit et sexennio post in Priorem electus, cum tribus aut quatuor annis pie ac prudenter rexisset, cum viginti tum monachis tum Conversis peste interiit, ut suo loco dicemus. Eodem fere tempore, Raymundus Textor de Meuna centum solidos perpetui reditus legavit, in monachorum infirmorum subsidium.

V. ad an. 1348.

Item pro infirmis.

Plures quoque Nobiles se suaque Ordini tradentes ejusdem cartusiæ facultates auxerunt. Ex quibus eminent Guiranus de Auronivis, cujus largitionem Fulco antistes Massiliensis anno 1177 laudavit. Triennio post, Rostagnus de Salis Meunensis amissa uxore, Christo se illigavit factus in hac Domo monachus, cui ne esset oneri quamdam terram cessit consentientibus Hugone et Rostagno ejus filiis ; anno 1219 Raymundus cognomento Willelmus, Rostagnus dictus Dalmatius et Bertrandus de Signa, induto Conversorum habitu, multa contulerunt ; Aicardus de Auronivis quinquennio post, idem præstitit.

Nobiles fiunt Cartusienses.

III. Per tria et amplius secula hæc in utroque statu Domus floruit, et a suis incunabulis tredecim conventuales Monachos aluerat usque ad seculum XV medium, quo cœpit casus adversos experiri, quibus postea non semel obruta fuit. Et quidem primum legimus in Capituli generalis Chartis, ejus ædificia fuisse tunc ruinosa vel etiam gravi aliquo infortunio diruta. Quamobrem Diffinitores Joannem Berardi Priorem adhortati sunt, ut « circa instaurationem eorum intenderet sine ulteriori dilatione ». Nec ita esse debuit hæc ruina quæ tam cito sarciri potuerit, nam post viginti annos et amplius, Gauffredus Crespi Prior iterum admonetur studere et invigilarer eparationi Domus. Interea desierat Domus esse conventualis, et sexto anno sequentis seculi nullus in ea ex ejus professis est repertus, sed quatuor aut quinque Monachi ibidem morantes ex aliis fuerant Domibus assumpti. Attamen sub regimine Joannis de Mesingan, qui tantum

EADEM DOMUS ADVERSIS CASIBUS QUATITUR.

Ex Ch. 1466.

Ex Ch. 1488.

ANNUS 1117

præfuit a præfato anno ad ejusdem seculi nonum, cœpit tantisper pristino reddi splendori, receptis etiam Novitiis qui postea fuerunt ad ejus officia evecti. Rursum anno vigesimo quarto (ut in ejus Tabulario legitur) a militibus spoliatur, quorum dux erat Carolus Borbonius qui in Provinciam cum Cæsareis copiis ingressus fuerat. Eamdem quoque sortem Nostri paucis post annis experti sunt ab Imperatoris exercitu, hæcque fuere majorum calamitatum ab Hæreticis postea perferendarum quasi præludia, ut alibi dicemus.

A militibus spoliatur.

GAUCERANUS ARCHIEP. LUGD. MORITUR PORTAR. FUNDATOR.

IV. Hoc anno, fato fungitur Gauceranus Lugdunensis archiepiscopus, quem velut cartusiæ Portarum fundatorem merito habere debemus. Huic successit Humbaldus, qui post octo annos ecclesiam monachorum, adjuvante Humberto Genevensi præsule, dedicavit. Raynaldus hujus successor et alii hujus celeberrimæ Ecclesiæ Antistites adhæc usque nostra tempora, tot tantaque suæ erga hanc domum et alias suæ diœcesis benevolentiæ argumenta præbuere, ut æternam a toto Ordine Cartusiensi laudem memoriamque mereantur. Petrus qui post præfatum Raynaldum sedem accepit, antecessorum beneficia confirmavit; Falco sæpius inter Portenses se recipiebat, sanctis eorum colloquiis animum suum recreaturus curis fatigatum episcopalibus; Guichardus dissidia cum vicinis oborta libenter componebat; Rainaldus II Ordinem Cartusiensem ab omni vectigali exemit; Guido de Melloto (non de Bellojoco ut scribit Severtius) Isabellæ de Melloto cartusiæ Vallis Profundæ fundatricis frater, Portarum Domum et Poletensium parthenonem suis beneficiis fovit; Aymarus de Rossilione Ordinem nostrum dilexit, et ab eo dilectionis remunerationem accepit precibus Ordinis in Chartis capitularibus commendatus; Guillelmus de Sure, ex qua gente Conversum habuimus Portarum professum, licet octo tantum annis sederit, tanta bona nobis contulit ut in quadam Charta capitulari hæc de eo dicta sunt: « specialiter commendamus Ordini R. in Ch. Patrem Dominum Archiepiscopum Lugdunensem amicum Ordinis, et pro eo orabitur. »

Severt. in addition. ad hist. Archiep. Lugdun.

Idem in Arch. Lugd.

Ex Ch. 1279.

Ex Ch. 1334.

S. HUGO CALESIEN. BONA CONCILIAT.

V. Eodem anno, S. Hugo suorum Calesiensium curam

semper habens, quemdam montem eorum eremo vicinum eis dari curavit, ut ex subjecto apparet diplomate in quo primorum hujus monasterii incolarum nomina describuntur : « Ego Aiminus, filius Guigonis de Cornilione, dono Deo et B. Mariæ semper Virgini et S. Johanni Baptistæ et Fratribus de Calesio totam alpem... Si quis igitur hanc donationem calumniare vel inquietare imposterum tentaverit, sicut Juda proditor noverit se excommunicationi subjacere donec pœniteat et ad emendationem veniat. Hujus donationis testes sunt ipsius loci Prior Gaufridus et Fratres ejus Guillelmus, Eymericus, Girbertus et Arveus. Iterum ex parte nostra Aymini donatoris sunt testes, Alnalquisius ministralis qui etiam quod videbatur habere et accipere in ovibus eorum dedit dictis Fratribus, et Adam filius ejus et Mallenus Rossetus. Cartam autem hanc laudavi et confirmavi ego Hugo Gratian. episcopus. Hæc donatio fuit facta anno ab Incarnatione Dom. Nostri Jesu Christi MCXVII, Indictione X, Epacta XXVI.

ANNUS 1117

Ex archiv. magno Cart.

JESU CHRISTI

ANNUS 1118.

Gelasii PP. II Ann. 1.	Ord. Cartus. Ann. 35.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 9.

PASCHALIS MORITUR.

Baron. ad hunc an.

Gelasius eligitur.

STEPHANUS BURGENSIS EX ORDINIS FUNDATORIBUS MORITUR.

Ex Ms. Domus Majorævi.

I. MILLESIMUS centesimus decimus octavus annus sequitur, Indictione undecima, quo Paschalis Papa decimo quinto Calendas Februarii carnis debitum solvit. Post quem eligitur Joannes patria Cajetanus, professione monachus Cassinensis, S. R. E. Diaconus cardinalis ejusdemque cancellarius, qui nomen Gelasii accepit.

II. Paulo ante Paschalem ad cœlos etiam evolaverat Stephanus Burgensis, qui fuit unus ex septem radiantibus stellis, quas Deus cum orbem crearet Cartusianum, in nostro posuit firmamento, ubi usque ad annum 1116 in magna vitæ austeritate et rerum terrenarum contemptu perseveravit. Quo tempore, postulante Pontio Majorævi fundatore, a Guigone Priore Cartusiæ ejusdem plantationis Protoprior constitutus, biennio post, officium eidem Pontio cedens, religiosissime obiit die 4 Januarii, ut in hujus Domus Calendario habetur. Sui tempore regiminis a multis Nobilibus et ignobilibus, quæ infra terminos ejusdem Domus habebant, vel pretio comparavit vel eleemosynæ intuitu gratis accepit, ut ex ejusdem Domus Chartulario patet. In Vita Beati Pontii, quam dabimus anno obitus illius, fit ejus mentio his verbis : « Fratribus Ordinis dictæ Cartusiæ, Fratri scilicet Stephano patrio sibi carissimo, uni ex septem primis eremitis Cartusiæ, pro Priore illuc misso cum duobus Conversis Bonofilio et Gaufrido, ad

cœnobium construendum contulit, etc. » Quidam Stephanus iterum præerat anno 1136 eidem cartusiæ, ut ibi videre est, quem quidam autumant esse alium Stephanum Diensem cognominatum in Vita S. Brunonis : quod licet non sit incredibile tamen asserere non audemus.

ANNUS 1118

S. GODEFRIDUS EPISCOP. AMBIANEN. MORITUR.

III. Circa hujus anni finem, nempe sexto Idus Novembris, Godefridus Ambianensium episcopus (de quo jam superioribus annis locuti sumus) diem obiit cum iterum Cartusiam petere vellet, ut testatur Nicolaus monachus, qui res ab eo præclare gestas tribus libris comprehendit, quique ejus a seculo migrationis seriem narraturus hæc præmisit : « Rursus autem adversus eum malevolorum et invidorum convitia et maledicta, versutæque machinationes extitere, ita ut tutus ei in illa regione nullus esset relictus locus. Rursus ergo meditatur fugam, rursus latebras inquirit, rursus juvat adire Cartusiæ montes. Is enim locus ejus animo maxime sedebat, nam de quodam Cartusiæ Fratre præclarum quiddam et memorabile referre solebat, quod toto triennio nunquam quacumque pressus necessitate manu verenda attingere voluerit, adeo castitatis fuit eximius cultor. Et eo sane quamprimum advolasset Godefridus, nisi vitæ finis jam propinquasset...... petere tum volebat nescio qua causa Remorum urbem, locuturus cum Radulpho archiepiscopo qui Viridis cognomen obtinuit. Præerat autem tum monasterio Sanctorum Crispini et Crispiniani quod apud Suessiones est, Odo abbas venerabilis (Fundator cartusiæ Montis Dei futurus) totius religionis et honestatis præcipuus cultor, qui illud monasterium a fundamentis instauravit et disciplina monastica egregie illustravit. Is ubi ipsis feriis horum Martyrum audivit Godefridum episcopum per Suessiones habere iter, mittit servos suos ut observent adventantem illum, cogantque ad Martyrum solemnitatem venire. Abeunt illi, venit Episcopus, etc. » Et inferius de morte ejus, quam in eodem monasterio Sanctorum Crispini et Crispiniani obiit, sic idem autor scribit : « Adveniente hora qua migraturus erat, Eucharistiam de manu Lisiardi Suessionensis episcopi accepit,

Vita ejus lib. 3. c. 23 et seqq. apud Sur.

ANNUS 1118

Fratribusque benedicens atque etiam valedicens, orat ut in domo quam Capitularem vocant, corpus ipsius sepeliant. Deinde extensis manibus et sublatis in cœlum oculis, spiritum reddidit Creatori. »

PORTARUM MONACHI PRIORATUS ORDINATI S. RUFFI AUTORES.

IV. His circiter temporibus novi Portenses eremitæ, in utriusque Stephani Ordinis S. Ruffi olim Canonicorum, sanctique Patriarchæ Brunonis postea discipulorum, ac cum eo nostri Instituti Fundatorum gratiam et memoriam, locum dictum *Ordinatum* suæ Domui proximum, Abbati ejusdem S. Ruffi Ordinis ad Prioratum ibidem constituendum ab illius loci possessoribus dari, precum suarum interpositu, obtinuerunt. Nec ingratus fuit Abbas, aut accepti officii immemor; cum enim missi ab eo Canonici concessi loci terminos contenderent intra Portarum limites extendi, ipse ad quem Cartusienses totam controversiam detulerant dirimendam, urbanitate se vinci non sinens suos jubet ad Portas pergere, nostrisque tanquam suis Patribus et Dominis sese subjicere. Neque his contentus, totius loci possessionem voluntati eorum atque potestati, suis literis ad nostrum Bernardum ejusque conventum scriptis, omnino permisit; partem illius quantulamcumque vellent novo Ruffensi Prioratui cedere, ab eis tanquam a propriis Dominis et sub his quas præscriberent conditionibus, libenter accepturus. Hujus pii Abbatis humilem comitatem et altam erga Portenses monachos reverentiam, ex subjectis literis lector melius agnoscet:

Inter utrumque Ordinem dissidium.

Ab ipso Abbate sedatum.

Ejusdem Abbatis ad nostros epistola.

Ex I. Cartulario Portar. fol. 65.

« Dominis et Fratribus de Portis, G. Abbas S. Ruffi dictus cum toto Conventu, intra Jerusalem portas gaudere. Admirabili et ineffabili omnium Creatori multiplices indesinenter referimus grates, qui illuminoso splendore vestræ cognitionis et dilectionis, nescimus qua sua providentia, nos irradiari voluit; pro cujus timore et amore locum Ordinatii contiguum et collateralem vestræ Domui, solo intuitu religionis nobis dari fecistis, ut juxta Religionem vestram secundum consuetudinem nostram regularius viveremus, et dulcissimum odorem vestræ sanctæ conversationis ibi sentiremus. Sed quia nobis inconsultis, quidam de Nostris irrationabiliter super

Ordinatum suo Ordini nostrorum interventu datum fatetur.

Suorum in nos jurgium improbat.

divisione et terminatione præfati loci calumniam faciendo, vos, ut audivimus, ad iracundiam provocaverunt, et contra jus et fas malum pro bono reddiderunt, et familiaritatem et affabilitatem nostram vobis fœtere fecerunt, nimis tristamur. Ea propter mandamus Fratribus, et mandando præcipimus, vobis plenarie satisfacere, et seipsos et locum, ablata omni calumnia, vobis reddere, et sicut Patribus et Dominis plusquam nobis obedire. Verumtamen de præfato loco consulimus ut vel totum retineatis, vel diligenter considerata necessitate et utilitate utriusque loci, vos sicut Patres et Domini, pro idoneitate et dignitate vestri Ordinis, quantumcumque placet de loco nobis dato irretractabiliter et sine omni calumnia in perpetuum pro velle vestro possideatis. Reliquum vero et quod daturi estis de jure vestro pro vobis et de vobis teneamus, et sub umbra et protectione alarum vestrarum nos et posteri nostri vobis obediendo in perpetuum vivamus. »

ANNUS 1118

Quanti faceret nostrorum amicitiam.

Posthac nihilominus eadem inter utramque partem recruduit discordia, quam propriorum Antistitum interventu et autoritate sedari suo loco videbimus. Erat tunc Ordinatii Prior Frater Joannes, qui eodem ferme tempore sigillum suum cum Umberto Inimontis Priore venditioni cujusdam prati nostris Portensibus factæ apposuit, testibus Willelmo Inimontis capellano et Dodone Sancti Ruffi Canonico. Porro etsi Canonici Ruffenses, qui Prioratus Ordinati fundatores fuerint ignorent, hos tamen fuisse Dominos de Briort hinc conjicio quod iidem Domini plures in eodem loco possessiones tenuerint, quarum magnam partem nostris Portensibus largiti sunt.

Idem Cartular. fol. 27.

JESU CHRISTI

ANNUS 1119.

Callisti PP. II Ann. 1.	Ordinis Cart. Ann. 36.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 10.

GELASIUS II MORITUR, ET CALLISTUS II SUCCEDIT.

Bar. ad hunc an.

I. SEQUITUR annus millesimus centesimus undevigesimus, Indictione duodecima, quo Gelasius Papa II apud Viennam Synodum congregavit, eaque transacta, post paucos dies, in monasterio Cluniacensi vitam præsentem in Domino finivit mense Januario, cum vix annum unum sedisset. Cui paulo post subrogatus est Guido Viennensis archiepiscopus, de quo superius non semel egimus, dictusque fuit Callistus II.

CONSECRAT ECCLESIAM S. ANTONII VIENN.

Sammarth. tom. 4. Gall. christ. in abb. S. Antonii.

Soffredus Prior cart. Excubiar. adest solemnitati.

Aym. Falco in Compend. Hist. Anton. c. 38.

II. Haud diu post suam electionem, majorem Abbatiæ S. Antonii ecclesiam, XIII Calendas Aprilis, consecravit. Cui solemnitati interfuit Soffredus, vir inter nos celebris, primus cartusiæ Excubiarum Prior, obtulitque Guigonis Cartusiæ Majoris nomine, capsam novam cypressinam, alii dicunt taxeam, ab eodem Guigone fabrefactam, in qua idem Summus Pontifex jussit includi Corpus S. Antonii, ex veteri capsa propterea extractum. Rem narrat Aymarus Falco his verbis: « Belziardo Priore ecclesiæ S. Antonii existente, prout antiquarum scripturarum testimonio comprobatur, autoritate beatissimi Callisti Papæ II quam plurimis magnæ autoritatis et nobilitatis viris convocatis, debita cum veneratione ac sub publico conspectu, certissima custodia adhibita, apertum fuit feretrum seu arca vel capsa antiqua ex Constantinopoli advecta, repertumque in ea venerandum Corpus sanctissimi Antonii una cum veste quadam, quam Pauli primi Eremitæ

fuisse nonnulli existimabant. Sigillatim itaque singulis ossibus Corporis dinumeratis super mensa altaris majoris, transpositum extitit ipsum sanctum Corpus in capsam novam quam vir summæ religionis et sanctitatis Soffredus, Prior Excubiarum sub Ordine Cartusiensi devotissime ac religiosissime vivens, propria manu simplicique artificio fabricaverat ex cypresso. Major autem et primaria Domus Cartusiæ tunc Prioratus Excubiarum vocabatur. » Hæc ille ; graviter tamen lapsus, cum dicit Majorem Cartusiam tunc Excubiarum Prioratum vocatam. Vidimus enim anno 1115, Excubiensem Domum a primaria Ordinis Domo prorsus aliam esse. Præterea in documentis quibus usus est, legens Soffredum adfuisse translationi capsamque obtulisse, illam ab eo fuisse elaboratam facile credidit. Denique cum Callistus hoc anno mense Februario Cluniaci creatus, electioni statim non consenserit, non immerito suspicari quis posset hanc consecrationem anno tantum sequenti factam fuisse. ANNUS 1119

III. Hujus etiam dedicationis ac ossium S. Antonii in novam capsam translationis, meminit auctor Vitæ S. Hugonis Lincolniensis episcopi, licet paulo secus quam Aymarus Falco. Sanctus igitur Hugo, cum sub finem vitæ suæ Matrem suam Cartusiam vellet invisere, ab itinere divertens, S. Antonii reliquias veneraturus in ejus Abbatiam se contulit. Qui vero ejusdem S. Hugonis Vitam scripsit, erat tunc illius itineris comes, qui propterea minutias quasque etiam recensens ejusdem capsæ a nostro Guigone fabrefactæ meminit. Sic autem habet : « Eremita noster [Sanctum Hugonem eremitam vocat licet Episcopum, quia Cartusiensis fuerat et solitarie quantum poterat vivebat] suos cupiens coeremitas invisere, congruo satis ordine nobilem illum Eremitarum Principem (Beatum dico Antonium) orationis gratia primo studuit visitare, et in illo in quo celeberrime colitur oratorio expetere, ac postmodum Christi militum cohortes, hujus instar eximii Ducis, observantes vastissimas eremi stationes adire. Divertit itaque dierum trium itinere ab eo quod ducebat Cartusiam, ad montem usque Dei, venitque ad montem S. Antonii ubi ignea

GUIGO CARTUSIÆ PRIOR CAPSAM S. ANTONII FABRICAT.

Vita S. Hug. Lincoln. ms. lib. 5. cap. 13.

S. Hugo Lincol. ad S. Antonium aliquando divertit.

ANNUS 1119

lux incendii gehennalis dum visibiliter extinguitur, quodam veluti naturæ suæ præjudicio cancellatur. » Deinde, postquam non pauca recensuit de miraculis ibidem quotidie patratis, et de corporis S. Antonii ex Ægypto in Delphinatum translatione ; addit : « Verum ne languidis ope sua indigentibus aut ipse (S. Antonius) deesset, aut solitarie degentibus ex confluentium multitudine importunus existeret, non præsentiam sui sed viciniam dilectis sibi accolis eremi (nempe Cartusiensibus) condonavit. Favoris tamen et amoris vitæ suæ quondam professoribus eximium prærogavit indicium, dum suas peculiariter reliquias viro prudentissimo Priori Cartusiæ Guigone tangendas et exosculandas indulsit. A quo ipsas transponi etiam ac in novam, quam idem vir de taxeis compegerat tabulis, reponi voluit capsam et solerti devotione recondi. Theca namque vetus in qua diutius quieverant ossa beata, non tam vetustate quam longa terra marique gestatione, dissuta fuerat et quassata. Auro autem vel argento aut metallo quoque seu lapide pretioso contegi, ornari, sive colligari cistam suam nunquam permisit ; nec clavus in ea quidem de materia hujusmodi potuit infigi, ut vel ad momentum inhæreret : adeo ambitionis in eo odium et paupertatis semel inolitus amor hodieque perseverat. Ad hujus itaque sanctissimam aram Hugo noster, episcopus quidem officio sed eremita proposito, divina quam devotissime celebravit. Thecam sane tam inæstimabilis thesauri consciam, eminus trabi suppositam vidimus, nec prope altare præeminentem sed parieti adhærentem, et præter morem sacrorum scriniorum quasi cujusdam abditi latibula foventem. »

Cartusienses S. Antonii imitatores.

Idem S. Ant. paupertatis post mortem amans.

AN GUIGO ACCESSERIT AD S. ANTON.

IV. Hæc ille : qui cum dicit S. Antonium reliquias suas Guigoni Priori Cartusiæ tangendas et exosculandas indulsisse, videtur innuere Guigonem ad eam Abbatiam accessisse, et ipsummet capsam ad recondendas easdem reliquias obtulisse. At contrarium infertur ex *Historia Antoniana* superius citata, quæ diserte narrat Soffredum adfuisse consecrationis solemnitati. Unde hæc præfati autoris verba sic videntur intelligenda, nempe Soffredum quasdam earumdem reliquiarum

particulas obtinuisse, Guigoni in gratiarum actionem elaboratæ capsæ offerendas; aut certe iste autor qui rem tantum ex auditu retulit, Soffredum cum Guigone confudit. Quidam ejusdem Ordinis S. Antonii Religiosus, haud ita pridem Antonianæ Historiæ synopsim scribens, multaque animadversione digna in Historia Aymari annotans, duo maxime arguit circa ea quæ superius ex eodem Aymaro exscripsimus. « Ibi enim, inquit, duo supponit Aymarus, quæ a veritate sunt aliena. Primum est quemdam Soffredum nomine, cartusiæ Excubiarum Priorem, devotionis erga sacram divi Antonii Reliquiarum capsam propriis manibus fabricasse; secundum vero, Majorem Cartusiam eamdem esse ac præfatam Excubiarum cartusiam. Nam quoad primum attinet, licet verum sit quemdam Soffredum cartusiæ Excubiarum alias extitisse Priorem, non tamen verissimile est eum esse qui capsam S. Antonii fecerit, cum translatio Reliquiarum in præfatam capsam facta recenseatur sub Callisto II, circa annum 1119; Soffredus autem ille multo post Prior extitit Domus Excubiarum, scilicet sub Adriano IV circa annum 1158, ut constat ex literis ejusdem Adriani IV ad eumdem datis, cum hac superscriptione : Adrianus Episcopus, dilecto filio Soffredo Priori et universis Patribus ecclesiæ S. Mariæ Excubiarum, etc. » Hæc ille; quæ verissima sunt quoad annum 1158, quo adhuc præerat Soffredus, ut certissime liquet ex Adriani IV literis. Præterea constat etiam eum præfuisse annis 1138, 1142 et circa 1155 quo adfuit primo Capitulo generali sub Basilio Cartusiæ Priore celebrato. Unde nihil impedit quominus præfuerit jam ab anno fundationis ejusdem Domus; sicut Bernardus Portarum Protoprior et fundator, suam per quadraginta et amplius annos Domum gubernavit. Suam in Aymarum animadversionem tuetur præfatus Antonianus ex loco Vitæ S. Hugonis superius exscripto, quem cum aliis quibus usus est testimoniis fatetur accepisse a Joanne Chauvet, almæ Cartusiæ tunc Scriba dignissimo. Verum hanc quamlibet dissonantiam conciliavimus, cum Guigonem nostrum supra diximus capsam

ANNUS 1119

Synop. hist. Antonian.

ANNUS 1119

quidem fabricasse, sed eam ad S. Antonium misisse per Soffredum Guigoni Desiderio, magno novi monasterii Antoniani benefactori et eidem Reliquiarum translationi tunc præsenti, optime notum ut ex fundationis Excubiarum notitia colligimus, in qua Franco et Mallenus filii ejusdem Guigonis Desiderii ab eodem Soffredo dicuntur, sese pro muro fortiter opposuisse contra Domus Excubiarum calumniatores. Denique in Bulla consecrationis a Callisto II concessa, inter testes legitur Sofred sive Sofredus qui videtur noster esse Excubiarum Prior.

CALLISTUS HUGONI GRATIAN. AMICUS.

V. Sed ad Callistum redeamus, qui rogatus a Guillelmo S. Theofredi Abbate (quem vidimus apud Cartusiam quasi unum ex nostris sub S. Brunonis regimine conversatum fuisse) controversiam dirimere, quæ inter ejus monasterium et Prioratum Vigiliensem orta fuerat, ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum cujus æquitatem optime noverat, totius litis compositionem deferre voluit, ut inde sancto Præsuli suaderet nihil in suo pristinis ex rixis insedisse animo; nec supremam dignitatem in eo minuisse mutuæ amicitiæ conservandæ studia. Bulla de hoc negotio data extat in præfatæ abbatiæ Cartulario sub hac forma :

V. supra in vita S. Brun. ad an. 1089.

Ex codice cl. v. Choreri.

Eum eligit cujusdam dissidii arbitrum.

« Callixtus, etc., venerabilibus fratribus Gratianopolitano et Diensi Episcopis salutem et Apostolicam Benedictionem. Fratres monasterii Sancti Theofredi, constituto a nobis termino pro Vigiliensis ecclesiæ controversia, nostro aspectui se præsentarunt. Nos pluribus negotiis impediti causam discutere non valuimus, idcirco eam sollicitudini vestræ commisimus finiendam. Præcipimus ergo fraternitati vestræ, ut in præsentia utriusque partis idem negotium usque ad proximam festivitatem S. Juliani, omni occasione postposita, canonico judicio terminetis. Quod si Prior Vigiliensis ad causam veniret ut judicibus repræsentetur, vos prædictos Fratres Sancti Theofredi, sicut ratio exigit, ecclesia in integrum revestite. Datum Privati, Cal. Maii. »

Quis ejus successor in Archiep. ex eodem codice.

In archiepiscopatu Viennensi Callisto sive Guidoni successit Petrus, qui filius Papiæ dicitur, et in quibusdam literis

ANNUS 1119

in gratiam Pontii S. Ruffi abbatis anno 1125 ab eo concessis, sic se inscribit : Petrus Dei gratia Viennensium archiepiscopus et Apostolicæ Sedis Legatus. Deinde confirmat « donum quod, inquit, fecit præfatæ ecclesiæ S. Ruffi prædecessor meus Guido venerabilis archiepiscopus Viennensis, de ecclesia S. Martini. » Petro successit Stephanus e sede Diensi translatus, quod scriptores hactenus latuisse credo : et circa an. 1128 præsens fuit in cartusia Sylvæ Benedictæ, ubi tanquam proprius Episcopus terminorum designationem suo sigillo roboravit ; et in Charta super his confecta dicitur : Stephanus Viennensis archiepiscopus qui prius extitit Diensis episcopus.

V. infra ad an. 1128 et 1129.

JESU CHRISTI

ANNUS 1120.

Callisti PP. II Ann. 2.	Ordinis Cartus. Ann. 37.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 11.

LANUINUS MAG. CALABRIÆ MORITUR.

I. MILLESIMUS centesimus vigesimus, decima tertia Indictione, annus sequitur quo Lanuinus, vir ille celeberrimus ac dignus sancti Brunonis in Calabriæ Domus regimine successor, ex hac vita ad immortalem migravit, die undecima Aprilis (ut constat ex hujus temporis Calendario), in sepulchro sanctissimi prædecessoris sui Brunonis depositus. Tempus mortis a Suriano refertur ad annum superiorem, quod fieri non potest; siquidem ipsum eodem anno mense Septembri adhuc vixisse probat Constantius noster ex privilegio quod ibidem reperit, a quadam nobili Domina, nomine Muriel, quæ se filiam dicit comitis Rogerii Magni, ipsi Lanuino in gratiam illius Domus concessum, scriptum vero præfato anno 1119, Indictione tertia decima, quæ tantum incepit mense Septembri ejusdem anni. Qualis porro fuerit Lanuinus, cujusque industriæ et probitatis, quantæque autoritatis et existimationis apud Summum Pontificem Paschalem et per totam Calabriam, luculenter exposuimus in iis quæ de ipso annis superioribus retulimus. Denique ad tollendum quorumdam scrupulum sive opinionem arbitrantium Lanuinum eum esse qui in vita S. Brunonis Lauduinus vocatur, et ab eodem beatissimo Patriarcha in successorem in Magna Cartusia constitutus est, præter ea quæ de utroque suis in locis diximus, quæque sole clarius manifestant duos fuisse penitus

Surian. in Chronotaxi ad vit. S. Brun.

Const. de actis S. Brun.

Alius a Lauduino Priore Maj. Cart.

distinctos, unum adhuc testimonium exhibeo ex Calendario citato in recuperatione Calabrinæ Domus reperto, in quo, teste Constantio, ad undecimam Aprilis ut dixi signatur « Magister Lanuinus », et ad quartam decimam Septembris « Lauduinus Prior Cartusiæ ».

ANNUS 1120

Constant. ubi supra.

II. Lambertus natione Burgundus, et ipse sancti Brunonis socius ut alibi diximus, de communi omnium consensu Magister Eremi post Lanuini obitum eligitur et confirmatur. Vir sane eximius observantiæ tenax, pauperum et religiosorum amator, monasticæ Disciplinæ studio celebris, qui ex zelo Religionis primus, etiam ante nostrum Guigonem, constitutiones edidit de Fratrum consensu qui et eas receperunt præsente Sanctæ Euphemiæ Abbate, illo scilicet quem Lanuinus ex Paschalis II mandato eligi fecerat vel constituerat, ut suo diximus loco. Harum constitutionum duæ partes erant, una pro anachoretis, altera pro cœnobitis : quarum fragmentum a nostro Constantio e pulvere erutum his inserere Annalibus perquam utile arbitramur, cum quibusdam necessariis ad singulos articulos observationibus. Ejus titulus sive inscriptio talis est a quodam alio forsan edita, ut per se patet.

LAMBERTUS EJUS SUCCESSOR.

Vide sup. ad an. 1104. n. 2.

Pro Anachoretis Articulus primus

III. Hæc est Constitutio vitæ et [a] Consuetudinum [b] Eremitarum, quam Magister Lambertus concedentibus omnibus Fratribus tenere constituit in Eremo, [c] in præsentia Domini Hu. Abbatis de Sancta Euphemia : videlicet ut illi de Cellis [d] jejunium continuum et [e] continuum teneant silentium, sicut melius tenebatur in diebus Magistri Brunonis, nisi Magistro aliter jubente fractum fuerit. Non solum utique in Cellis, sed a [f] Cellis in eundo ad Monasterium vel alicubi, et in redeundo, et in operibus faciendis, nisi fractum fuerit aut jussu Magistri aut Celerarii.

CONDIT STATUTA PRO ANACHORETIS.

Continuum jejunium ac silentium.

Notæ et Observationes

[a] *Consuetudinum.* Sic et noster Guigo Statuta sua Consuetudines Cartusiæ postea inscribet. Lambertus vero vocans

ANNUS 1120

eas « Constitutionem vitæ et Consuetudinum, » videtur non distinguere inter Statuta et Consuetudines.

[b] *Eremitarum*. Hoc nomine simul designat anachoretas et cœnobitas; sicut et *eremi* nomine intelligit utrumque monasterium a sancto Brunone constructum, videlicet Sanctæ Mariæ et Sancti Stephani, quod in eadem eremo situm erat. Id enim indicat, cum dicit quod has Consuetudines, « concedentibus omnibus Fratribus, teneri constituit in Eremo ». Cum igitur tam pro anachoretis quam pro cœnobitis Constitutiones condat, dicatque omnes Fratres concedere ut illæ teneantur sive observentur in eremo, singulos quosque his verbis comprehendi perspicuum est.

[c] *In præsentia Domini Hu. Abbatis de Sancta Euphemia.* Hic Abbas videtur idem esse de quo in Bullis Paschalis Papæ anno 1104, ubi per easdem litteras, nempe Hu., illius nomen designatum legimus; vocabatur vero Hubertus, sicque se subscripsit in Bullis consecrationis ecclesiæ Catacensis anno 1122 datis. « Hubertus Abbas Sanctæ Euphemiæ. »

Tom. 9. Ital. Sacr. in Epp. Catacen.

Quid contin. jejunium.

[d] *Jejunium continuum.* Non ita stricte hæc verba debemus interpretari, ut eos credamus jejunium nunquam solvisse. Nam contrarium patebit infra, ubi multos dies videbimus binæ refectioni fuisse destinatos. Imo hujusmodi jejunium ex Superioris pendere arbitrio innuitur, cum paulo post subditur : « nisi Magistro aliter jubente fractum fuerit. »

Quid silentium.

[e] *Continuum silentium.* Intellige silentium nunquam frangi debere, nisi ex Superioris licentia, ut statim infra subditur, « nisi fractum fuerit aut jussu Magistri aut Celerarii »; sicut etiamnum rigide inter nos observatur juxta Guigonis Consuetudines, quibus passim prohibetur ne quis sine licentia cum quoquam loquatur, nisi in casu extremæ necessitatis; obtenta enim licentia se invicem in cellis visitare aliquando poterant, ut ex Guigonis Statutis colligimus: « quod si ex nostris, inquit, ad cellam venerit aliquis volens loqui nobis, interrogatur prius si Prior jusserit, aliter ad colloquium non recipitur. »

[f] *A Cellis in eundo ad Monasterium.* Per Cellas significat locum sive Eremum Beatæ Mariæ, de quo inferius articulo 2 dicit: « si qui Fratrum de Cellis ibi (ad cœnobium) descenderint »; et articulo 4: « Constitutum fuit ut apud Sanctam Mariam Monachi benedicantur »; et articulo 7 pro infirmis: « Magister apud Sanctam Mariam in Cella assidue maneat. » Per monasterium, Constantius noster intellexit cœnobium Sancti Stephani, de quo fit mentio articulo 6, ubi Lambertus statuit ut « Fratres de Sancto Stephano reficiant sicut præcepit Beatus Benedictus. » Sequitur in fragmento:

ANNUS 1120

Item Lambertus pro Cœnobitis Articulus secundus

STATUTA PRO CŒNOBITIS.

IV.[a] In inferiori autem cœnobio constitutum est [b]silentium teneri, sicut in regularibus tenetur monasteriis. In [c] Quadragesima, videlicet secunda, quarta et sexta feria. [d] Missa vero mortuorum ibi quotidie celebretur; quoniam ibi cœmeterium Fratrum habetur. Delinquentium vero Fratrum cœnobii inferioris Capitulum, quod quotidie tenetur coram Priore cœnobii corrigatur. [e] Si qui autem Fratrum de Cellis ibi descenderint misericordiæ causa, et per tres aut quatuor dies steterint, si ibi deliquerint, eorum errata coram Priore ibi corrigantur; si vero in transitu contingat errare in aliquo [f] Fratrem de Cellis, coram Magistro emendetur aut coram eo de quo Magister jusserit.

Missa pro defunctis quotidiana.

Notæ et Observationes

[a] *In inferiori autem cœnobio.* Fit distinctio Domus inferioris, quæ est sancti Stephani, exemplo Domus Cartusiæ quæ primis temporibus, sicut et nunc, habebat Domum inferiorem quæ modo vocatur Correria. Inter utramque tamen hæc erat differentia, quod scilicet a fundatione Ordinis soli Conversi in nostra Correria morantur cum Procuratore, qui ideo vocatur Correrius; Domus vero inferior Calabriæ a Monachis habitabatur.

[b] *Silentium teneri sicut in regularibus tenetur monasteriis,* id est juxta Regulam sancti Benedicti; nam ad eam observandam nostros Calabriæ cœnobitas, Paschalis II autoritate,

ANNUS 1120

Lanuinus astrinxerat, ut ex ejusdem Papæ literis suo loco datis videre est.

[c] *In Quadragesima, etc.* Ibi quædam videntur desiderari ; nec enim possunt referri ad silentii custodiam, quæ frequentior est in Benedicti Regula.

[d] *Missa vero Mortuorum ibi quotidie celebretur.* Idem hodie observatur in singulis Ordinis Domibus. Guigo noster unam tantum Missam pro defunctis per singulas hebdomadas decantandam ordinavit : « per singulas, inquit, hebdomadas tam pro eis (Benefactoribus), quam pro omnibus hujus loci habitatoribus, et universaliter pro cunctis fidelibus Defunctis ab hebdomadario, æstate ante Primam, hyeme post, Missa una cantatur. » Sed quia superius declaraverat quod « semper anniversaria in Conventu Missa celebraretur » pro quolibet Monacho vel Laico sive Converso in eadem Domo defuncto ; quæ quidem Missa anniversaria, juxta Guigonis mentem per Capitula generalia explicatam, debet esse perpetua ; hinc factum est ut successu temporis, crescente in Ordine Domorum numero, qualibet anni dies suam habuerit Missam anniversariam. Et temporibus Basilii, qui annis quindecim post Guigonem Prior electus est Cartusiæ, jam ibidem habebant nonaginta Anniversaria, tum pro Monachis tum pro Conversis qui in Cartusia ab ejus origine obierant. De Missis sive conventualibus sive privatis raro vel frequenter celebrandis alibi agemus.

Consuetud. Guigon. cap. 14. num. 1 et 4.

[d] *Quoniam ibi Cœmeterium, etc.* His verbis conjiciendum videtur cœmeterium nullum fuisse in Eremo Beatæ Mariæ sive in superiori Domo, Fratresque ibidem morientes ad cœnobium Sancti Stephani transportatos fuisse in illius cœmeterio sepeliendos. Sed non ita erat apud Cartusiam et alias Ordinis Domos, ubi superior Domus suum habebat cœmeterium, ut etiamnum habet, ubi Personæ Ordinis sepeliantur ; sed primis temporibus nullum erat in Domo inferiori, ubi cum aliquis famulus vel extraneus moriebatur ad vicinam parœciam sepeliendus portabatur, usque ad annum 1300 quo a Summo Pontifice licentia concessa fuit habendi aliud

in Domo inferiori cœmeterium, ubi extranei sepulturæ traderentur, ut fusius eodem anno dicemus. ANNUS 1120

[e] *Si qui autem Fratrum de Cellis ibi descenderint misericordiæ causa, et per tres aut quatuor dies ibi steterint.* Idem licebat per Guigonis Consuetudines, ut videre est capitulo 17 per totum, sed hujusmodi solatium justis de causis modo rescissum est.

[f] *Frater de Cellis coram Magistro emendetur.* Patet ex hoc articulo quod Domus Sanctæ Mariæ regebatur per Magistrum, qui ideo *Magister Eremi* dicebatur; Domus vero S. Stephani per Priorem et Celerarium juxta S. Benedicti Regulam.

Item Lambertus pro Conversis Articulus tertius

STATUTA PRO CONVERSIS.

V. Conversi in claustro et in cellis semper tenant silentium, et a Vesperis usque ad auditam Primam, et in claustro et in cellis et ubique silentium teneant perpetuum.

Idem passim sancitur in Guigonis Consuetudinibus, et cum omnibus Regulis convenit; ex hoc etiam articulo colligimus Calabriæ Conversos suum claustrum suasque cellas habuisse, sicut in Majori Cartusia.

Item Lambertus pro Anachoretis Articulus quartus

PRO ANACHORETIS.

VI. Præterea constitutum fuit ut apud Sanctam Mariam et monachi benedicantur, et [a]professiones fiant, et fugitivi reconcilientur, et [b]Præpositus Metabri constituatur et Domus Apostolorum de Stilo tantum; nisi [c]necessitate grandi factum sit. Reliquas vero [d]obedientias ordinet Magister quocumque fuerit.

Notæ et Observationes

[a] *Professiones fiant apud Sanctam Mariam.* Id ita constituitur, quia per literas Paschalis II, quas habes suo loco, decretum fuerat « ut Fratres qui convertuntur a seculo, primum in Metabri Cella probentur »; sed ubi professionem emitterent non fuerat statutum. Idem tempore Guigonis observa-

ANNUS 1120

batur quoad Conversos tantum, qui in Domo quidem inferiori probabantur, sed in superiori professionem faciebant.

De Præposito Metabri.

[b] *Præpositus Metabri, etc.* Jam observavimus articulo 2, Eremum Sanctæ Mariæ per Magistrum fuisse gubernatam, Cœnobium vero S. Stephani per Priorem : et hic constituitur Cellæ Metabri Præpositus, quam educandis monachis deputaverat Lanuinus ut alibi diximus ; sed postea vel ipse vel Lambertus S. Stephani Cœnobium ad id aptius censuerunt, relicto tamen Præposito cum paucis monachis in loco Metabri, et in Domo Apostolorum de Stilo. Et id quidem ad sanctorum Abbatum imitationem, ad quos cum ex suæ sanctitatis fama multi discipuli confluerent, ut docte observavit Menardus, « nec eos sui monasterii augustiæ caperent, non longe a monasterio atque etiam aliquando procul, Cellas seu monasteriola ædificabant, ad quæ redundantes monachos, sub suo tamen regimine victuros, mittebant ; unde sumpsere initium Cellæ illæ, quas Prioratus, Obedientias, seu Præposituras vocant. Et in his cœpit monasticæ disciplinæ ruina. Quamobrem S. Bernardus Garinum Alpensem laudat, quod « Synagogas Satanæ, id est, cellulas extra cœnobium, in quibus tres vel quatuor Fratres sine ordine, sine disciplina habitare solent, destruxisset. » Quod sane de parvis monasteriis merito etiamnum dici potest.

V. an. 1114.

Menard. in notis ad cap. 29 Regulæ S. Benedicti § 8.

S. Bern. Ep. 254.

[c] *Nisi necessitate, etc.* Hæc verba obscura sunt, ad quorum sensum perficiendum aliqua videntur desiderari.

[d] *Reliquas vero obedientias, etc.* Obedientiæ verbum varie accipitur : 1. pro ipsa virtute quam vovent monachi ; 2. pro muniis et officiis quibuscumque, quæ in monasteriis jubente Præfecto exercentur ; 3. pro schedula illa, quam superiores suis Religiosis itinerantibus vel alio migrantibus tradunt, in signum non contemptæ stabilitatis et ad distinctionem gyrovagorum ; 4. pro villa seu prædio, cujus cura committebatur cuidam monacho, rationem nihilominus de receptis reddituro. Quæ quidem Obedientiæ, sicut et Cellæ de quibus supra, postea in beneficia mutatæ sunt, non in modicum utriusque status monastici detrimentum. At ne tantum ma-

lum etiam inter nos lapsu temporum irreperet, prudenter Capitulum generale anni 1678, juxta speciale Mandatum a Sanctissimo Domino Innocentio X sub data Romæ 20 Decembris anno 1652 obtentum, prohibuit omnino ne Domorum Ordinis Officiales fixum in quibuscumque grangiis aut obedientiis extra monasterium habeant domicilium, sed tantum illuc accedant, ibique remaneant quantum negotia ibidem ab ipsis personaliter gerenda aut dirigenda requirunt, et non amplius. Amplam inde factam Ordinationem habes insertam cap. 24, secunda Novæ Collectionis Statutorum parte.

ANNUS 1120

Item Lambertus pro Anachoretis Articulus quintus

PRO ANACHORETIS.

Jejunium diebus festis in Adventu.

Duæ abstinentiæ singul. Ebdom.

VII. [a]Notandum est quod si in Adventu Domini dies contingat festiva, Fratres non reficientur nisi semel, exceptis diebus Dominicis. [b]Ab Idibus igitur Septembris usque ad Adventum Domini, constituit Magister Bruno ut in quarta et sexta feria consuetudinaliter jejunium teneretur in pane et aqua; [c]secunda autem et septima feria habeant Fratres unum pulmentum et vinum; [d]tertia vero et quinta duo pulmentaria cum pitantia, si fuerit unde. [e]Ab Adventu Domini, prius deposito caseo et ovis usque ad Natalem Domini, secunda et quarta et sexta feria in pane et aqua; sabbato vero vinum habeant, et pulmentum unum; tertia vero et quinta feria duo pulmenta et vinum. [f]In Natale vero usque ad Octavas bis reficiant in refectorio, sicut ubique habetur in consuetudine. Ab Octavis Domini usque ad Octavas Epiphaniæ, semel reficiant Fratres in cellis, excepto die Epiphaniæ, et festis duodecim Lectionum si intervenerint. Ab Octavis vero Epiphaniæ usque ad caput Jejuniorum, quarta et sexta feria in pane et aqua. In Septuagesima, caseo deposito et ovis, in Solemnitatibus, si quæ contigerit infra hunc terminum semel reficiant, [g]excepto Beatæ Mariæ Candelabricæ. Si contingat festum duodecim Lectionum extra Septuagesimam, bis reficiant; si autem ultra, semel reficiant.

Tres in quadragesima.

A capite Jejuniorum tres in hebdomada in pane et aqua usque ad Pascha, sicut in Adventu Domini; et in Adventu Domini sicut in Quadragesima, excepto die Cœnæ Domini, et cæteris festis diebus in quibus debent refici in refectorio. A Pascha usque ad Octavas, bis reficiant Fratres in refectorio sicut in festis diebus Natalis

ANNUS 1120

Domini. [b]Ab Octavis Paschæ usque Pentecosten, vino et pulmento cum aliqua pitantia si fuerit unde, semel reficiant Fratres per quatuor dies hebdomadæ; tertia vero et quinta feria bis reficiant, excepta Letania Majore et Rogationibus, in quibus debent semel refici Fratres.

** Id est per totas Octavas.*

In festo Octavarum Pentecostes* in refectorio reficient Fratres sicut in Festo Paschali, exceptis jejuniis quatuor Temporum quæ infra dies Festos Pentecostes contingunt, in quibus semel in refectorio reficient, caseum habentes et ova. Ab Octavis vero Pentecostes usque ad Idus Septembris, tertia et quinta bis reficient Fratres; reliquis autem quatuor diebus reficient, sicut ab Idibus Septembris usque ad Adventum Domini. Notandum autem quod hoc tempore remissius agebat Magister circa Fratres, pro qualitate temporis et laboris et ægritudinum.

Notæ et Observationes

[a] *Notandum est quod si in Adventu Domini, etc.* Idem semper apud nos observatum.

Totidem per totum annum a Guig. instituta.

Cons. Guig. cap. 33.

[b] *Ab Idibus igitur Septembris usque ad Adventum Domini, constituit Magister Bruno ut in quarta et sexta feria consuetudinaliter jejunium teneretur in pane et aqua.* Sed juxta Guigonis nostri Consuetudines, secunda, quarta sextaque feria pane et aqua et sale si cui placebat, antiqui Cartusienses contenti erant. An igitur discipulus dicendus est magistro fuisse contrarius vel eo austerior, qui juxta nostrum Lambertum duas tantum abstinentias suis Calabris monachis constituit? Minime certe, nam et sanctum Brunonem harum trium abstinentiarum autorem in Cartusia fuisse, imo et ipsum in Calabria degentem easdem observasse credimus. Sed sicut juxta mentem et doctrinam ipsius suis Cartusiensibus relictam, Guigo in eisdem Consuetudinibus declaravit in potestate esse Prioris, subdito « pitantiam aliquam seu cibi, seu somni vel alterius cujuslibet rei faciendi sive concedendi, aut durum et grave aliquid imponendi, » et ideo abstinentias injungendi vel prohibendi; ita et sanctus Bruno, qui ut par est credere, eumdem abstinentiarum rigorem suis Calabris primum imposuerat, potuit justis ductus rationibus aliquantulum postea

An Guigo S. Brunoni contrarius?

Ubi supra cap. 35.

ANNUS
1120

de tanto rigore remittere ; duas tantum ab Idibus Septembris ad Adventum injungendo, tres vero in qualibet hebdomada Adventus et Quadragesimæ, ut in præfato articulo videre est, ubi sub finem dicitur etiam, « quod hoc tempore remissius agebat Magister circa Fratres, pro qualitate temporis et laboris et ægritudinum. » Ex quibus verbis liquet, sanctum Patriarcham discretioni Superiorum reliquisse immunitatem ab hujusmodi austeritatibus. Hanc etiam remissionem circa jejuniorum severitatem aliquando Guigonem admisisse, discimus ex Vita sancti Godefridi Ambianensis episcopi, cujus autor ejusdem Sancti æqualis, monachorum Cartusiæ mores et instituta summatim describens duarum tantummodo abstinentiarum meminit : « Guigo, inquit, ei (Godefrido) cellulam attribuit ; separatim enim degunt. » Et post pauca : « quarta et sexta feria pane et aqua victitant. » Quando igitur postea Guigo in suis Constitutionibus tres assignavit abstinentias, videtur attendisse ad fortiores monachos ; nec propterea discessit a regulis discretionis juxta quas, ut diximus, dat Superioribus potestatem eas moderandi vel augendi : et sicut jubet ut Novitius « blande leniterque maxime tractetur inprimis, nec ei totam subito institutionis asperitatem subire concedatur, sed paulatim, et ut ratio vel necessitas postulare videtur ; » ita probabile est eum voluisse ut discrete ageretur cum monachis, qui post professionem tantam abstinentiarum asperitatem justa ex causa ferre non valebant. Quam ob rem sub illius vitæ finem aut certe paulo post, nempe sub regimine Basilii viri sanctissimi, hujusmodi abstinentiæ in pane et aqua ad eum redactæ erant numerum, quo eas fuisse vidimus supra tempore Lamberti, tertii post sanctum Brunonem in Calabria successoris ; ita ut nostri non tenerentur ad tres abstinentias, nisi Adventus et Quadragesimæ temporibus.

Ead. austeritas a Guigone remissa.

Lib. 3. c. 8. apud Sur. 8 Novemb.

Ubi supra cap. 22. num. 4.

Tempore Basilii in Adventu et in Quadrag. tantum servata.

Id etiam patet ex Vita sancti Hugonis Lincolniensis qui fuit Basilii discipulus, de quo auctor coævus agens de ejus austeritatibus quibus ante episcopatum suam carnem perdomabat, sic loquitur : « Nihil omittebat de austeritate quam communis regula et Majorum admittebant exempla, peculia-

Idem tenetur a S. Hugon. Lincoln.

Vita S. Hug. ms.lib.1.c.12.

ANNUS 1120

ria etiam quam plura supererogare non desistens..... In omni Quadragesimæ septimana tres ferias in aqua et solius panis edulio, nullo penitus condimento adhibito nisi forte salis adderetur prælibatio, transigere consuevit. In ultima hebdomada, sabbati adjiciebatur observantia in simili dieta. Nunquam debilitas aut infirmitas, seu casus alius ante sumptum episcopatum, alio cibo vel potu illud quatriduum eum compulit aliquatenus relaxare. » Cum igitur hic autor præsertim designet sanctum Hugonem tres in qualibet Quadragesimæ hebdomada abstinentias observasse, idque eum fecisse juxta « communem regulam et Majorum exempla », hinc liquet tres hujusmodi abstinentias tunc temporis per totum annum jam non fuisse in usu apud omnes, nisi forsan apud quosdam robustiores quos Prior ad tantam austeritatem ferendam satis validos, et ex speciali quadam gratia vocatos censebat. Cumque etiam quidam ferventiores discretionis metas viderentur transgredi, prohibitum est sub Jancelino, ne ullus Prior vel subditus faciat abstinentias præter generaliter ordinatas. Abstinentiarum loco, jejunia juxta morem Ordinis substituta sunt; ita ut feriis secunda et quarta, etiam æstiva tempestate, semel tantum comedere liceret ejusdem Jancelini tempore, sub quo statutum legimus: « Ne æstivo tempore secundæ et quartæ feriæ jejunia omittantur omnino, exceptis infirmis et valetudinariis, debilibus, senibus et minutis, circa quos, sicut ei videbitur, Prior poterit dispensare. » Nihilominus ut aliqua antiquæ austeritatis vestigia semper remanerent, idem Jancelinus sequentem admonitionem a Capitulo generali fieri obtinuit: « Admonemus Priores, ut diebus abstinentiæ deputatis semper ab aliquibus ordinem faciant observari, nisi occasiones occurrant pro quibus de consuetudine abstinentias solvere solemus. »

Ordination. Cap. gen. sub Jancel.

Abstinentiæ fer. 2 et 4, in jejunia Ordinis mutatæ.

A quibusdam semper servandæ.

In Vita sancti Stephani Domus Portarum professi, et postea episcopi Diensis, legitur: « cum tres abstinentias in pane, aqua et sale singuli Fratres hebdomadibus singulis juxta Ordinis constitutionem facere tenerentur, cum ipse Ordinis abstinentias ultra alios rependeret cum usura, vix in ejus

Vita ms. S. Steph. et apud Sur. 7 Sept.

mensa pro majori tempore non poterat reperiri nisi panis et aqua. » In quibus verbis notandum est hujus Vitæ autorem, qui eam diu post sancti Stephani mortem composuit ut suo loco probabimus, respectum habuisse ad Guigonis Consuetudines, quibus tres illæ abstinentiæ præscribuntur ; non vero ad usum tunc temporis receptum. Quo quidem usu, ut diximus, jam solis monachis ferventioribus hæc austeritas permittebatur, qua minus robusti immunes erant. Id nobis innotescit ex alterius Stephani, dictæ Domus Portarum professi, et Domus Bellilarici Protoprioris Vita, qui in Ordine vixit ab anno circiter 1165 ad annum 1217. Hic enim vir sanctissimus factus senex, cum jubentibus Superioribus a lege abstinentiarum solutus esset, jam morti propinquus, « quosdam de astantibus Monachis, inquit autor Vitæ illius, qui quamvis ad abstinentias et vigilias faciendas fortes essent et fervidi, circa tamen senum et debilium necessitatem minus plene seduli existebant, exhortabatur, etc. » Hanc porro immunitatem, jubentibus maxime Summis Pontificibus, a nostris admissam fuisse colligimus ex verbis Henrici Calkaris et Werneri Rolwinkii, quæ jam alibi retulimus. Cur vero hodie tam perdifficiliter nostris hujusmodi abstinentiarum usus conceditur, rationem fuse reddit Reverendus Pater tomo I horum Annalium.

Ex Chron. ms. Dom. Bellilar. in vita Steph. Prior.

V. an. 1084. num. 43.

[c] *Secunda autem et septima feria habent Fratres unum pulmentum et vinum*. Septimam feriam vocat sabbatum. Pulmentum pro quovis obsonio communiter accipitur, sed hoc loco videtur significare pitantiam leguminum, herbarum vel similium rerum, juxta Consuetudines Guigonis qui sabbato concedit legumina vel aliquid hujusmodi.

Cons. Guig. cap. 33.

[d] *Tertia vero et quinta duo pulmentaria cum pitantia, si fuerit unde*. Pulmentaria idem est quod pulmentum. Per pitantiam videtur hic intelligi pisces, ova, caseum et alia similia, ut ex Guigonis consuetudinibus loco citato conjicere licet, ubi feria quinta præter legumina conceditur caseus vel aliquid cibi lautioris. Cibum vero lautiorem nominat pisces, ova et alia similia, ut inferius eodem loco exponit dicens : « de caseo

ANNUS 1120

namque, seu piscibus aut ovis, vel si quid ejusmodi quæ pitantias vocamus, semel sumimus; quod superest reddimus. »

Ubi sup. cap. 33. num. 8.

[e] *Ab adventu Domini prius deposito caseo, etc.* Idem habetur in præfatis Guigonis Consuetudinibus.

[f] *In Natale vero... bis reficiant in Refectorio, etc.* Ex hoc loco et aliis subsequentibus colligimus eos diebus tantum festivis refectorium frequentasse; aliis vero diebus in cella cibum sumpsisse, juxta morem a fundatione Ordinis ad hanc usque diem inter nos observatum.

[g] *Excepto Beatæ Mariæ Candelabricæ.* Id est festum Purificationis Beatæ Virginis Mariæ, quod passim Festum Candelarum dicitur.

[h] *Ab Octavis Paschæ usque Pentecosten, etc.* Ex his verbis apparet nullam toto hoc tempore factam fuisse abstinentiam, siquidem per quatuor dies hebdomadæ, nempe feriam secundam, quartam, sextam et sabbatum, vino et pulmento cum aliqua pitantia utebantur ; et feriis tertia et quinta, bis reficiebant, ut ibi designatur. In hoc remissiores quam in Cartusia, ubi etiam prænotato tempore abstinentiæ tenebantur; sicut etiam hodie in toto Ordine feria sexta per totius anni decursum fieri debet abstinentia. Cætera quæ per totum articulum disponuntur, multam habent cum Guigonis Consuetudinibus convenientiam.

Item Lambertus pro Cœnobitis Articulus sextus

PRO CŒNOBITIS.

VIII. Fratres vero de Sancto Stephano, a Pascha usque ad Adventum Domini reficiant, sicut præcepit beatus Benedictus, exceptis Rogationibus et Litania Majore in quibus semel reficiunt. In Adventu Domini feria sexta in pane et aqua; secunda et quarta feria, vinum habeant et unum pulmentum. A Natali usque ad Octavas Epiphaniæ bis reficiant, excepta vigilia Epiphaniæ. Ab Octavis Epiphaniæ usque ad Septuagesimam semel reficiant, exceptis festis duodecim Lectionum. In Septuagesima bis non reficiant in aliquo festo, excepto festo sanctæ Mariæ. In Quadragesima reficiant sicut in Adventu Domini.

Sunt multa in hoc articulo congruentia sancti Benedicti Regulæ. ANNUS 1120

Item Lambertus pro infirmis et cura Magistri
Articulus septimus

IX. In Domo autem infirmorum semper sit religiosus et pius Monachus, qui infirmos custodiat paterno affectu et vigilanti custodia; et habeat secum clientes secundum quantitatem infirmorum, qui cum timore Dei et humilitate sine pigritia infirmis ministrent. Sic autem sint custoditi infirmi, ut nihil eis desit, sed quæcumque postulaverint velociter habeant et sine mora. A Priore autem et Fratribus sæpius visitentur. In camera vero Magistri aliquis Fratrum sit statutus qui eam custodiat et Magistro serviat. Denique ipse Magister apud Sanctam Mariam in Cella assidue maneat. Et si causa necessitatis apud S. Stephanum descenderit, cum Fratribus in refectorio sæpius reficiatur, nisi hospitem habeat vel hora non permiserit. Cum non longe equitaverit, quinque ducat equitaturas vel minus si potest. Si autem longe, septem vel novem. PRO INFIRMIS.

Observationes

Quod in hoc articulo de infirmis disponitur videtur spectare tum anachoretas tum cœnobitas. Quæ vero de Magistro decernuntur, a simplicitate quam Priores Cartusiæ hactenus sectati sunt multum discrepant. Unde ea crederem ab aliquo ex Lamberti successoribus his Statutis fuisse postea inserta.

Hactenus ex fragmento Constitutionum Lamberti, cui præterea sed perperam attribuunt quamdam alteram Constitutionem pro infirmis, cujus verus autor est Guido Magister Eremi, de quo dicemus ad annum 1180.

X. Circa hoc tempus, mortuo Gaufredo Calesiensium Eremitarum Protopriore et antesignano, orbati Fratres, tum ex morte pastoris tum ex vicinorum variis vexationibus fracti ac consternati, locum deserere voluerunt. Quo audito Guigo Albonis comes et uxor ejus Mathildis, interposita Fratrum Cartusiensium (quos aliquid juris in Calesienses habuisse CALESIENSES ABIRE VOLUNT.

ANNUS 1120

alibi diximus) autoritate, eos ne abirent prohibuere, ut ex sequenti inde confecto instrumento apparet :

Ex arch. mag. Cart.

« In nomine Domini. Ego Vuigo comes et uxor mea nomine Mahiot communi consilio retinuimus Heremitas de Transacu, qui omnia sua vendiderant et volebant ire propter pacem quam non habebant de vicinis suis. Et ego mandavi eis per Guillelmum de Briencum et Petrum Randan, et multum precatus sum pro amore Dei ut haberent misericordiam de me, et non moverent se de terra mea, quia ego facerem eis pacem de omnibus quæcumque vellent. Et cum respondissent se non posse remanere quia annonam suam et omnia vendiderant, dixerunt nuncii quod ego jurabam de illis hominibus, per quorum irritationes ire volebant, me facturum talem vindictam quod si invenirentur in illa terra de qua Heremitæ recedebant, pedes vel pugnos sive oculos perderent et nunquam in terra sua hæreditarent. Propter tanta mala quæ audierunt, consenserunt Fratres illi ut ego irem in Cartusiam, et sicut boni homines illi laudarent, isti facerent. Ego eram infirmus et non potui ire, sed transmisi Vuigonem Chalnes et Petrum Randan qui audirent quid isti quærerent, et quid Cartusienses laudarent. Isti quæsierunt pacem de vicinis suis, ut nullus homo cæderet silvam eorum neque transiret per terram illorum, neque bestia aliqua pasceret per pascua eorum. Hoc totum promisi me facturum ; et transmisi uxorem meam ad monasterium Sancti Desiderii, quæ fecit homines suos venire et quicquid excambiandum erat excambiavit... Ex alia parte Johannes de Podio excambiavit, et insuper dedit eis prata et silvam, etc. Hanc donationem laudavi ego cum uxore mea et filiis. Et hoc promitto quod in perpetuum tenebo. Et volo ut sicut ego promisi pacem Heremitis cum eos retinui, ita successores mei teneant. »

Guigonis com. precibus retinentur.

Cartusienses consulunt.

Ibidem perseverant.

In hac igitur domo et sub eodem instituto, moribus Cartusiensium consimili, per quadriennium adhuc perseveraverunt, donec Bernardus eorum Prior, qui Gaufredo successerat, in Abbatem autoritate S. Hugonis promotus et a Summo Pontifice confirmatus, aliam vitæ formam a Benedictinorum usibus

non multum discrepantem induceret. Interea S. Hugo eorumdem Fratrum quieti semper studens, multa bona in eorum gratiam a vicinis Nobilibus obtinuit scilicet : ab Odone de Voirone et uxore ejus Teta et eorum filiis Burnone, Amedeo et Ademaro; a Petro Randano et filiis ejus Othmaro, Guigone, Odone et Desiderio; et præsertim « a Magistro Othmaro, Ecclesiæ Gratianop. Canonico, qui quamdam vineam dedit cum Falcone patre ejus et Jarentone nepote ejus in manu ejusdem S. Hugonis, qui cartam donationis sigillo suo signavit ad indicium perpetuæ firmitatis; præsentibus Petro de Sancto Martino domus Episcopi procuratore, Raimundo de Grangiis Ecclesiæ Gratianop. Canonico, Johanne presbitero de eleemosyna, Chatberto scriba, Petro de Campis clerico, et Petro Bernardi de domo ejusdem Episcopi. »

ANNUS 1120

Novas gratias a S. Hugone recipiunt.

Ex eodem arch.

JESU CHRISTI

ANNUS 1121.

Callisti PP. II Ann. 3.	Ordinis Cart. Ann. 38.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 12.

PONTIUS PRIOR MAJORÆVI FIT EPISC. BELLICEN.

I. SEQUITUR annus millesimus centesimus vigesimus primus, Indictione quarta decima, quo Pontius de Balmeto Majoris Cartusiæ professus, Fundator et tunc Prior Majorævi, a Clero Bellicensi ob eximias animi sui dotes, invitus licet Pastor deligitur, et in sede episcopali collocatur. Alii habent annum superiorem, sed fatentur Sammarthani incertum esse ponuntque circa annum præsentem. Noster Surianus annum signat 1125, sed sine ulla autoritate. In sublimi gradu positus, Pontius nihil de cucullato dimisit : eadem quippe in corde ipsius humilitas, eadem in vestitu vilitas permansit, sicut ab esu carnium abstinentia et in omni alio cibo sobrietas. Collabentem vetustate Bellicensem Sancti Joannis ecclesiam restituit, et multa alia pietatis monumenta posteritati reliquit. Abbatiæ Sancti Sulpitii in Bugesio decimas concessit et ecclesiam Longæ Combæ. Abdicato tandem episcopatu, Majorævum repetiit annuente Summo Pontifice, ibique sancto fine quievit anno præsentis seculi quadragesimo, ubi Vitam ejus fusius dabimus.

Sammarth. in Episc. Bellicen.

LAMBERTUS MAG. CALABR. ELEEMOSYNAS RECIPIT.

II. In Calabria Lambertus Magister Eremi, bona sibi oblata a nobili quadam muliere Segleicalica, sive Sichelgaïta nomine, Odonis boni Marchisii uxore, non repulit. Hujus donationis diploma noster Constantius vidit et legit, cujus hæc tantum verba descripsit : « Ego Sigleicalica uxor Odonis boni Marchisii, dono Deo et sanctæ Mariæ et Magistro

Constant. de actis S. Brun. et successor. ms.

Lamberto et omnibus Fratribus eremitis, etc. Datum anno 1121, Indictione 14. » Anno quoque præcedente quidam Guillelmus Corbonellus cum sua uxore, quasdam facultates concesserunt « Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Eremo quam ordinavit Magister Bruno », sed nullus Prior aut Magister nominatur in donationis instrumento quod datum est anno præsenti.

ANNUS 1121

Constantia Philippi Francorum regis filia, Boamundi vidua sive Boemundi principis Antiocheni, qui fuit Rogerii comitis fundatoris nostri ex fratre Roberto nepos, eidem Lamberto sequens privilegium concessit, quod reperitur apud nostrum Surianum sine die his verbis : « Ego Constantia Francorum Regis filia et quondam D. Boamundi Antiocheni Principis gloriosi uxor, pro animæ salute et mercede et ipsius mei Domini et præfati viri mei et meæ et omnium nostrorum parentum defunctorum, et ut Deus augeat et crescere faciat Boamundum filium meum : affido et secura facio bona Sanctæ Mariæ de Eremo quæ sita est in Calabriæ partibus, cui præest Magister Lambertus, cum affisis et nautis suis per totam terram nostram, ut secure et quiete vadat et veniat sine omni censu, quem extranei in terram et portus nostros venientes dare soliti sunt. »

Constantia Regis Francorum filia benefactrix Calabriæ.

Constant. ubi sup.

Sur. in annot. in vitam S.Brun.p.411.

Ex hoc privilegio emendatur Rocchus Pyrrhus, qui Boamundum scribit post mortem Constantiæ alteram duxisse uxorem ; cum e contra pateat Constantiam marito superfuisse Hæc autem est prima ex regio Francorum sanguine quam nostris beneficia contulisse reperimus.

Pyrrhus in chronolog. Reg. Sicil. de Roberti Wiscardi uxoribus et filiis.

III. Circa hunc annum Odilo S. Hugonis Gratianop. episc. pater, annis circiter decem et octo in satis dura ac severa vitæ ratione transactis, apud Cartusiam fere centenarius piissime decessit, die 23 Maii. Virum fuisse in seculo potentem indicant Gratianopolitanæ Ecclesiæ cartacei libri, ex quibus discimus eum quandoque cum Gaufrido de Moirenco, ut his temporibus inter potentiores nobiles mos erat, bello contendisse. Cum enim episcopus Gratianopolitanus contra Albionis Comitem asseveraret quædam loca suæ Ecclesiæ esse

ODILO S. HUG. PATER, APUD CARTUS. MORITUR.

ANNUS
1121

Cartular. 2. Eccl. Gratian. Ex mss. V. cl. Chorier.

In vita S. Hugon. Gratian.

dominii, hanc rationem instrumento inde confecto inseruit : « De casamento et vineis destructis a Gaufredo de Moirenco, quando præliati sunt ipse et Odilo de Castronovo, quomodo essent destructæ, si essent de Comite ? » At majori laude dignus fuit Odilo, quod sub militari habitu, præcipuis quæ christianum militem decent virtutibus adeo addictus fuerit, ut quam plurimos Religiosos veritatis amore superaverit, teste nostro Guigone qui ejus e seculo conversionem et inter nos conversationem his verbis describit : « E quibus (nempe S. Hugonis parentibus) pater Odilo nomine, præter alia quam plurima, quæ militari licet in habitu laudabiliter gessit vel habuit, veritatis et castitatis amator extitit. Nam et mendacia ingenua mentis affectione Religiosis quam plurimis amplius evitabat ; et licet duas, priore defuncta, citius fuerit sortitus uxores, nullos tamen, quod his temporibus et hac temporum labe (præsertim in potentibus) monstro simile ducitur, præter uxorios est expertus amplexus. Idemque ipse ævo jam gravis, sanctissimo monente filio, tanto fervore contempsit seculum, ut senectutis immemor et delicatæ consuetudinis, duras, quas Cartusia propter verba labiorum Dei custodit, vias aggredi non dubitaverit ; ubi annis fere decem et octo in tanta sobrietate, tanta vixit humilitate, ut cunctis ibidem Deo famulantibus carus, cunctis haberetur veneratione dignissimus. Cui viam universæ carnis ingressuro (erat quippe ferme jam centenarius) venerabilis adfuit filius, eumque propriis et inunxit et Sacra Communione replevit manibus, expletoque condigna veneratione tam sancto funere, obitus diem (sicut et matris) eleemosynis, quoad vixit, celebrem duxit et sacrificiis. » Hæc Guigo.

An vero Odilo Monachorum sive Conversorum habitum acceperit, quidam dubitarunt eo quod Guigo non decernit quem sit inter nos statum professus. Verum quia bigamum fuisse dixit, Conversi habitum induisse satius est conjicere : bigamus enim exuitur omni privilegio clericali. Sed dubium omne solvitur ex vetusto Majoris Cartusiæ Calendario, ubi ad X Cal. Junii Odilonis Conversi Anniversarium describitur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1122.

Callisti PP. II	Ordinis Cartus.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 4.	Ann. 39.	Ann. 13.

I. ANNUS Redemptionis millesimus centesimus vigesimus secundus, Indictione quinta decima, sequitur, quo Lambertus Eremi S. Brunonis Magister a Callisto Papa evocatus, Ecclesiarum Militensis et Catacensis in Calabria dedicationibus ab ipso Summo Pontifice celebratis interest, et cum Cardinalibus, Episcopis et Abbatibus chirographum suum consecrationum diplomatibus adscribit. Et de Militensi quidem Camillus Tutinus ex antiquo præfatæ Eremi Chronico hæc refert : « Anno 1122, ecclesia Militensis a Callisto Papa II consecratur et functioni Lambertus interfuit. » Bullæ exemplar ex autographo exscriptum noster Constantius, qui annis ante Tutinum centum et quinquaginta vivebat, se vidisse his testatur verbis : « In consecratione ecclesiæ Militensis, quæ consecrata fuit a Summo Pontifice Callisto anno Dominicæ Incarnationis 1122, Indictione 15, inter Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos et Abbates nomen accepit Lambertus, quia testatus in eadem consecratione est pariter cum illis Prælatis qui duodenarii fuerunt, sic dicendo (ut in quodam exemplari vidi) : Ego Lambertus Magister Eremi. Et originale est manu propria scriptum. » Gerardus Eligius Bruxellensis cartusiæ monachus, in annotationibus in Vitam sancti Brunonis, non Militensis solum sed et Catacensis dedicationem meminit his verbis : « Anno 1122, D. Lambertus Magister Eremi de Turri in

LAMBERTUS PRIOR CALABR. PAPAM INVISIT.

Dedicationi Eccl. Militen. et Catacen. interest.

Ad calcem prospect. hist. ord. Cartus.

De gest. et act. S. Brun. ms.

Surian. in chronotaxi ad vitam S. Brun.

ANNUS 1122

Calabria interest dedicationi ecclesiæ S. Trinitatis monasterii Militensis, quam Callistus ipse dedicavit; et ecclesiæ Catanzarii, quam in episcopalem erexit eodem anno, et se subscripsit in diplomatibus. » Quæ hic autor de erectione Catacensis episcopatus dicit, sic intelligenda sunt, non quod antea nullus ibi fuerit episcopus, sed quod dicta Ecclesia « in caput et dignitatem Episcopatus » fuerit confirmata, ut habetur in bulla consecrationis quam idem Lambertus sui subscriptione nominis sic firmavit: « Ego Lambertus Magister Heremitarum. »

Ughel. in Episc. Catac.

NEGAT UGHELLUS CALLISTUM ADIISSE CALABRIAM.

In Catacen. Episcopis.

Et Catacen. Ecclesiam consecrasse.

II. Hanc bullam integram exscripsit Ughellus, non ut aliquam ex ea eliceret autoritatem, sed ut lectoribus persuaderet eam esse penitus rejiciendam, quod in ea Callistus dicatur adiisse Calabriam, quem ex actis illius apud Baronium haud colligi potest (ut putat) illud iter unquam suscepisse. Quamobrem hujus consecrationis bullam (cujus tantum apographum vidit) falsam esse pluribus conatur rationibus ostendere, quas tamen tanti esse ponderis non credimus, quin facile dilui possint. Primam falsitatis rationem affert, quod in marmore cui hæc bulla in Catacensi templo circa an. 1500 incisa fuit, « Cardinales post Abbates scripti videantur. » At quis non videat hujusmodi nominum transpositionem soli sculptori aut exscriptori tribuendam esse? Altera ratio est « Goffredum Messanæ episcopum hic subscriptum, mortuum fuisse et Guillelmum eidem successisse circa annum 1120, ut Rocchus Pyrrhus tradit. » Qui scribit Guillelmum « successisse Goffredo circa annum 1120, satis indicat certum successionis tempus sibi prorsus esse incognitum; ac proinde nihil bullæ veritati nocere potest. Tertio « Petrus, inquit, qui se Squillacensem episcopum subscripsit, hoc anno 1122 Panormitanus erat archiepiscopus, ut idem tradit Pyrrhus. » Apud Pyrrhum legitur quidem annus 1122, sed ex Indictione I et anno pontificatus Callisti quinto, necessario restituendus est annus 1123. Quarto « Agrigentinus episcopus hac tempestate vel Albertus vel Walterius florebat, nec Wellardus nominatus in ea tabula »; frigida plane ratio, quæ ex sola unius nominis corruptione ducitur.

Pyrrhus in descrip. Eccl. Messan.

Idem in Eccl. Panorm.

ANNUS 1122

Quinta ratio paulo gravior prima fronte apparet. Sic enim Ughellus instat : « Gerardus Potentinus episcopus, memoratus in subscriptis Episcopis, jam ad cœlos evolaverat et eidem successor fuit Manfredus an. 1119; quomodo ergo S. Gerardus anno 1122 potuerit consecrationi ecclesiæ Catacensis adesse ? » Optima certe conclusio si probaret S. Gerardum obiisse anno 1119, sed in Potentinis Episcopis scribit sancti hujus Præsulis antecessorem « potuisse obiisse circa annum 1111;» additque B. Gerardum « Ecclesia sua octo annis felicissime administrata, quievisse in Domino die 30 octobris, et Manfredum ei successisse anno 1119 ; » melius dixisset potuisse successisse sicut dixerat Gerardi decessorem « potuisse obiisse circa an. 1111. » Nulla igitur certa consecutio adversum bullam cogi potest ex his incertis annis, imo nobis S. Gerardi Vitam ab ipso Ughello editam accurate perlegentibus, visum est posse conjici S. Præsulem decessisse tantum anno 1123; nam Manfredus successor ejus et Vitæ scriptor, narrans quomodo ipse statim post illius mortem Episcopus electus et consecratus, illico cum Potentinis Summum adierit Pontificem et ab eo obtinuerit ut Gerardum in Sanctorum ordinem assereret, adjicit Guillelmum episcopum Prænestinum cum aliquot aliis Prælatis Potentiam missum fuisse, « ad decorandam et confirmandam Papæ sententiam. » Quæ quidem omnia brevissimo tempore confecta fuisse ex eadem narratione optime colligimus. At si Gerardus obiisset an. 1119, quatuor anni inter illius obitum et inter Sanctos relationem intercessissent; nam præfatus Guillelmus Prænestinus episcopus creatus est tantum anno 1123, non præcedenti ut posuit Ughellus in Prænestinorum Episcoporum catalogo. Vero itaque similius est S. Gerardum hoc præsenti anno adfuisse cum nostro Lamberto Catacensis ecclesiæ consecrationi, die 28 Decembris a Callisto celebratæ, et anno sequenti die 30 octobris obiisse, ejusque successorem Manfredum, nulla interposita mora propter monitionem sibi divinitus factam, Romam ivisse et a Callisto canonizationem impetrasse. Quæ cuncta a mense Novembri dicti anni 1123 ad eumdem men-

Annus quo S. Gerardus Ep. Potent. obierit discutitur.

Oldoin. in Callist. II.

Ughel. in Epp. Prænest.

ANNUS 1122

sem anni sequentis, quo Callistus defunctus est, absolvi potuisse non negabunt, qui sciunt tot formulas his temporibus servatas non fuisse in Sanctorum canonizationibus, quot postea servandas sapienter sancivit sancta mater Ecclesia.

Baron. ad an. 1122.

Ultimam Ughellus rationem, quæ quasi palmaris ei visa est, mutuatus est a Baronio concilium Lateranense ad præsentem annum referente, unde concludit Callistum nunquam adiisse Calabriam, « nec Catacensem ecclesiam hoc anno consecrasse, qui eodem Concilio celebrando intentus Romæ agebat. » Sed quid responderet Ughellus, si nunc superstes esset, dicenti sibi et probanti Concilii celebrationem in annum sequentem rejiciendam esse ? De quo cum nullus hodie ambigat, per se ruit hæc Ughelli præcipua ratio.

Vid. t. 10 Conc. Labbei.

PROBATUR CALLISTUS ADIISSE CALABRIAM.

III. Ex supradictis consequens est Catacensis ecclesiæ hoc anno a Callisto dicatæ diploma Papale, cui noster Lambertus subscripsit, non esse fictitium, ac proinde Callistum in Calabria per aliquod tempus hæsisse. Præterea hanc bullam omnes habere veritatis notas facile est probatu : 1. quia nullus in die et annis tum Christi tum Pontificatus Callisti, neque in Indictione error reperitur. 2. Quod nulla fraus appareat in subscriptionibus tam Præsulum quam Cardinalium, quorum plerorumque nomina tempore quo bullam effictam credit Ughellus (id est circa an. 1500) quasi oblivione obruta erant. Unde enim, quæso, fabricator fictæ illius bullæ (ut vocat) notitiam hausisset nostri Lamberti, solis abbatiæ S. Stephani de Busco blattis et tineis obvii ? Fulconis Aquensis archiepiscopi in tabulario monasterii Montis Majoris delitescentis ? Roberti S. Sabinæ cardinalis Ciaconio ignoti, quem nostro tantum tempore idem Ughellus in alia Callisti, anno 1121 data, invenit ? denique ubi tot Episcoporum et Cardinalium nomina tam opportune expiscatus esset, quæ diu post eum Ciaconius et ipse Ughellus e tenebris oblivionis tanto cum labore eruerunt ? 3. Convenit hæc bulla cum aliis documentis, quæ Callistum eo tempore in Calabria aliquandiu moratum fuisse manifeste docent.

Sammarth. in Archiepisc. Aquen.

Ughellus in Episc. Avers.

Sic enim Callistus in nostra vera bulla loquitur : « Notum

sit omnibus.... Nos partes Calabrias adventasse et Neocastrum præfata causa (nempe pacis inter Calabriæ principes reformandæ) per quindecim dies moram fecisse et inde per Catanzarium reditum habuisse, ibique ecclesiam..... propriis manibus per Dei gratiam dedicasse. » Hæc Callistus, quæ optime congruunt cum Trium Tabernarum Chronico, licet illud Ughellus eamdem ob rationem falsum esse velit. « Post aliquantum vero temporis, inquit hujus Chronici autor, fel. mem. Callistus in Calabrias partes venit..... In littore S. Euphemiæ applicuit, exinde Neocastrum transiens Catanzarium pervenit, in qua civitate quamdam ecclesiam in honorem B. Mariæ cum Episcopis et Cardinalibus consecravit. » Quod Neocastrum (ut in præfatis bulla et Chronico dicitur) hoc anno Callistus transierit, ulterius probatur ex alia bulla ibidem scripta ad Ludovicum Francorum Regem, quam Jacobus Vassorius *Annalibus Noviomensibus* et Guillelmus Marlotus *Metropoli Remensi* inseruerunt, « datam Neocastri per manum Chrysogoni S. R. E. Cardinalis Diaconi ac bibliothecarii, V Idus septembris, Indict. XV, Incarnat. Dominicæ an. MCXXII, Pontificatus autem Domini Callisti II Papæ anno III. » His adde bullam consecrationis abbatiæ Militensis ab eodem Callisto et eodem tempore (ut vidimus supra) celebratæ.

ANNUS 1122

Apud eumd. Ughell.

Ann.Noviom. lib. 3, part. 3 cap. 18.

Metrop. Rem. tom. 2. p. 277.

Certe si ficta est bulla dedicationis ecclesiæ Catacensis, si fictum iter Callisti ab autore Chronici Trium Tabernarum relatum; ficta etiam erunt Chronica et bulla Abbatiæ Militensis, quæ Camillus Tutinus (ab Ughello tamen laudatus) et nostri Constantius et Surianus citant et se vidisse profitentur; ficta denique bulla a Jacobo Vassorio et Guillelmo Marloto evulgata. Sed quomodo Galli et Calabri tanto inter se terrarum intervallo dissiti, uno eodemque tempore ac communi consensu eamdem potuerint falsitatem fabricari ? Nonne potius silentium actorum Callisti tot ac tantis debet autoritatibus cedere ?

QUÆDAM OBJECTA DILUUNTUR.

IV. Sed in Ughelli gratiam objicere quispiam poterit, saltem adscriptam bullæ diem falsam esse, cum et aliæ eodem anno

ANNUS 1122

To. 1 Conc. Labb.

et tempore, imo et eadem die Laterani datæ reperiantur. Plures bullas fatemur hoc anno Laterani, Albæ, et Mantiæ usque ad 12 Novembris a Callisto datas fuisse; sed in eis varii errores vel circa Indictionem vel circa annum Pontificatus irrepserunt. Verum etsi dies, Indictio et annus sive Christi sive papatus Callisti in his bullis optime convenirent, haud tamen inde conficiendum esset Callistum in Calabriam non fuisse profectum. Potuit enim medio Novembri navem ascendere, et ex S. Euphemiæ litore (ut habet Trium Tabernarum Chronicon) petere Neocastrum, ibique bullam (de qua supra) in Ecclesiæ Noviomensis gratiam expedire : deinde ad utramque ecclesiam Militensem videlicet et Catacensem consecrandas se transferre usque ad 28 diem Decembris, quo data est Catacensis dedicationis bulla; tandemque per eamdem viam Romam medio vel etiam exeunte Januario repetere. At nobis reponere aliquis poterit duas extare bullas Laterani datas, eodem tempore quo Callistum in Calabria egisse contendimus : altera eo ipso die, quo templum Catacense dicatum dicimus, scripta est in gratiam Pontii Cluniacensis abbatis, et habetur in bullario ejusdem Ordinis sic data : « Laterani V Cal. Januar., Ind. XV, Incarn. Dom. an. MCXXII, Pontificatus Domini Callisti II Papæ anno quarto. » Verum cum in *Bibliotheca Cluniacensi* diu ante bullarium edita, eadem bulla legatur cum anno Pontificatus Callisti secundo sine Christi anno, indicium est exscriptorem suo marte in bullario annum 1122 designasse. Et revera Pontius jam abdicaverat, Hugo illius successor obierat et Petrus Venerabilis jam a tribus mensibus abbatiam regebat, quando hujusmodi bulla data fuisset : quæ potius ad annum Christi 1120 qui fuit secundus pontificatus Callisti, referenda est. Altera bulla inter Militenses Episcopos ab Ughello editos invenitur, « data Laterani, X Calendas Januarii, Ind. XV, Incarn. Dom. anno MCXXII, Pontificatus Domini Callisti II anno tertio. » Sed est error in anno Pontificatus qui correctius in bulla Ecclesiæ Catacensis consecrationis designatur quartus. Ergo judicet lector, num potius fides adhi-

Bullar. Clun. p. 41.

Chron. Cluniac. in bibl. Clun.

Mabil. in chronol. Bernard.

benda sit huic nostræ bullæ quæ tot, ut superius ostendimus, veritatis notas præ se fert; cuique concordant Trium Tabernarum Chronicon, et aliud Callisti diploma Neocastri in Calabria in gratiam Noviomensium eodem anno Christi, eodem mense et eadem Indictione datum. ANNUS 1122

JESU CHRISTI

ANNUS 1123.

Callisti PP. II Ann. 5.	Ordinis Cartus. Ann. 40.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 14.

S. BERNARDUS ADIIT CARTUSIAM.

I. ANNUS adest Redemptoris millesimus centesimus vigesimus tertius, Indictione prima, quo sanctissimus abbas Claraevallensis Bernardus, Ordinis monastici imo et totius Ecclesiæ lumen et columen, primo suo adventu, ut putat Manriquez, Majorem honestavit Cartusiam, prius tamen a Guigone et cæteris ejus monachis invitatus. Longe enim lateque bono vitæ odore Claraevallensium sese diffundente, et usque ad Cartusiæ solitudinem Bernardi sanctitatis fama perveniente, ad eum Guigo scripsit pro bonis quæ de eo audierat congratulans. Suam epistolam, quæ hactenus latet, ad Claramvallem miserat per quemdam Cartusiensem virum pium, quem Dorlandus scribit fuisse Bernardum Portarum Priorem, ab ipso sancto Abbate ob singularem vitæ sanctimoniam singulariter amatum. De quo tabellario B. Vir ad Guigonem rescribens sic loquitur : « Festivus erit mihi dies ille ducendus et memoriale sempiternum, in quo virum illum videre ac suscipere merui, per quem factum est ut in cordibus vestris ego reciperer; et quidem jam ante receperatis, ut apparet in literis vestris. Sed nunc arctius, ut comperi, et familiarius, cum ille vobis retulit de me quædam, quæ etsi non probaverit, putavit tamen. Fidelis quippe et religiosus, absit ut aliter loqueretur quam credidit........ Audistis, credidistis, exultastis, scripsistis et me non parum lætificastis, non solum quod

Ang. Manr. tom. Annal. Cister.

Guigo scribit ad S. Bernardum.

Dorl. in chr. Cart. lib. 4 c. 9.

S. Bernard. Ep. 11.

aliquem locum gratiæ, et locum non mediocrem apud vestram merui sanctitatem, sed et quod nobis vestrorum non parva ex parte puritas animorum innotuit. Paucis pro certo aperuistis cujus spiritus estis. » Et sub finem : « Vidit fortassis qui vobis ea narravit aliqua parva, et de parvis grandia æstimavit. Vestra autem sinceritas facile credidit quod libenter audivit. »

ANNUS 1123

II. Ipse igitur sanctus Abbas percepta etiam tum ex rumore, tum ex scriptis ad se literis sanctæ Cartusiensium ac præcipue Guigonis conversationis fragrantia, præclaram ad ipsos dictavit epistolam, ex qua percipere est quam sancta, dulcis et jucunda sit inter sanctos familiaritas. Sic autem inter cætera eos alloquitur : « Inter Patres Reverendissimis et inter amicos charissimis, Guigoni Priori Cartusiensi cæterisque Sanctis qui cum eo sunt, Frater Bernardus de Claravalle salutem æternam. Sanctitatis vestræ literas tam lætus accepi, quam avidus et olim desideraveram. Legi eas et quas volvebam in ore literas, scintillas sentiebam in pectore, quibus et incaluit cor meum intra me tanquam ex illo igne quem Deus misit in terram. O quantus in illis meditationibus exardescit ignis, e quibus hujusmodi evolant scintillæ ! vestra illa succensa et succendens salutatio sic mihi, ut verum fatear, accepta fuit et est, quasi non ab homine, sed certissime ab illo qui mandat salutes Jacob, descendere videretur. Non me sane arbitror salutatum in via, non in transitu, non veluti ex occasione, ut assolet consuetudinis ; sed plane ex visceribus, ut sentio, charitatis prodiit hæc tam grata et inopinata benedictio. Benedicti vos a Domino qui me in benedictionibus dulcedinis tantæ prævenire curastis, ut daretur puero vestro, vobis primum scribentibus, fiducia rescribendi, scribere quidem ad vos jam pridem gestienti, sed non præsumenti. Verebar nimirum sanctam quam in Domino habetis, importunis scriptitationibus infestare quietem, juge illud vestrum sacrumque silentium a seculo, susurrum cum Deo vel ad modicum interrumpere, nostraque ingerere auribus secretis penitus occupatis supernisque eulogiis. Timebam omnino molestus fieri vel Moysi in monte, vel Eliæ in deserto, aut

S. BERNARDUS AD CARTUSIENSES SCRIBIT.

Luc. 12.

Reddit causam intermissæ hactenus scriptionis.

ANNUS 1123

certe excubanti in Templo Samueli, si divinis intentissimos confabulationibus aliquatenus avocare tentassem. » Et paulo post : « Verum quod non audeo, audet charitas, et cum omni fiducia pulsat ad ostium amici, nequaquam putans pati se debere repulsam, quæ amicitiarum matrem se novit ; nec veretur vestrum, etsi gratissimum, paulisper inquietare otium propter suum negotium. Ipsa profecto, ipsa cum vult facit vos excedere Deo ; ipsa et cum voluit, fecit sobrios nobis, adeo ut minime duceretis indignum non modo sustinere loquentem, sed tacentem insuper benigne provocare. Amplector benignitatem, dignationem admiror, laudo et veneror puritatem, qua de nostris profectibus quos putatis, tanta in Domino exultatione gloriamini. Glorior et ego plurimum tanto testimonio, et servorum Dei tam grata quam gratuita admodum familiaritate delector. Hæc jam gloria mea, hoc gaudium meum, hæ deliciæ cordis mei, quod non frustra levarim oculos meos in montes, unde quippe jam non mediocre venit auxilium mihi. Hi jam nobis stillarunt montes dulcedinem, et adhuc spero quia stillabunt quousque valles nostræ abundabunt frumento. » Et postea :

Quam dulcis et jucunda Bernardo sanctorum virorum familiaritas.

VERA ET SINCERA CHARITAS QUÆ?

III. « Gaudeo proinde mihi, gaudeo et vobis ; meæ utilitati et vestræ sinceritati. Illa siquidem vera et sincera est charitas, et omnino de corde puro et conscientia bona et fide non ficta judicanda procedere, qua proximi bonum æque ut nostrum diligimus. Nam qui magis aut certe solum diligit suum, convincitur non caste diligere bonum, quod utique propter se diligit, non propter ipsum, etc. » [Deinde postquam de veræ et sinceræ charitatis lege, signis, effectis, gradibus, perfectione patriæ reservata multa eleganter ac sublimiter disseruit, quæ vere tractatus de charitate dici merentur ; sic tandem epistolam concludit :] « Longum quidem adhuc texere sermonem insatiabili colloquendi ad vos desiderio pulsor, fratres mei carissimi ac desideratissimi, sed tria sunt quæ finem indicunt : primum quidem quod maxime vereor ne fiam onerosus vobis ; secundum quia pudet loquacitatis ; tertium quod domesticis urgeor curis. In fine precor, miseremini mei ;

et si exultastis in bonis de me tantum auditis, certis quæso compatimini malis. Vidit fortassis qui ea vobis narravit aliqua parva, et de parvis grandia æstimavit; vestra autem sinceritas facile credidit quod libenter audivit. Gratulor quidem de charitate quæ omnia credit, sed confundor pro veritate quæ omnia novit. Volo vos mihi credere de me magis, quam alteri qui tantum videt in facie : Nemo quippe scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in eo est. Dico vobis, ego qui de me loquor non ex conjectura, sed ex sententia, non sum talis qualis putor vel dicor. Quod quidem tam securus fateor, quam certus experior; ita ut nil malim vestris orationibus specialiter obtinere, quam ut talis fiam qualem literæ vestræ prædicant. »

ANNUS 1123

Modestia et humilitas sancti.

1 Cor. 2.

IV. Hæc Sanctus ad Sanctos, quibus tandem desiderium cordis eorum benignissimus dedit Dominus, sancto Abbati consilium inspirans illos invisendi. Ejus ad Cartusiam itineris his verbis meminit Gaufridus Clarævallensis monachus : « Cum jam Dei famulus (Bernardus) annos aliquot in Claravalle peregisset, subiit animum ejus ut sanctum Hugonem Gratianopolitanum episcopum, et Cartusienses Fratres devotionis gratia visitaret. Quem prædictus Episcopus tam gratanter et reverenter suscepit, divinam intelligens in ejusdem hospitis visitatione præsentiam, ut prostratus in solo adoraret. Videns autem Episcopum ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum coram se procidentem, vehementer expavit; et ipse pariter corruens ante eum, ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti Viri veneratione confusam, non sine gravi gemitu causabatur. In cujus pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo filii splendoris, cor unum et anima una, et se invicem fruerentur in Christo. Sicut enim Regina Saba de Salomone testatur, uterque sese in altero, longe amplius quam fama vulgasset, invenisse gratulabatur. » Eadem et ex eodem autore refert Alanus episcopus Antissiodorensis in ejusdem sancti Abbatis Vita.

EJUS ITER AD CARTUSIAM.

Gauf., vita S. Bern. lib.3. cap. 2.

Alan. in vita S. Bern. c. 16.

Deinde relicta Gratianopoli, cum ad Cartusiam accederet,

ANNUS 1123

procul aspectis humilibus monachorum casis, lachrymatus est præ gaudio, videns priscorum monachorum Ægyptiorum renovata vestigia. Id testatur Dionysius Cartusianus, de præconio Ordinis et de sancti Bernardi erga Cartusienses affectu scribens : « Præterea, inquit, in sermone quem ipse sanctus et electissimus Pater Bernardus fecit in ipsa Domo Majoris Cartusiæ, ipsemet protestatur quemadmodum mox ut ipsam sancti illius cœnobii ecclesiam et structuram a longe cœperit conspicere, fuerit valde alteratus, vehementer compunctus, fortiter inflammatus, vehementissime ac profundissime liquefactus, resolutus ac transformatus desiderio charitatis in Fratres Congregationis illius, quos videre, audire et alloqui æstuantissime concupivit. » Hæc Dionysius. Ubinam vero hunc S. Bernardi sermonem viderit aut legerit, non habet. Ego quidem eumdem esse facile crediderim cum trigesimo septimo *de Diversis* quem Horstius sic inscripsit : « De verbis psalmi. Hæc est generatio quærentium Deum. » Hunc enim in codice varia variorum autorum opuscula continente, et a quodam Majoris Cartusiæ monacho sub initium quinti decimi seculi conscripto, sub hac reperimus epigraphe : « Sermo B. Bernardi quem fecit in Cartusia. » Et revera principium ejus cum sancti Abbatis in Cartusiam accessu satis congruit, sed sequentia clarius indicant beatum Virum suos alloqui ; imo juxta inscriptionem ultimæ R. P. Mabilonii editionis, patet hunc sermonem « in labore messis » ab eo habitum fuisse.

Lib. de Præcon. Ord. Cart. art. 5.

QUANTO CUM GAUDIO A NOSTRIS RECEPTUS.

V. « Cartusiæ quoque, pergit Gaufridus, a viro reverendissimo Guigone Priore et a cæteris Fratribus, eodem affectu et eadem veneratione susceptus est servus Christi, exultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epistolam prius noverant, talem invenerunt et præsentem. Cæterum cum in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit quod prædictum Priorem Cartusiensem aliquatenus movit, stratura videlicet animalis cui idem vir venerabilis insidebat, minus neglecta, minus præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente conceperat ; sed locutus uni ex Fratribus,

Vita S. Ber. ubi sup.

aliquatenus super hoc moveri sese confessus est et mirari. Cumque ille ad Patrem sanctum, quod audierat retulisset, non minus ipse miratus, quale esset illud stramentum quærebat, quod ita scilicet a Claravalle Cartusiam usque venisset, ut nunquam illud vidisset, nunquam considerasset, et usque in horam illam quale esset omnino nesciret. Neque enim suum erat animal illud, sed a quodam monacho Cluniacensi avunculo suo et in sua vicinia demorante, fuerat commodatum; et erat sicut sibi sternere ille solebat. Quod verbum sæpe dictus Prior audiens, in eo potissimum mirabatur, quod sic ille Dei famulus foris oculos circumcidisset, intus animum occupasset ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset. » Hæc Gaufridus.

ANNUS 1123

QUANTUM AMAVERIT ORD. CARTUS. PROFESSORES.

VI. Ab eo tempore quo sanctus Bernardus hospitio a Guigone susceptus est, ita Cartusienses monachos sibi devinxit, ut nihil minus Cartusia esset illius quam Claravallis. Neque solum hunc affectum in Cartusiam Guigonemque, sed in quascumque Instituti nostri Domos ac monachos sanctum Virum habuisse, testes sunt Bernardus Prior et fundator Domus Portarum, et alter Bernardus ejusdem monachus, ad quos quasdam eximiæ pietatis plenas dedit epistolas, et ad ultimi instantiam *Sermones in Cantica Canticorum* scribere primum aggressus est ; testes sunt omnes illius temporis monachi Montis Dei, ad quos cum quandoque accederet, quasi unus ex eis inter eos conversari non dedignaretur, factus etiam solitarius in privata cellula, quæ diu in Claustro integra servata est sub nomine sancti Bernardi, in Beati hospitis memoriam.

Mss.Cartus Mont. Dei.

ABBATIA S. SULPICII FUNDATUR.

Mol. Hist. ms. Ord. Cart.

VII. Circa hæc tempora fundatur Abbatia S. Sulpicii Ordinis Cisterciensis in Bugesia et diœcesi Bellicensi ; cujus hic ideo meminimus quod noster Molinus et plures alii post eum non levi ducti conjectura, hactenus crediderint moratos in ea prius fuisse Cartusienses sub quodam Priore Humberto, cui noster Legislator Guigo suas nuncupavit Consuetudines; et eo mortuo, Cistercienses locum occupasse. Sed hanc opinionem stare non posse, modo deprehendimus ex Cartulario

Humbertus ibid. Prior non Ord. Cart.

ANNUS 1123

Cartusiæ Portarum, cujus nos instrumenta edocent, ut inferius videbimus, eumdem Humbertum fuisse Cisterciensis Ordinis monachum et in præfata Abbatia Priorem sub Bernardo Abbate. Ejus fundationem rejicit Guichenonus ad annum 1130, quæ tamen ante annum 1128, quo idem Humbertus jam florebat, necessario revocanda est. Angelus Manriquez in Annalibus Cisterciensibus, Britonis sententiam rejiciens scribentis Abbatiam S. Sulpitii Clarævallensis monasterii filiam esse, optime asserit honorem hunc Pontiniaco deberi. Id enim nos etiam probamus ex citato Portensi Cartulario, ubi extant Hugonis Pontiniaci abbatis ad Bernardum Portarum Priorem et illius conventum datæ literæ, incerto tempore, quibus ipse Hugo terminos inter utrumque cœnobium designat tanquam S. Sulpicii supremus Abbas, ut recte colligi potest ex earum tenore qui talis est:

Guichen. Hist. Bress. et Bug. part. 2, in Abbat. S. Sulp.

Filia Pontiniaci.

Manriq. ad an. 1133 c. 8. n. 8.

« Charissimis et amicis suis B. venerabili Priori Portarum et Fratribus qui cum eo sunt, frater Hu. Pontiniacensis abbas vocatus, Mariæ partem in æternum obtinere. Solliciti servare vobiscum unitatem spiritus in vinculo pacis, omnem scandali occasionem inter vestram et S. Sulpicii Domum in quantum possumus, præcavere optamus. Quapropter consilio atque consensu Domni Bosonis Procuratoris vestri et sociorum ejus, quos ob idipsum ad nos direxeratis, inter præfatum locum et vestrum tales statuimus terminos conservari; videlicet in parte Inimontis, etc. Hos itaque fines sic utraque Domus conservare debebit, ut eos neutra contra alteram propter pastoratum pecorum vel quorumlibet animalium transeat, aut in parte alterius terram quamlibet, sine bono consensu et laude ipsius, dono vel quacumque commutatione adquirat, etc. Bene autem feceritis si hujus ejusdem Chartæ rescriptum sigillo vestro munitum nobis remiseritis, ut quod ad pacem loci utriusque scribitur, in utroque pariter habeatur. »

Hugo Abbas Pontin. ejus et Domus Portarum terminos designat.

Cartular. 1. Cartus. Portar. fol. 47.

Bernardus primus Sancti Sulpitii abbas a præfato Hugone institutus, non vulgari amicitia cum nostris Portensibus fuit conjunctissimus, ad quos nonnunquam divertens dissidia eos inter et vicinos nobiles orta componebat, ut fidem facit se-

Bernardum Abbatem instituit.

quens instrumentum, in quo et nomen præfati Humberti legitur : ANNUS 1123

« Significare volumus cunctis beneviventibus quod Stephanus miles de Morestel, concedente et faciente patre suo Walterio et Bosone monachis Sancti Theuderii (altero scilicet patre, altero fratre ejus,) et Fulgerius nepos eorum, dederunt et vendiderunt Deo et B. Mariæ et Fratribus Portarum triginta solidos Viennensis monetæ totam terram illam, quæ sibi a Walterio Joselet de Buxis auferri dicebant, ubicumque esset. Testes sunt Radulphus miles de Bachillin, Petrus presbyter de Maipiaco, Petrus Pitgerius miles de Quiriaco, Joannes Pontonarius, Gerardus et Petrus Fratres Portarum et alii. De Fulcherio testes sunt Radulphus miles de Bachillin, Ismio Jalliacus miles, Stephanus, Gauterius, Witfredus et Gerardus et Nantelmus fratres et milites de Neriaco. Hanc iterum terram Sigisbodus Bellicensis Præpositus apud Portas calumpniavit, qui prædicti Walterii Fulcherii filiam in uxorem habebat; sed ibidem calumpniam quam fecerat, finivit per manum Domni Barnardi abbatis S. Sulpicii, et Humberti monachi S. Sulpicii jampridem Præpositi, et Gerardi socii ipsius, Sigisbodi nepotis Berlionis Bellicensis de Furno et aliorum. Terram jam dictam dederunt Fratres Portarum Walterio de Repos prælibato, qui eam sive per subreptionem seu per quamcumque vim tenebat, pro duobus pratis, etc. Testes sunt Artoldus miles Balmæ, Witfredus Del Viniel, Stephanus Bento, Odo de Albinico et alii. »

Idem. Cartul. fol. 42.

Cartusiensium amicum cum Humberto monacho.

Verisimile est Humbertum monachum S. Sulpicii et olim Bellicensem Præpositum in hoc instrumento nominatum, eumdem esse qui aliquando Prioris officio in eadem Abbatia functus, Portarum Cartusienses sæpe invisebat, ut testantur plures Chartæ in quibus nomen illius cum Prioris titulo reperitur; quarum unam libet ad id probandum hic subjicere. « Gillelmus de Briort et Berlio Rufus frater ejus et Oddo Ibernus qui sororem eorum habebat in conjugio, in superiori Domo hospitum sistentes, vendiderunt et dederunt pro duodecim solidis Viennensis monetæ Deo et B. Mariæ et Fra-

Idem Humbertus Prior ibidem.

Ex eodem Cartul. fol. 17

ANNUS 1123

tribus Portarum pro remedio animarum suarum quidquid juris in loco..... habebant, vel alius ab eis ibidem habere videbatur. Et est sciendum quod isti duo fratres, Gillelmus videlicet et Berlio Rufus frater ejus, et Boso de Briort atque Girardus consanguinei fuerunt. Unde et territorium....... et quasdam alias terras per tertiam partem inter se dividebant. Signum Bernardi Prioris qui hoc donum recepit, Bosonis monachi ejusdem Domus, Stephani de Calmeto ejusdem Domus monachi, Pontii monachi *, Humberti Prioris S. Sulpitii, Witfredi de [a]Grandimonte, Joannis [b]Balmensis, Bosonis presbyteri de Onglatis, Boniparis et Girardi Portarum Fratrum. Hanc autem donationem seu venditionem postea prædictus Berlio Rufus denegare et retrahere volens, nihil præter usum se largitum fuisse asserebat; unde productis contra eum idoneis testibus, convictus est se omnia dedisse vel vendidisse in jam dictis locis, sicut supra scriptum est. Propterea iterum laudavit et donavit in manu Bernardi Prioris quidquid infra terminos Portarum habere videbatur....... Quapropter dati sunt ei tres solidi Viennensis monetæ. Signum Bosonis Procuratoris †. Artoldi Prioris Alveriæ †. Boniparis, Hungrini, Girardi, Franconis et Oliverii Fratrum Portarum, et Otmari Cartusiæ Conversi, et Oddonis Iberni et Silvii de Briort militum, et Otgerii præpositi de Serreres. »

* Ejusdem Dom. Portarum.

[a] *Alibi additur* Conversi.

[b] *Alibi additur* de Quinciaco Conversi.

Ex Stephano de Calmeto Portarum monacho jam professo in hac Charta nominato, colligimus datam eam fuisse post annum 1135, quo dictus Stephanus erat tantum Novitius, ut ibidem videbimus.

AN HÆC ABBATIA NOSTRI FUERIT INSTITUTI.

VIII. Qui volunt Abbatiam hanc prius fuisse nostri Ordinis Domum, suam tuentur duobus argumentis opinionem: unum est, quod Guigo noster Statuta recens a se conscripta Bernardo Portarum, Humberto S. Sulpicii et Miloni Majorævi Prioribus simul non dicasset, nisi Cartusiensis fuissent Instituti. Quomodo enim, inquiunt, cum duobus Cartusianis Prioribus tertium Cisterciensem suarum Legum arbitrum Guigo eligeret? Ad hæc respondemus, Guigonem in sua Præfatione Humberti non meminisse tanquam Cartusiensis pro-

Mol. ubi sup.

Chifflet in præf. ad Man. Solitar.

positi sectatoris, sed velut qui Prioribus Majorævi et Portarum vicinus et familiaris, una cum ipsis ut Cartusiæ Consuetudines scriberet rogaverat. Cujus et aliorum Priorum precibus, sicut et S. Hugonis jussis cedendum putavit, ut his ipse verbis profitetur : « Carissimi et Reverendissimi nobis Hugonis Gratianopolitani episcopi, cujus voluntati resistere fas non habemus, jussis et monitis obtemperantes, quod vestra non semel dilectio postulavit, consuetudines Domus nostræ scriptas memoriæ mandare curavimus. » Alterum argumentum sumitur ex notitia historica fundationis ejusdem Abbatiæ, quam Guicheno inter suæ Historiæ probationes retulit, ubi sub finem hæc verba leguntur : « Floruerat autem in his locis per annos plurimos, qua nulla sanctior est, Cartusiensis veneranda Religio. » Certe si per annos plurimos (ut hic legitur) Ordo Cartusiensis in S. Sulpitii Domo stetisset, extarent haud dubie quædam instrumenta hujus diutinæ stationis mentionem facientia, sed constanter asserit idem Guicheno nullas in hujus Abbatiæ Tabulario chartas reperiri, quibus hæc opinio fulciri posset ; imo fundationis literas per se indicare nullum Ordinem præter Cisterciensem in eam Abbatiam fuisse unquam admissum. Quapropter præfatæ notitiæ autor, quæ certe vetusta non est, suam non potuit aliunde sententiam depromere quam ex Guigonis Statutorum præfatione, cujus verba, ut ex supradictis patet, secus accipienda sunt. His adde, nullam de S. Sulpitii cartusia mentionem haberi in Eulogio nostri Guigonis paulo post ejus obitum condito, et eo quidem tempore quo præfatus Humbertus adhuc vivebat; cujus tamen Eulogii scriptor catalogum accurate contexuit omnium Domorum quæ sub illius regimine, vel ædificatæ vel etiam tantum inchoatæ fuerant, non omissa quadam Nannetensi cartusia quæ sub ipsis suis incunabulis perierat.

ANNUS 1123

Prolog.Cons. Cartus.

Prob. Hist. Bress. p. 243.

Guich. ubi sup.

JESU CHRISTI

ANNUS 1124.

Callisti PP. II Ann. 6.	Ord. Cartus. Ann. 41.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 15.

CALLISTUS II CONFIRMAT ORD. CART. ET MORITUR.

I. SEQUITUR annus Redemptoris millesimus centesimus vigesimus quartus, Indictione secunda, quo Callistus Pontifex Maximus Romæ die 12 Decembris febre correptus moritur. Ejus memoria, ait Baronius, summa cum benedictione in Ecclesia perseverat, utpote sanctissimi Pontificis. Approbavit Callistus Ordinem nostrum : Bulla quidem periit, sed hujus confirmationis mentio habetur in Innocentii II literis quas suo loco dabimus. Confirmavit et aliquando cunctas donationes, libertates et jura, a Principibus et Præsulibus S. Brunoni et ejus in Domo Calabriæ successoribus collata. Bulla confirmationis data est Capuæ Calendis Decembris sine anno. Callisto successit Honorius II.

Bar. ad hunc an.

Arch. Cart. S. Stephan.

LAMBERTUS CALABR. MAG. MORITUR.

II. Eodem quoque anno, ante Callistum Magister Lambertus carnis sarcinam deposuit septimo Calendas Septembris, uti signatum in citato Calendario reperit Constantius; non vero tertio Nonas Augusti, ut alius posuit. Vir fuit miræ sanctitatis (ut in alio Ms. nostri Nicolai Riccii legitur) et abstinentiæ; pane tantum utebatur et aqua, Dominico die excepto. Lamberti successor fuit Magister Leo, quem vidimus anno 1101 unum ex S. Brunonis discipulis fuisse qui obedientiam Lanuino præstiterunt. Eodem anno jam præsidente, ut creditur, Leone, Rogerius Arenæ comes quædam bona largitus est : « volens, inquit, esse particeps orationum

Constant. de act. S. Brun. et success. in Calabr.

Magister Leo succedit.

cæterorumque beneficiorum quæ fiunt in ecclesia sanctæ et perpetuæ Virginis Mariæ, quæ dicitur Eremus Magistri Brunonis. » Anno vero sequenti, Indictione tertia, ut legitur in literis, Bartholomæus dominus Castelli terram suam quam habebat in territorio Styli cum villanis, « pro remedio, inquit, peccatorum meorum a Deo impetrando, et pro patris nostri et matris meæ et fratrum meorum animabus, donavi ecclesiæ Dei et Sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ sita est in Eremo Magistri Brunonis, Fratribusque ibi Deo servientibus. »

ANNUS 1124

Præfati Magistri nomen non solum in Calendario reperitur, sed et in quodam Rogerii Arenæ comitis privilegio, qui præter ea quæ dederat præsenti anno, cujusdam ecclesiæ permutationem fecit cum Magistro Leone, cujus permutationis literæ sic incipiunt : « Anno Dominicæ Incarnationis MCXXV, Indictione quarta, Fratres Eremi, Magister scilicet Leo, etc. » Præfuit ille annis tantum tribus, in officio mortuus.

V. an. 1127.

COMES NIVERN. MUNERA MITTIT AD CARTUSIAM.

III. Circa eadem tempora Guigo noster et ejus exemplo totus Cartusiæ conventus, celebre studii quo sanctam colebant paupertatem posteris suis exhibuere testimonium. Cum enim Guillelmus Nivernensis comes, vir piissimus, quædam vasa argentea cultui divino inservienda eis misisset, ea viri paupertatis amatores generose respuentes, suo benefactori cum humili gratiarum actione remiserunt. Rem narrat Guibertus de Novigento his verbis : « In tantum suæ sunt custodes inopiæ, ut hoc ipso quo agimus anno, Nivernensis Comes, vir omnino religiosus ac potens, eos causa devotionis et optimæ quæ hinc emanat opinionis inviserit, multumque super seculari eos cupiditate, ut caverent inde monuerit. Cumque regressus ad sua, eorum indigentiæ quam viderat meminisset, et monitorum quæ eis intulerat nequaquam memor esset, nescio quæ argentea, scyphos videlicet et scutras pretii plurimi eis misit; sed eorum quæ dixerat illis nequaquam obliviosos invenit. Communicato namque mox consilio, quæcumque dixerat* ad integrum refutata recepit.

Guibert. de vita sua, lib. I cap. II.

* Miserat.

ANNUS 1124

« Nos, inquiunt, neque in expensis nostris, neque in ecclesiæ ornamentis, exterarum quippiam pecuniarum retinere delegimus; et si in horum alterutro expenditur, ut quid a nobis suscipitur ? » Puduit itaque prævaricatoriæ contra suum sermonem oblationis Comitem; et tamen dissimulata aspernatione eorum, boum tergora et pergamena plurima retransmisit, quæ pene inevitabiliter ipsis necessaria esse cognovit. » Hæc Guibertus ; quæ incaute Petro Cluniacensi tribuuntur a quodam recente autore, qui et labente memoria ut verisimile est, ea non ad Comitem Nivernensem, sed ad Dominum de Conciaco referenda putat.

Agn. Pasch. cap. 5 § 33.

Instrumenta domestica Cartusiæ modesta.

Guibertum vero per scyphos et scutras sive scutellas, vasa ad usum tum familiarem tum ecclesiasticum intellexisse colligimus ex sequentibus, quibus ita loquentes inducit Cartusienses : « Nos neque in expensis nostris, neque in ecclesiæ ornamentis exterarum quippiam pecuniarum retinere delegimus. » Hodieque apud Majorem Cartusiam viget hæc laudabilis in suppellectili domestica simplicitas, quæ nihil argenteum admittit, non dico ad monachorum usum, quandoquidem id abusui imo et crimini tribueretur ubicumque inter nostros reperiretur, sed etiam ad usum externorum cujuscumque conditionis, quibus nulla omnino vasa argentea sed omnia stannea apponuntur, etiam ipsæ fuscinulæ et cochlearia.

CARTUSIENSIUM IN ECCLESIÆ SUPELLECTILI SIMPLICITAS.

IV. Quod ecclesiastica spectat ornamenta, diu etiam apud nos sancta in eis paupertas enituit, et in plerisque nostris ecclesiis etiamnum enitet; ac eniteret in omnibus, nisi aliquid tandem Procerum importunitati concedere coacti fuissemus. Declarat noster Guigo, ut videre est in ejus Consuetudinibus, ornamenta aurea vel argentea præter calicem et fistulam qua sanguis Christi sugitur, in Cartusia non fuisse in usu : « nisi forte ut interpretatur Rifferius, in stolis aut manipulis sive in signaculis librorum. » Quoddam Capitulum generale sub Basilio admonet, ut « qui poterit habeat ad communicandum infirmum calicem argenteum, duæque cruces habeantur in singulis Domibus Ordinis. » Tertiam ad-

Stat. ant. p. 2. num. 1 et seqq.

Acta mss. Cap. gen.

mittunt Rifferii Statuta : « Præter duas cruces quas in ecclesiis nostris semper suis locis stantes erectas habemus, » quod etiamnum observatur in Majori Cartusia, ubi duæ semper visuntur cruces ad utrumque altaris latus erectæ, « aliam quoque, pergit Rifferius, in loco secreto habere debemus deferendam, quando vel æger inungendus seu communicandus est, vel mortuus sepeliendus. » Præterea a primis Ordinis temporibus hæc apud nos invaluit consuetudo, ut Sanctorum reliquiæ in capsis pretiosis reconditæ serventur. Id probatur ex S. Hugonis Lincolniensis Vita. Vir ille beatus semper paupertatis amans, omnibusque etiam inter infulas observantiis Cartusiæ addictissimus, cum quasdam suis Cartusiensibus reliquias largitus fuisset, « capsulam, inquit autor, ex auro et gemmis fabrefactam, quæ apud Lincolniam erat in scriniis ejus, eis mittendam dedit, in qua reponerentur collatæ ipsius reliquiæ. Cumque anno quo obiit visitasset Majorem Cartusiam, ecclesiæ a cujus uberibus in virum perfectum coaluerat, jam ultimum valefaciens jamque discedens, ad perpetuam sui memoriam dereliquit præter alia donaria, pignora inæstimabiliter pretiosa. » Quæ vero fuerint illa pretiosa pignora statim innuit subdens : « habebat in scriniis capsulam argenteam, quam in Basilicarum dedicationibus circumferebat in manibus, numerosis Sanctorum Sanctarumque reliquiis plenam. Episcopus per se perquisitas viro religiosissimo Cartusiæ Sacristæ, coram Priore et Fratribus tradidit in loco illo conservandas. »

ANNUS 1124

V. an. 1200.

Vita ejus Ms. lib. 5. c. 14.

Pallia et aulæa prohibentur a Guigone loco citato, et Basilius præcipit opera phrygia a casulis auferri. « Aurifrisia, inquit, removeantur a casulis, sed casulas de bocharant sustinemus. » Quæ postea Rifferius suis inseruit Statutis, quibus et paulo post addidit Boso quæ legimus in Capituli generalis anni 1280 Charta : « Exhortationem incœptam quod picturæ curiosæ ex ecclesiis et hospitiis factæ deleantur, et quod tapetia universa et quarelli picturati vel curiosi amoveantur, confirmamus et approbamus. » Et ut hujusmodi exhortatio sive potius Statutum effectu non careret, per eamdem Chartam

Ex supplem. ad Cons. Guig.

Boso in tract. de perf. Relig. veritate.

ANNUS 1124

« discretioni Visitatorum relinquitur de amovendis picturis Domus Ligeti et Glanderii et aliarum Domorum, meliori modo quo poterunt. » Sed cum scirent nostram irrideri a secularibus simplicitatem, jubent ibidem ut « de introductione laicorum secularium in chorum Monachorum teneatur Statutum », quo videlicet apud Guigonem et Rifferium sancitur : « ut in chorum et Capitulum et refectorium nostrum hospites tantum religiosos introducamus. » In hujusmodi censores ignaros pie commovetur noster Boso in suo *de veritate perfectæ Religionis* tractatu, ubi speciale edidit capitulum « contra illos qui detrahunt Cartusienses, eo quod non habent in suis ecclesiis multas Sanctorum imagines. »

Cons. Guig. cap. 10. n. 1.

Stat. ant. p. 2. cap. 9. n. 1.

BOSO HANC SIMPLICITATEM TUETUR.

V. « Sunt et alii, inquit, qui calumniantur Cartusienses quod in ecclesiis suis non habent picturas et sculpturas, et multorum Sanctorum depictas imagines, sicut habent multi alii religiosi et Canonici et clerici seculares. Et in hoc potest dici quod tales detractores moliuntur innocentes de bono opere lapidare. Certum est enim quod Cartusienses in omnibus ecclesiis suis habent, et habere debent ex Ordinis sui institutis, imaginem Crucifixi in loco solemni et eminenti, et super plura altaria plures cruces; in oratoriis quoque cellarum suarum generaliter consueverunt habere Crucifixum et imaginem Mariæ Virginis, et etiam aliquando aliorum Sanctorum secundum quod se offert possibilitas et facultas. Honestati vero et paupertati Religionis attestatur ipsorum, si refugiunt curiositates sumptuosas in picturis et sculpturis et varietatibus ædificiorum solemnium et mirabilium, quæ rusticitati vitæ solitariæ non concordant. Secundum enim doctrinam Joannis Damasceni, imagines et picturæ murorum sunt quasi quædam scripturæ et literæ laicorum, ut qui in libris legere non noverunt, in murorum picturis quasi quibusdam literis grossis intelligunt, quæ ipsi illiterati intelligere nequeunt in scripturis. Et ideo tales picturæ laudabiliter fieri possunt in ecclesiis ubi concurrit frequentia populorum, quæ frustra et superflue fierent in desertis Cartusiensium quo non consueverunt populi, licet aliquando pauci viri, convenire.

Quia etiam apud aliquos nonnunquam in talibus exceditur curiose, nulla omnino reprehensio poterit esse juste, ubi necessaria et honesta servantur et superflua resecantur. Et huic sententiæ satis alludere videtur doctor egregius Augustinus in libro *de Moribus Ecclesiæ,* ubi dicit : Novi multos esse qui luxuriosissime super mortuos vivant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, et voracitates et ebrietates suas deputant religioni. Ecce si quis ista secundum intellectum Augustini intelligat, non condemnabit Cartusienses si non faciunt quod nullo jure fieri præcipitur, et declinant superflua quæ multiplici jure fieri prohibentur. Verum est quidem quod imagines et picturæ Sanctorum non solum adjuvant intellectum, sicut secundum doctrinam Joannis Damasceni superius est ostensum; sed etiam sæpe excitant et movent affectum, sicut idem Joannes Damascenus bene aperit et declarat, alludens versibus Poetæ dicentis :

ANNUS 1124

Horatius.

> Segnius irritant animos demissa per aures,
> Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.....

Ideo et prædicti Cartusienses in cellis suis, sicut prædictum est, devotas picturas non renuunt nec recusant, sed ad excitationem devotionis et imaginationis, et augmentum deotæ conceptionis, easdem libenter et affectuose recipiunt et requirunt. Et secundum datam unicuique gratiam, honorant et fideliter adorant tali modo quo id fieri debeat in cubilibus suis, clauso ostio cordis sui, ubi Pater cœlestis videt in abscondito, et affectuosius et pecularius a suis cultoribus singulariter adoratur in Spiritu et veritate. »

Guillelmus Raynaldi sua Statuta condens, exhortationem factam anno 1280 (de quo supra) renovavit, et velut Statutum ab omnibus voluit observari, prohibens « ne tapetia et cussini picturati et alias curiosi in usu apud nos habeantur; » jubetque ut picturæ curiosæ, « ubi sine scandalo fieri poterit, de nostris ecclesiis et Domibus eradantur et novæ de cætero fieri non permittantur. » Juxta Raynaldi mentem Capitulum

Statuta nimietatem in his damnant.

Stat. Nov. p. 2. c. 1 n. 7.

ANNUS 1124

generale anni 1424 quosdam audiens hoc Statutum violasse, hanc edidit ordinationem quam habes libro horum Annalium primo. Cumque Prior quidam in Hispania fuisset hanc legem prætergressus, admonetur per Chartam anni 1476 ut « conformet se consuetudini et formæ Ordinis; et superfluas, excessivas ac curiosas picturas ei interdicimus sub pœna absolutionis. » Alium quoque Priorem, recens institutum anno 1503, adhortantur Capituli generalis Patres, « ut cum conventu suo habeat bene videre indecentiam imaginum novarum factarum in altari majori, et illas tollat si non conveniant Ordini. Alias Capitulum mittet Commissarios, qui hoc facient. »

Honesta ornamenta non prohibentur.

Cons. Guig. cap. 8.

Stat. antiq. p. 1. c. 4. 13 et 18.

In his tamen videtur tantum a Statutis damnari nimius et immoderatus usus; non enim mens Ordinis unquam fuit honestos ac nitidos ornatus prohibere, semperque mos fuit apud nos, ut in solemnitatibus altare paulo pretiosioribus, quam diebus aliis, decoraretur ornamentis. Paramus altare, inquit Guigo, videlicet in vigilia omnium Sanctorum et aliorum quos enumerat. Et Rifferius decernit, « ut altare paratum sit per totas Octavas Natalis Domini, Paschæ et Pentecostes. » Anno 1444 per Chartam sancitur, ut « in die Cœnæ Dominicæ per totam missam altare majus solemniter sit paratum, ad divinissimi sacræ Eucharistiæ ac mirifici Sacramenti ampliorem reverentiam adaugendam. » Sed in his semper servanda est Cartusiana simplicitas, ut recte monuit noster Boso, loco superius allato, studentes soli Deo placere, non hominibus quorum frequentiam tum in cellis tum etiam in ecclesiis nostris vitare debemus. Unde *Ordinarium Cartusiense* præscribit, ut hostia quæ in die Cœnæ consecratur in Parasceve a sacerdote absumenda, « reponatur in loco consueto majoris altaris, » prohibetque « fieri pro ea reservanda, more secularium, monumenta vel alios apparatus nostræ solitudini non convenientes. » Quod maxime observamus ne seculares hujusmodi apparatibus attracti, solitudinem claustralium perturbent.

QUALES CUCULLÆ ECCLESIASTICÆ.

VI. Inter ornamenta quorum paupertatis et simplicitatis quidam nostros Majores arguebant, ecclesiasticam reperio cucullam, quæ eodem quo nostræ vestes panno conficieba-

tur, objectam majori censuræ fuisse. Hinc quidam Priores indulgentiores facti, panno relicto, telam lineam admiserunt; quos Aymo Cartusiæ Prior, Bosonis et illius zeli successor et imitator, dure corripiens « inhibet ne cum cucullis de tela linea factis serviatur amplius ad Missam *in Conventu.* » Sed cum usum panni crassioris restituisset, hunc iterum mutare cogitur Clarus, Aymonis post Jacobum de Viviaco successor, ad id compulsus suasionibus Talairandi cardinalis Petragoricensis per totum Ordinem nostrum ex Tricenario annuo notissimi, tunc temporis Majorem Cartusiam frequentissime invisentis. Quamobrem « de consilio et hortatu Domini Cardinalis Petragoricensis volumus et ordinamus, » inquiunt Capituli generalis Diffinitores ab ipso Claro admoniti, « ut de cætero in Missis conventualibus Diaconus cuculla honestiore solito induatur, veluti de fustana, seu boccaran, vel de sargia subtili et albissima; in cæteris Missis modus Ordinis super hoc consuetus teneatur. » At mortuo præfato Cardinali, Nostri suæ tenaces simplicitatis, modum huic Ordinationi adhibuerunt, quem Guillelmus Raynaldi suis inseruit Statutis, sic dicens : « Cucullas ecclesiasticas de tela, fustana vel boccaran amodo fieri inhibemus, ordinantes ut de cætero fiant de panno levi vel de sargia alba et subtili, et pro festis Candelarum ac Missæ Conventualis servitio aliquantulum meliori; sintque talis in longitudine quantitatis, quod sublata omni nota quilibet eisdem cucullis indui honeste valeat seu vestiri. Albis, croceis aut sulphuratis, vel aliter coloratis non utimur, sed prout sonant sint de tela alba et candida, nec nimis subtili et perspicua. » Juxta hoc Statutum cum quidam Visitatores jussissent veteres cucullas amoveri et novas fieri, generale sequentis anni Capitulum « permittit Domibus Ordinis, quod cucullis lineis et fustaneis jam factis utantur donec sint vetustate consumptæ, novæ tamen amodo non fiant nisi prout in novis Statutis continetur. »

ANNUS 1124

Ex ch. Cap. gen. an. 1324.

Ex ch. Cap. gen. an. 1335.

Stat. Nov. p. 1. cap. 5. n. 20. edita an. 1368.

Ex ch. Cap. gen. an. 1369.

Ab eo igitur tempore id religiose teneri videmus : nihilque in hujusmodi ecclesiæ ornamento mutatum fuit, nisi quod ecclesiasticam cucullam modo semper induimus super mo-

Olim monanachali non superinduebantur.

ANNUS 1124

nachalem, quam Majores nostri Missam celebraturi, prius exuebant quam induerent aliam. Dixi Missam celebraturos id observasse, non vero Diaconos aut Diaconorum fungentes officio ; hi enim retenta sua propria cuculla supervestiebant ecclesiasticam. Hunc usum discimus ex veteri Cœremoniarum Domus Cartusiæ Manuali ante trecentos annos conscripto : ibi enim capitulo secundo quod inscribitur, « de conventualibus Missis matutinalibus et de Officio in ipsis et aliis Missis, » ubi agitur de his quæ Diaconus observare debet post Missam conventualem, hæc habentur : « Qui Missæ Conventuali deservit, si alia Missa privata immediate sequitur, ministrat pro eadem dum Communio et Completæ dicuntur. Et si ipsam habeat ipse Diaconus celebrare, finita prima Completa et non ante, vestiarium intrat ac remotis ambabus cucullis, monachali videlicet et ecclesiastica, aliam pro celebratione induit ferialem : de vestiario ad locum ubi *Ite missa est* dici consuevit, dum de ultima Completa dicitur *in unitate Spiritus Sancti Deus* reversurus. Si vero eamdem Missam alius habeat celebrare; cum Communio fuerit inchoata remoto caputio intrat vestiarium, inclinando ad altare dum gradum ascendit, ac vestiarium post se occludit, suaque cuculla amota ecclesiasticam induit. » Et paulo post : « Diaconus serviens Missæ conventuali nunquam suam deponit cucullam, sicut nec sacerdos quando in Vesperis vel Laudibus habet thurificare altare, etc. » Et capitulo IV quod est de Missis privatis et altaribus sive capellis privatis, designatis cœremoniis a sacerdotibus ante celebrationem observandis, de juniore sacerdote seniori ministraturo hæc adduntur ; « deinde si ante non induisset, dictam induit cucullam, sua prius amota, dummodo velit celebrare ; sin autem suam retinens, super ipsam ecclesiasticam induit cucullam, etc. » Hæc ibi. Cur vero sacerdos celebraturus suam prius amoveret cucullam, id mihi videtur necessario factum fuisse propter nimiam illius amplitudinem et latitudinem, qua major pars utriusque brachii tegebatur, ut suo loco diximus; si enim sacerdos monasticæ cucullæ superinduxisset ecclesias-

Codex cartusiæ Massiliens.

V. an. 1084. n. 22.

ticam, quæ postea cum alba cingulo constringenda est, brachia habuisset impeditiora, quæ sæpius debet ad sacras cœremonias rite obeundas tollere et extendere. ANNUS 1124

JESU CHRISTI

ANNUS 1125.

Honorii PP. II Ann. 1.	Ord. Cartus. Ann. 42.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 16.

CALESIENSES INSTITUTUM MUTANT.

I. ANNUS adest Redemptoris millesimus centesimus vigesimus quintus, Indictione tertia, quo S. Hugo cernens Calesienses eremitas, quorum ipse institutor fuerat et fundator, sub priori proposito diutius conversari non posse, Bernardum eorem Priorem constituit et ordinavit Abbatem, qui novis forsan scriptis constitutionibus vitam eremiticam, quam hactenus Cartusiensium adinstar ibidem coluerant, in cœnobiticam servata tamen veste alba mutaret. Huic primum curæ fuit ut et suæ dignitatis et bonorum, quæ suo monasterio ab ejus fundatione collata fuerant, confirmationem a Summo Pontifice obtineret. Hæc Honorius tunc sedens, S. Hugonis interventu facile concessit in hunc modum :

Ex arch. mag. Cart.

Bernardus fit abbas.

Ordinatus a S. Hugone loci institutore.

« Honorius. Dilecto filio Bernardo abbati Calesiensis monasterii, ejusque successoribus regulariter substituendis inperpetuum. Piæ voluntatis affectus prosequente debet studio confoveri, ut ecclesiastica utilitas ex Apostolicæ Sedis juvamine vires accipiat et accrescat. Tuis igitur, dilecte in Christo fili Bernarde abbas, justis postulationibus clementi benignitate impertientes assensum, Calesiense monasterium, cui autore Deo, per ordinationem venerabilis ac religiosi fratris nostri Hugonis Gratianopolitani episcopi ejus institutoris, præsidere cognosceris, ipsius etiam interventu Episcopi sub Apostolicæ Sedis tutelam protectionemque suscipimus.

Præsentis siquidem nostri decreti pagina constituimus, ut quæcumque idem Frater noster et Coepiscopus monasterio ipsi concessit, quæque nobilis industriæ comes Guigo de Albione concessione uxoris suæ Mathildis reginæ obtulit, et quæcumque ab aliis fidelibus vel jam legitime acquisita sunt vel in futurum et juste atque canonice largiente Domino fuerint acquisita, Sedis Apostolicæ autoritate firmamus. In quibus hæc propriis nominibus annotamus : Prædium videlicet in quo monasterium situm est, sicut a præfato Comite et ejus uxore datum et terminatum existit ; terram quam dedit Amedeus comes ; decimas fructuum terræ vestræ, quos propriis sumptibus laboribusve colligitis ab eodem Gratianop. Episcopo traditas, etc. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eamdem ecclesiam et monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quæ in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit.... a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, etc. Datum Laterani per manum Aimerici S. Rom. Ecclesiæ diaconi cardinalis et Cancellarii, XIII Kal. Aprilis, Indictione tertia, Incarnationis Dominicæ anno MCXXIV, Pontificatus autem Domini Honorii secundi Papæ anno primo. »

ANNUS 1125

Etsi verisimile sit Calesienses ab eo tempore sancti Benedicti Regulam professos fuisse, constat tamen eos sibi proprias leges statuisse, quibus diversi a cæteris Regulæ Benedictinæ professoribus videbantur ; ita ut successu temporis, assumptis e Calesio monachis eximiæ pietatis viris qui suæ abbatiæ consuetudines in alia transferrent monasteria, speciale Institutum sub Calesiensis Ordinis nomine sensim sine sensu constituerint, ut alibi videbimus.

ECCLESIA PORTARUM DEDICATUR.

II. Eodem anno Humbaldus Lugdunensis archiepiscopus, quem nostri Portenses suum charissimum et amantissimum

ANNUS 1125

Patrem appellare solebant, Humberto Genevensi præsule adjutus, superiorem dictæ domus Portarum ecclesiam dedicavit : habitoque ad populum sermone, terminos ejusdem Cartusiæ (de quibus vicini quidam cum monachis contendebant) auditis utriusque partis testibus confirmavit, et pacem inter eos conciliavit, ut discimus ex fundationis hujus domus Historia a Bernardo Protopriore edita, cujus initium ipso conditarum Portarum anno dedimus. Deinde de hac dedicatione hæc sequuntur :

Ex Cartul. ejusd. dom.

« Porro de terminis quidam malevoli postea calumniam commoventes, dependentem aquam non a supernis verticibus montium, sed a quibusdam collibus longe citra positis, in terminorum definitione intelligi debere dixerunt ; quæ calumnia cum annis aliquot indiscussa mansisset, tandem die consecrationis ecclesiæ superioris, in auribus Patrum venerabilium episcoporum Humbaldi Lugdunensis et Humberti Gebennensis, post sermonem ad populum renovata est*. Processerunt autem illico quamplures de eadem multitudine, qui constitutioni terminorum interfuerant, veritati nostræ plenissime attestantes et falsitatem partis contrariæ oppositione certissima refellentes. De quibus tandem octo excepti sunt, qui jubentibus aliis datum testimonium juramento manu propria confirmantes, terminorum controversiam ad terminum debitum perduxerunt. Eorum autem testium nomina sunt hæc : Ebrardus de Sancto Vilbrardo, Boso de Benuncia, Humbertus de Sancto Saturnino, item Humbertus de Laaniaco, presbyteri ; Odo de Vallibus et Guido de Cassiaco milites, Humbertus Ruffus et Guillelmus de Benuncia. » Deinde loquitur de consecratione ecclesiæ inferioris « tribus annis interpositis », ut ibidem dicitur, facta. Quam quidem anno 1128 factam fuisse probabimus, unde necessario concludendum est dedicationem templi superioris ad præsentem referendam esse.

* *Al.* revocata.

Ab Humbaldo Archiep. Lugdun. et Humberto Epis. Genev.

Multi præterea, præfatorum Præsulum sermonibus commoti, terras et jura quæ in hac eremo sibi vindicabant, libenter condonarunt. Horum spectatissimus fuit, vir nobilissimus

ANNUS 1125

Gerardus de Briort, Guillelmi et Berlionis frater, qui cum matre sua Vandalmodi, muliere generosa, quicquid diversis in locis possidebat munifice largitus est, donum recipientibus Bernardo Priore et Bosone monacho. Ipseque tandem cum sua substantia libertatem Deo vovens, Conversi statum ibidem amplexus est, cujus et exemplo plures Nobiles ad sua largienda inducti sunt.

Gerard. de Briort fit ibid. Conversus.

Cartul. Port. fol. 15, 38, 48 et alibi.

III. Circa eadem tempora Bernardus de Porta, ex hujus regionis Nobilibus, factus Portarum monachus, a potenti viro Guichardo Domino de Bellijoco quicquid juris illius erat in tota eremo obtinuit, idem donum cum eo procurante Bosone ejusdem domus monacho, ut colligimus ex Cartulario ubi brevis donationis hujus Charta sub his verbis habetur :

BERN. DE PORTA FIT MONACHUS.

« Domnus Vichardus Beljocensis dono dedit Deo et B. Mariæ et Fratribus Portarum, per manum Bosonis et Bernardi monachorum Portarum quicquid infra heremum Portarum habebat ; testes sunt Stephanus miles de Vilars et Odoldricus miles ejusdem castri : hoc idem fecerat Domnus Amedeus comes. » Nec dies neque annus huic Chartæ apponuntur, quam tamen circa præsentem annum datam fuisse conjicimus, quod in notitia fundationis hujus domus anno 1128 scripta, fiat mentio donationum Guichardi et Amedei velut jam olim factarum. Porro Bernardus in præfata Charta nominatus, non est ille Portarum fundator et Prior, ut per se patet, unde necessario conficimus hunc esse Bernardum de Porta de quo plura annis subsequentibus occurrent dicenda, cujus vel patrem vel fratrem fuisse suspicamur Gausmarum de Porta generum nobilis Leutaldi, qui quemdam campum cum quibusdam aliis Nobilibus eodem tempore nostris Portensibus concessit. Forsan ex hoc anno aut certe non diu post, Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis Prioratum Inimontis sibi subjectum lustrans, Domum Portarum proximam adiit, utriusque Bernardi Cartusiensis invisendi gratia ; ibique permutationem quarumdam terrarum, inter utrumque conventum Inimontis videlicet et Portarum factam, suo chirographo communivit ut fidem facit Charta inde confecta : « Noverit

Ibid. fol. 34.

Idem Cartul. fol. 33.

Pet. Abbas Clun. Portas invisit.

ANNUS 1125

Id. Cartul. fol. 6.

quisquis has literas legerit Sofredum Garnerii Priorem Inimontis commutasse Portarum Fratribus, in manu Domni Barnardi Prioris, partem quam habebat in cavannaria.... pro parte quam prædicti Fratres habebant in territorio... ex dono Hugonis de Sancto Leodegario et fratrum ejus Humberti et Falconis. Cujus rei testes sunt Portarum monachi Pontius, Boso, Barnardus, et Conversi Bonuspar et Petrus. Ex altera quoque parte, Gillelmus Inimontis capellanus, et Johannes et Petrus monachi. Ego f. P. Cluniaci abbas subscripsi. »

VISIO FACTA MONACHO CALABRIÆ.

IV. Quidam monachus anonymus Calabrinæ domus Procurator, et a Lanuino, Eremi tunc Magistro, circa annum 1114 Cellæ Metauri præpositus, post duodecim annos in ea transactos mirabilem quamdam habuit visionem, quam ad calcem pervetusti codicis bullas Paschalis II Papæ ad dictum Lanuinum (quas suis locis dedimus) continentis, noster Constantius repertam de verbo ad verbum exscripsit et est ejusmodi:

Const. de actis S. Brun. ms.

« Fuit quidam Frater ab ineunte ætate bonis moribus pollens, et sicut patet operum indicio Deum valde diligens, qui videlicet relicta seculari pompa habitum Religionis accepit. Hic igitur Magistri Lanuini jussu omniumque Fratrum assensu, cujusdam Cellæ quæ Metabris dicitur, Procurator statuitur. Est apud eamdem Cellam quædam ecclesia in honore sancti Jacobi Apostoli ibi fabricata, cui jam dictus Frater cum cæteris sub ejus regimine positis serviebat, curisque mundialibus exequendo officium sibi injunctum insistebat; Fratribusque Eremi de eadem Cella, id est grangia, quod justum est reddens. Fuit vero sic in eadem Cella duodecim annis, ibique Deus hujusmodi visionem ostendere dignatus est, quam non sine metu testantibus lacrimis recolit. Nocturna igitur visione ostensum est ei quasi ædificium rotundum magnos muros et altos habens per gyrum ; et quamvis nesciret quomodo tandem ingrediebatur in eo, videbatque inibi stare magnam hominum multitudinem, et stare super muros Æthiopes omni fuligine nigriores, funesque in suis manibus tenentes, partemque illorum Æthiopum in terra esse, et de

ipsis funibus homines per colla ligare, illosque qui sursum erant trahendo levare; audiebatque quemdam sibi dicentem: isti sunt criminatores, id est qui crimina commiserunt nec pœnitentia delevere, sed vitam ita terminavere. Audiebat nihilominus voces hominum fœminarumque, qui cum ingenti ploratu dentiumque stridore dicebant: ego miser tale et tale crimen operatus sum. Similiter et fœminæ, cogentibus tormentis, licet sero et sine fructu scelera sua plangendo confitebantur. In medio autem prædicti ædificii erat quoddam ingens antrum multo incendio plenum, ardebatque quam terribiliter. Ante vero antri foramen innumeri homines stabant, qui in illo specu ab Æthiopibus omnes maxima vi et eodem modo impingebantur, quo a pastoribus oves in ovili sive in caula truduntur. Prædictus itaque Frater hoc videns multum stupebat, valdeque perterritus in se ipsum aiebat: O Deus, quomodo fugere vel abscondere me possem, ne ab istis spiritibus videar, et quod alios pati video patiar? Illos enim esse spiritus sciebat, et ideo se evasurum nullatenus credebat. Enimvero hæc intra se cogitans, sicut nescivit quomodo vel qualiter introiit, ita fatebatur se nescire quomodo exiit; eum tamen inenarrabiliter lætum fuisse sciatis, cum de ædificio se exiisse murosque evasisse cognovit. Dum enim intus erat, securitatem qua similia pateretur non habebat. Istis majora magisque stupenda succedunt. ANNUS 1125

« Postmodum etiam vallis quædam illi ostensa est, quæ multis clibanis grandi incendio ardentibus replebatur; viditque ibi homines, quos in seculo cognoverat, ardere et penitus cremari. Recognovit quoque ibi quemdam senem decrepitæ ætatis et longo senio confectum, in uno clibano non multis carbonibus pleno, sed tamen ardebat. Vidit etiam ab illis Æthiopibus quemdam furnum parari, ut in eo quidam presbyter, cujus cognitionem in seculo habuerat, cremaretur. Matrem quoque suam, facto de spinis rogo igneque supposito, ardere vidit. Quo viso inenarrabiliter stupens admirabatur et cogitabat, qua de causa sic mater sua cremaretur; nam sicut moris est infantium semper cum illa fuerat, nec aliquid

ANNUS 1125

vitiosum seu reprehensibile de ea aut viderat aut comperierat; sapiens enim et valde religiosa secundum seculi opinionem putabatur. Cum vero hæc cogitaret, dictum sibi est pro qua re tam intolerabili pœna afficiebatur. Vidit denique quamdam domum, in quam cum intrasset, eam plenam rabidis canibus se vidisse refert. Exiensque de illa domo per quoddam ostium, agnovit patrem suum quasi in sublimi sedere juxta domum, suisque genibus strictis circa se collectis, manum velut nimia actus mœstitia ad maxillam tenere, plangendo dicens : væ mihi misero, o Maria, quam male et ad quantam infœlicitatem meam te vidi ! Hoc quare diceret bene prædictus Frater noverat dicens: matre mea mortua, ancilla una in domo remansit, cum qua patrem meum coeundo peccasse animadverto. His ita peractis vidit alium clibanum quasi recenter factum, clausum, neque ignem neque os habentem, dictumque est illi, ab illo qui ostenderat, suum esse: quo audito cor ejus valde contremuit, et ex ipso metu quem habuit a somno evigilans, expergefactus est. Postea cœpit in corde suo recordari omnium quæ viderat, et præ ineffabili timore eorum quæ audierat, lacrymas fundebat. Protinus itaque surrexit cucurritque ad ecclesiam, et projiciens se in terram mentali affectu clamavit ad Dominum ut sibi propitius esset, seque eriperet de cruciatibus et pœnis quæ peccatoribus imminent. Non minori etiam devotione totius creaturæ Dominam, sanctam videlicet Mariam, omnesque Angelos et nominatim sanctum Jacobum cum cæteris Apostolis, omnibusque Sanctis, ut Deum suis sanctis precibus sibi propitium facerent, Deoque supplicarent ne pro suis culpis cruciaretur, exorabat. Oratione itaque completa, visionem quam viderat, tacitus recolendo seriatim et per ordinem descripsit. Et valde perterritus nocte vigilare, seque ab hujus mundi actibus demere, et singulis diebus semel tantum comedere cœpit, omnique die pro fidelibus defunctis Missam canere et psalmos ut poterat, dicere studuit. »

MONACHI CALABRI MISSAS FREQUENTER DICEBANT.

V. Unum in primis observatione dignum in hac visione (cujus multa exempla in vitis Sanctorum occurrunt) depre-

hendimus; nempe monachum illum quotidie Missam cecinisse, id est privatim celebrasse. Nam « Missam cantare, » ut tomo primo in Notis ad Guigonis Consuetudines recte observatur, sæpe sumitur pro « Missam dicere »; de qua interpretatione Docti omnes conveniunt. Præfatus itaque Monachus quotidie rem sacram peculiariter frequentabat, quod fieri potuisse non solum ex superioris licentia concedimus, sed id etiam licitum fuisse conjicimus ex Lamberti Constitutionibus quas superius dedimus. Nec ullam in hoc novitatem Nostri Calabri inducebant; quando quidem hic mos jam invaluerat a seculo septimo apud viros pios non paucos, et maxime apud monachos, prout variis exemplis ostendit doctissimus Mabillonius : idque ex quibusdam Regulis probamus. Jubet Magister in Regula, ut « quotidie Cellararius cum Septimanariis coram Abbate in oratorio cum Congregatione communicet »; et S. Dunstanus statuit, ut « post pacem Fratres quotidie, nisi qui crimine se aliquo vel carnis fragilitate reos cognoverunt, regulari studio prorsus intenti Eucharistiam accipere non renuant. » Quæ hic de Christi corporis sumptione dicuntur, facile possunt ad Missarum celebrationem accommodari; si enim monachis non sacerdotibus licet singulis diebus ad sacram synaxim accedere, cur sacerdotibus illam facere denegaretur? Et revera Grimlaicus, Regulæ Solitariorum autor, arbitratur « SS. Patrum assertione hæc utraque fieri posse, id est et Missas quotidie celebrare, et sacrosancta Corporis et Sanguinis Domini mysteria quotidie cum tremore et timore sumere; ab his tamen qui mundi sunt ab omni inquinamento carnis et spiritus. » His igitur autoritatibus et exemplis moti Calabri Cartusienses, suis permittebant frequentiorem Missæ usum.

VI. At non idem observabatur a Matris Cartusiæ monachis, quos constat prioribus Ordinis temporibus privatas quidem Missas peregisse, sed non tam frequenter ac nostri Calabri. Hujus rei argumentum habemus in vita sancti Antelmi, qui factus Bellicensis episcopus, « omni fere die, quod ei raro licebat ante (nempe quando in Cartusiæ vel Portarum claus-

ANNUS 1125

Tom. I. horum Annalium pag. 40 et 42.

An. 1120. num. 4.

Mabillon. in præfat. sec. 2. Bened.

Magist. Reg. cap. 16.

S. Dunstan. Stat. c. I.

Reg. solitar. c. 36.

CARTUSIÆ MONACHI RARIUS SACRIFICABANT.

Vita ms. S. Antelmi et apud Sur. 27 Jun.

ANNUS 1125

tro degebat), salutarem Dei hostiam offerebat omni cum devotione. » Sanctus quoque Hugo Lincolniensis Præsul, « sicut pridem monachus quoties de permissu Ordinis licuit, ita jam Episcopus quoties possibilitati ratio occurrit, Missas celebrare nullo tempore prætermisit. » Quibus vero diebus id nostris licuerit non reperimus. Patet tamen licuisse primo diebus Dominicis : nam juxta Guigonis Consuetudines, « Dominica post Primam statim signum pulsatur si Missa ea die cantanda est » ; privata videlicet (nam de conventuali inferius agit) nec una quidem, sed tot quot erant sacerdotes, ut innuunt hæc verba immediate sequentia, « id est si sacerdos vel sacerdotes rationabili non impediantur de causa. » Quibus in verbis tria sunt annotanda : primum, omnes monachos sacerdotes ea die fuisse celebrare solitos, si legitimum non intercessisset obstaculum ; alterum, quemdam saltem ex sacerdotibus debuisse Missam privatam facere, quam audirent Conversi vel famuli, qui circa infirmos vel circa rerum domesticarum, quæ tunc temporis exiguæ non erant, administrationem occupati, conventuali sive majori Missæ adesse non poterant ; tertium, quod in præfatis Guigonis verbis observare debemus, illud est nempe duas saltem Missas diebus Dominicis celebratas fuisse, *unam* post Primam sive incipiente luce, ut apertissime in eisdem Consuetudinibus declarat Guigo loquens de secunda Missa in die Natali Domini celebranda, cum dicit : « secundam Missam post matutinas Laudes incipiente luce, sicut fieri solet in Dominicis diebus, cantamus », ergo diebus Dominicis incipiente luce Missam unam cantabant ; *alteram* vero, quam Majorem nuncupabant, congruo tempore, id est hora tertia ut capitulo septimo dicitur, celebrabant. Scimus quosdam ac novissime *Paschalis Agni* autorem, scripsisse Cartusienses et alios quosdam Monachos, unam tantum Missam ad quam omnes conveniebant, solis diebus Dominicis et solemnioribus antiquitus egisse, idque tuentur autoritatibus Petri Cluniacensis, Guiberti de Novigento et Petri Blesensis, quorum verba postea dilucidabimus ; sed contrarium eruimus tum ex citatis Consuetudinum Guigonis articulis, tum ex

Vita ms. S. Hugonis.

Cap. 7. num. 4.

Cap. 8. num. 4.

Bona de rebus liturg. l. 1. c. 17.
Agn. Pasch. in Admonit. prob. 2. n. 3.

aliis earumdem locis, quibus fides potius habenda est quam cuilibet autori quamvis gravi et sancto. « In die sancto Paschæ, inquit Guigo, inter Matutinas et Primam, cunctis (in quantum eorum sinunt obedientiæ) laicis præsentibus et communicantibus, ea celebritate quæ Dominicis solet diebus Missa cantatur, duobus vel tribus monachorum sacerdotem juvantibus. In majori Missa communicat Conventus et qui de laicis communicaturi sunt. » Ecce duæ Missæ non tantum diebus Dominicis, sed etiam « solemnioribus, » ; nam idem faciebant diebus Pentecostes et Natalis Domini, ut ex iisdem Consuetudinibus patet, quod nos etiam hodie pie observamus. Præterea neque his solum diebus unam vel plures Missas celebrabant, ita ut cæteri dies Liturgia carerent (ut mens esse videtur cardinalis Bonæ), sed etiam sæpe et per totius anni decursum, sacrum publice et conventualiter peregisse probabimus infra, ubi de Missis conventualibus agemus.

ANNUS 1125

Cap. 4. n. 29.

Bona ubi supra c. 18.

VII. Præter diem Dominicam, divinum Missæ officium unusquisque etiam privatim exequebatur diebus festis, sive solemnibus sive capitularibus. Id indicare videtur Petrus Cluniacensis de Cartusiensium institutionibus loquens. Postquam enim scripsit eos semel in die comedere, « exceptis octo diebus Natalis Domini, Purificatione Sanctæ Mariæ, octo diebus Paschæ, octo diebus Pentecostes, Epiphania Domini, Annunciatione Domini quando Paschali tempore provenit, Ascensione Domini, Assumptione ac Nativitate jam dictæ sacræ Virginis Matris ejus, et exceptis diebus festis duodecim Apostolorum, Sancti Joannis Baptistæ, et illo quod in Calendis Novembris celebratur festo Omnium Sanctorum ; » statim agens de divino officio subdit : « quibus tantum diebus (iis videlicet quos superius enumeravit) antiquorum Eremitarum æmulatione, ne ab aliis sacris operibus licet dignitate inferioribus impediantur, salutare omnipotenti Deo pro salute sua ac mundi Sacrificium offerunt. » Quæ quidem verba de communi et majori Missa videntur esse intelligenda ; non vero ea quæ statim sequuntur : « his sacris diebus qui singulari privilegio a Domino vel ejus Resurrectione Dominici dicun-

DIEBUS SOLEMNIBUS.

Pet. Clun. l. 2. de Mirac. c. 28.

ANNUS 1125

tur, ac sæpe dictis Ipsius vel Sanctorum ejus solemnitatibus, Missas celebrant; » nempe privatas, singuli singulas. Nec enim de conventuali, cujus proxime superius meminerat, loquitur, cum id supervacaneum fuisset; nec etiam omnes dies festos recensuit venerandus Abbas, ut mox inferius dicemus.

Cons. Guigon. cap. 14.

Præterea quando quis obierat sive ex personis Domus sive ex aliis quibus Tricenarium concedebant, triginta missas per triginta dies continuos persolvebant, quarum prima conventualiter cantabatur, cæteræ monachis sacerdotibus dispertiebantur privatim dicendæ, etiamsi occurreret festus dies. Unde iterum patet plures eodem die Missas ipsos celebrasse. Autor Operis cui titulus *Speculum stultorum,* de quo supra*, in Cartusiensium descriptione ubi de victu et de Missarum celebratione agit, videtur innuere Cartusienses singulis quidem diebus festis sacrum fecisse, sed feriatis id tantum semel vel bis in mense eis licitum fuisse.

*V.an.1084.

Cod. notat. 1349.

Qualibet hebdomada ter pane cibantur et unda;
Non comedunt carnes. Sit nisi festa dies
Et semel in mense vel bis, de jure venire
Ad missam poterunt, si vacat atque volunt.

Vero tamen simile est, nostros adhuc sæpius Missam privatim dixisse ex Superioris licentia, quando quis ad id interius speciali quodam pietatis motu impulsum se sentiebat; ut « ex ea præcipue muneris sacri devotissima frequentissimaque perceptione (sicut de S. Hugone Lincolniensi jam episcopo loco citato legimus), et singularem cordis munditiem, et insuperabilem constantiæ cæterarumque virtutum firmitatem obtinere promereretur. » Quandonam vero, quave occasione frequentior et quasi quotidiana privatarum Missarum celebratio cœperit admitti, anno 1183 dicemus, ubi Petri Blesensis epistolam ad quemdam Cartusiensem scriptam dabimus.

MISSÆ CONVENTUALES.

VIII. Nunc præstat, quandoquidem sese præbet occasio, aliquid de Missis communibus sive conventualibus subjicere. Si Petro Cluniacensi credimus ipsas Nostri cantabant iis

tantum diebus, quos ex eo supra recensuimus. Petro videtur adstipulari Guibertus de Novigento, loco non semel in his Annalibus commemorato : « Missas, inquit, ni fallor, Dominica et solemnibus diebus audiunt. » His addit Petrus Ecclesiæ Parisiensis Cantor, quorumdam festorum vigilias : « Sanctus Ordo Cartusiensium non, nisi in festis et profestis speciali officio intitulatis, audet conficere » res sacras ; sed ex nostri Guigonis Consuetudinibus discimus eas fuisse frequentissimas. « Per totum Quadragesimæ tempus (sic enim habet)... in capite Jejunii... Sextam, Missam et Nonam in ecclesia cantamus ; » et infra : « eadem hora duobus sequentibus diebus Missas facimus. A sequenti feria secunda usque ad Cœnam Domini... Nonam et Missam cum Præfatione de Quadragesima et Vesperas OMNI DIE in ecclesia cantamus, si sacerdotum adsit copia, vel qui adsunt aliqua rationabili non impediantur de causa. » Sacerdotum copiam non defuisse eo tempore quo hæc scribebat, colligimus ex Calendario sive Necrologio quo tunc utebantur, in quo paucis post harum Constitutionum scriptionem annis, ex sex monachis una die mole nivium obrutis duo leguntur sacerdotes fuisse ; alii vero quatuor ætatem ad sacerdotium adipiscendum requisitam nondum forsan attigerant : nec dubium quin ex superstitibus præter Guigonem, qui absque dubio ea decoratus erat dignitate, aliqui etiam sacerdotio præditi fuerint. Imo ex decretis Capitulorum generalium sub Basilio et Jancelino editis, constat omnes vel fuisse sacerdotes vel fuisse ad sacerdotium promovendos. Ibi enim sic legimus : « Cum unus solus adest Diaconus, servit ad omnes Missas conventuales ; et cum paratus non est, supplet ejus vices ultimus in ordine sacerdos. Diebus autem duas Missas habentibus (ecce duæ in uno die Missæ), Diaconus servit ad majorem Missam et præscriptus sacerdos ad minorem ; si vero die illa non sit paratus Diaconus, penultimus sacerdos servit ad minorem Missam, et ultimus (nempe sacerdos), qui aliis diebus supplet vicem Diaconi, servit ad majorem. Cum nullus monachorum est Diaconus, omnes per ordinem Monachi (qui tunc propterea forent sacerdotes) serviunt ad

ANNUS 1125

Pet. Cantor in verb. abbr. cap. 28.

Quibus diebus celebratæ.

Cap. 4. n. 5. 7 et 12.

Omnes monachi sacerdotes.

Cap. 4. n. 34. et 35. cap. 8. num. 1.

Duæ Missæ in uno die.

ANNUS 1125

Missam, etiam Procurator ; et tunc Evangelium (sive potius Evangelii lectionem) dicit ad Matutinas cui contingit ex ordine, videlicet nonus. » Hæc ibi, quæ fortasse sancti Antelmi tempore jam fuerant sancita. Ea vero a Rifferio Antiquis Statutis postea fuerunt inserta, sed Procurator hac vice ibidem eximitur.

Præter Natalis Domini, Paschæ et Pentecostes octavas, alii plures dies Missas etiam habebant, nempe vigiliæ Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, sanctorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatæ Mariæ, Omnium Sanctorum, Natalis Domini, dies quatuor Temporum, festa quorumdam Sanctorum Confessorum et Martyrum de quibus sic habet : « *Credo in unum Deum* tam in diebus Dominicis quam in cæteris, exceptis Confessorum et Martyrum festivitatibus, et tribus diebus Paschæ et Pentecostes dicimus. » Id est in festis Confessorum et Martyrum Missam quidem dicimus, sed sine « Credo in unum Deum, » quod dicitur tantum diebus Dominicis et aliis solemnibus præter festivitates Confessorum et Martyrum, et trium dierum post Pascha et Pentecosten, ut etiamnum observamus. Hic Guigonis locus alium capituli noni explicat articulum, ubi numero tertio declarat quod « in cæteris duodecim lectionum festis, quibus Capitulum non tenemus, nec Missam dicimus » ; quæ quidem de Missis tantum privatis intelligenda esse probantur Tomo primo, non vero de majori Missa quæ diebus festis duodecim Lectionum videtur celebrari solita, etiam Guigonis temporibus. Porro hujusmodi festorum erant, ut etiamnum sunt, tres classes : prima continet ea quæ solemnia vocamus ; altera complectitur quæ festa Capituli dicuntur ; tertia denique habet omnes Sanctorum festivitates, quæ sub duodecim Lectionum ritu observantur. Sanctorum Confessorum et Martyrum festa primæ et secundæ classis semper Missam majorem, etiam a fundatione Ordinis habuerunt, et in eis sæpissime antiqui Patres nostri privatim celebrabant, ut ex supra dictis apparet. Suntque hæc de quibus meminit Guigo loco capituli septimi superius relato, inter quæ præter ea quæ ex Petro Clunia-

Caput 3 per totum, cap. 7. num. 7.

To. I. horum Annal. p. 42.

censi retulimus, hæc adhuc in prænominato Cartusiæ Calendario recensentur, nempe sanctorum Vincentii, Agathæ, Benedicti, Laurentii, Exaltationis Sanctæ Crucis, Michaelis Archangeli, Dedicationis ecclesiæ, et Martini episcopi. Festa vero duodecim Lectionum in eodem Calendario annumerantur septemdecim, inter quæ occurrit S. Hugonis Gratianopolitani, quem Missa caruisse non verisimile est, cum ejus Revelatio seculo sequenti cum Capitulo jussa sit celebrari, et quidem cum Missa juxta mentem Guigonis loco citato. De aliis sexdecim tacemus brevitati studentes.

ANNUS 1125

Denique « pro Benefactoribus per singulas hebdomadas, tam pro eis quam pro hujus loci habitatoribus et universaliter pro cunctis fidelibus defunctis, ab hebdomadario æstate ante Primam, hyeme post, Missa una cantatur ». Quod si festus occurrisset dies, privatim persolvebatur ; sicque eo die duæ celebrabantur Missæ. Hanc autem Benefactorum Missam privatim celebratam fuisse hactenus credidimus, sed eam nunc deprehendimus conventualem fuisse : quandoquidem eadem hora qua majores Missæ celebrabantur, a Guigone jubetur decantari.

Missa pro benefactoribus.

Cap. 14. n. 4.

IX. Supputatis igitur præfatis diebus et festis, reperimus ducentos et amplius dies in anno quibus Missam conventualem primi Cartusienses cantare consueverant. Quibus si addas Tricenaria, Anniversaria, privatasque Missas, invenies trecentos aliquando dies Missæ celebrandæ fuisse deputatos, etiam Guigonis tempore. Cum enim aliquis obierat, « ab ipso sepulturæ die usque ad tricesimum, quotidie pro eo non tamen in conventu Missa cantatur, notatoque in Martyrologio ejus obitus die, semper anniversaria in Conventu pro eo Missa, hyeme post Primam, æstate ante, celebratur : » id est singulis annis quamdiu Ordo stabit, quod per adverbium « semper » significatur, et probatur ex usu ab eo tempore inter nos recepto et observato. Ex cujus articuli observatione necessario futurum erat, ut nullus anni dies Missa careret anniversaria. Quamobrem multiplicatis temporis successu innumeris Anniversariis, sancitum postea fuit « ut si uno die

QUOT DIES PER ANNUM MISSAS CONVENTUALES HABUERINT.

Ubi supra num. 1.

ANNUS 1125

Ordinarium Cartus. cap. 37. n. 2. et Tert. Compil. c. 2. n. 12.

To. 1. horum annal. p. 46.

Agn. Pasch. probat. 1. n. 8. et 9.

Ratio cur rarius nostri sacra faciebant.

plura Anniversaria occurrunt, vel si Anniversarium die festo occurrens transferatur ad diem primo vacantem, in qua aliud Anniversarium vel Anniversaria contingent, pro omnibus unica Missa et Agenda persolvatur. » Ex his omnibus liquet extraneos scriptores verum verborum Guigonis sensum hactenus non percepisse, quibus dicit : « raro quippe hic Missa canitur. » Quæ quidem intelligenda esse de Missis, quas his jam temporibus sæpissime a monachis seculares expetebant, perspicue demonstratur tomo I in observationibus ad Guigonis Consuetudines, sed etsi intelligerentur de qualibet Missa (quod tamen concedi ob præmissa non debet), an ideo hujus raritatis ratio petenda erit a fide et veneratione erga augustissimum Altaris Sacramentum, quibus Cartusiensem Ordinem inniti vult pius *Agni Paschalis* autor ? Nonne potius ipsi Guigoni credendum est rationem aliam referenti ? « Raro quippe inquit, hic Missa canitur, quoniam præcipue studium et propositum nostrum est silentio et solitudini cellæ vacare. » Vera igitur raritatis illius causa fuit silentii et solitudinis studium. Guigoni assentitur Petrus Cluniacensis loco superius citato, cum Cartusienses dicit certis tantum diebus Missæ sacrificium offerre, « ne ab aliis operibus, licet dignitate inferioribus, impediantur ; et id quidem antiquorum Eremitarum æmulatione, » quos juxta quorumdam Regulas constat diebus tantum Dominicis et solemnibus divinam immolasse Victimam. Quandonam cœpit Ordo singulas Missas conventuales singulis hebdomadarum diebus assignare, sub hujus nostri seculi finem dicemus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1126.

Honorii PP. II	Ordinis Cart.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 2.	Ann. 43.	Ann. 17.

I. VIGESIMUS sextus post millesimum centesimum annus adest, Indictione quarta, quo florebat Lazarus Majoris Cartusiæ professus, ac primus Durbonensis cartusiæ Prior, ad eam a Guigone missus. Hic, anno præsenti, fundationem ejusdem sibi commissæ Domus auxit bonis quæ obtinuit a Bernardo Rufo sacerdote, ad Petri Vapincensis episcopi suasionem, ut habent Sammarthani. Sed temporalibus spiritualia bona præponens dum his suos ditare studet, beati Hieronymi Epistolas ab eodem Guigone obtinet, quas ipse Guigo nimio scriptorum vitio depravatas et in ordinem redactas ad eum misit cum sequenti epistola, in qua maxime agit de supposititiis ejusdem sancti Doctoris Epistolis.

LAZARUS PRIOR DURBONENSIS FLORET.

Sammarth. tom. 3. Gall. Christ.

Epistolas S. Hieronymi a Guigone obtinet.

II. « Amicis et Fratribus in Christo dilectissimis, Lazaro Durbonensi Priori et cæteris in eadem eremo Deo famulantibus, Cartusiæ Prior vocatus Guigo, æternam a Domino salutem. Inter cætera catholicorum virorum, quæ ad eruditionem Fidelium elaboraverunt, opera quæ nostra quoque parvitas congregare studuit vel emendare, etiam Epistolas beati Hieronymi quotquot potuimus, undecumque quæsitas et pro concessa a Deo facultate mendaciis expurgatas, in unum grande volumen redegimus. Abscidimus autem ab eis quasdam, quas vel ex aliorum Doctorum scriptis, vel ex styli sententiarumque distantia, titulo tanti viri comperimus indi-

GUIGONIS AD EUM LITERÆ.

ANNUS 1126

gnas; ex quibus illa est cujus est titulus ad Demetriadem, hoc habens initium : « Si summo ingenio parique fretus scientia ». Hanc quippe beatus Augustinus in opere contra Pelagium *de gratia Christi et de peccato originali*, ejusdem Pelagii esse dicit, quædam ipsius frusta Tractatui suo interserens atque redarguens. Huic adduntur et istæ ad Titatium de morte filiæ, cujus initium tale est : « Caritatis tuæ scripta percepi ». Ad Oceanum consolatoria, tale habens initium : « Diversorum opprobria, tribulationes multiplices. » Ad Viduam, quæ sic incipit : « Magnam humilitati nostræ fiduciam scribendi ». Ad virginem sive ad filiam Mauritii (dupliciter quippe intitulata reperitur) exordium istud accipiens : « Quantam in cœlestibus beatitudinem ». Item de lapsu virginis, sive de pœnitentia ad Susannam; uterque enim titulus in diversis codicibus invenitur. Quæ tam diversis titulatur autoribus, ut eorum nullius sit decoranda vocabulo; cujus hoc est in quibusdam libris initium : « Puto leve esse crimen; » in aliis istud : « Quid agis anima ? Quid cogitationibus æstuas ? » Ad Desiderium de XXX Lectoribus, a nescio quo in irrisionem Doctorum composita. Ad Celantiam sic incipiens : « Veteris Scripturæ celebrata sententia est; » hæc stylo quidem nobiliore est scripta, sed nec sic beato Hieronymo digna. Postrema est de Origine animæ, disputatio quasi inter beatos Hieronymum et Augustinum; ubi licet multa ex eorum scriptis ponantur, falsa tamen est : tum quia præfati doctores nunquam inter se præsentialiter sunt locuti; tum quia eadem quæstio nec apud nos, nec apud cæteros fidei catholicæ sectatores adhuc usque potuit liquido definiri. Hujus disputationis tale reperitur principium : « Cum apud vos cœlestis eloquentia purissimi fontis ». Ne autem prædicti Doctoris Epistolæ sine rationabili causa apud imperitos suo videantur numero diminutæ, has nostræ parvitatis literas in principio collocate. Valete. Orate pro nobis. »

Veteris Cartusiæ Chronici continuator mentionem hujus operis his verbis fecit : « Epistolas quoque B. Hieronymi in multis falsificatas, et errore scriptorum corruptas vel immu-

tatas, ad veritatis lineam reduxit et mirabiliter emendavit; ostendens in Prologo super dictas Epistolas per ipsum compilato, quæ epistolæ essent et quæ ipsi Hieronymo non ascribendæ. » Lazarus denique dictam domum Durboniensem rexit annis viginti novem, ab anno videlicet 1116 quo fundata est, usque ad annum 1145 quo sancte obiit die Novembris octava, ut constat ex Calendario et Cartulario Domus, ubi sunt viginti duæ donationes factæ illius prioratus tempore. ANNUS 1126

IV. Circa vel ante eadem tempora scripsit Guigo devotissimum *de Modo orandi* Tractatum, ad instantiam Gervasii Cartusiensis, cui et opus dedicavit, ut ex sequenti ad eum epistola apparet : GUIGO SCRIBIT DE MODO ORANDI.

« Dilecto fratri suo Gervasio, frater Guigo delectari in Domino. Amare te ex debito teneor, quia prior me amare cœpisti, et rescribere tibi compellor quia literis tuis ad scribendum me prius invitasti. Quædam ergo quæ de spirituali exercitio claustralium excogitaveram, transmittere proposui, ut qui talia experiendo melius quam ego tractando didicisti, mearum judex sis cogitationum et corrector. Et merito hæc nostri laboris initia tibi primitus offero, ut novellæ plantationis primitivos fructus colligas; quoniam de servitute Pharaonis te delicata solitudine laudabili furto surripiens, in ordinata castrorum acie collocasti, ramum de oleastro artificiose excisum inserens in oliva. » Hæc Guigo, qui in fine Tractatus Gervasium iterum alloquitur : « Tu ergo, inquit, frater mi Gervasi, si quando datum tibi fuerit desuper prædictorum graduum celsitudinem conscendere, memento mei, et ora pro me cum bene fuerit tibi ut sic cortina cortinam trahat, et qui audit dicat : Veni. »

Hic Tractatus inter sancti Augustini opera reperitur cum hac Doctorum Lovanensium censura : « Hoc opusculum fertur etiam inter opera B. Bernardi, quamquam nec illius videatur esse. » In codice vero ms. Coloniensis cartusiæ, Guigoni V Majoris Cartusiæ Priori tribuitur cum sequenti epigraphe : « Epistola Domni Guigonis Cartusiensis ad fratrem Gervasium de vita contemplativa, » sicque fuit autori suo

ANNUS 1126

Guigoni restitutus. Sæpius olim editus sub diversis titulis, nempe *Scalæ Paradisi* et *Scalæ Claustralium*. Idemque est quem Bunderius inscripsit, *de quatuor Gradibus spiritualibus;* nam primum capitulum eumdem præ se fert titulum sic : « Descriptio quatuor graduum Exercitationum spiritualium ». An Gervasius in præfata Epistola et ad Tractatus calcem nominatus, idem sit qui tertius extitit Domus Montis Dei Prior, non plane constat ?

JESU CHRISTI

ANNUS 1127.

Honorii PP. II Ann. 3.	Ordinis Cartus. Ann. 44.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 18.

I. ANNUS sequitur vigesimus septimus post millesimum centesimum, Indictione quinta, quo Leo eremi Calabriæ Magister die sexta Martii mortalis corporis deponit pondus, sanctumque Deo emittit spiritum. In cujus locum suffectus Magister Germanus, non longo post suam electionem tempore, vita pariter et officio defungitur, anno videlicet sequenti, die vigesima prima vel trigesima prima Augusti. Post quem Magisterium suscepit Radulphus qui et Rudolphus dicitur, cognomento a Crucifixo, nulli antecessorum suorum secundus. Fuit unus ex S. Brunonis discipulis qui successori ejus Lanuino obedientiam promisisse legitur cum suis collegis, de quo et quædam annis sequentibus occurrent narranda.

LEO MAG. EREMI CALABR. MORITUR.

Constant. de actis S. Brun. et successor.

Item Germanus illius successor.

Radulphus fit mag. ejusdem Eremi.

II. Hoc pariter anno, Stephanus Sancti Theodori abbas quasdam terras et decimas Bernardo Calesii abbati concessit, in sancti Hugonis Gratianopolitani episcopi gratiam, cui propterea sequentes literas scripsit in ejus præsentia :

STEPHANUS SANCTI THEODORI ABBAS DOMUS CALESII BENEFACTOR.

« Domino et Patri charissimo ac reverendissimo Ecclesiæ Gratianopolis episcopo Hugoni, Stephanus S. Theuderii abbas et ejusdem cœnobii conventus, perpetuam in Domino salutem. Non solum qui bona faciunt, sed etiam qui facientibus divinæ inspirationis instinctu opitulantur, ab omnium remuneratore Deo præmia condigna suscipient : ideoque precibus vestris quas spernere non debemus obtemperantes,

Ex archiv. mag. Cart.

ANNUS 1127

Bernardo abbati Calesii ejusque successoribus et Fratribus in eodem loco degentibus, concessimus et donavimus cabanneriam quæ appellatur Furnus, etc. Quam donationem sub vestro, sicut recolitis, conspectu fecimus prædicto Abbati et Fratribus ejus et successoribus, eorum jure perpetuo permansuram, etc. Facta est donatio atque laudatio ista in præsentia Domini Hugonis Gratianopol. episcopi, et Oldrici ejusdem Ecclesiæ Decani, et S. Theuderii abbatis Stephani qui hanc donationem fecit, et Boniparis Prioris de Buxia, et Aquini, Bosonis, Siebodii et Rostagni monachorum Sancti Theuderii; et coram Capitulo laudata. Testes sunt Guillermus monachus S. Theotfredi, et Joannes Ruffus Calesii monachus, et Bernardus ejusdem loci Conversus, et Bernardus Canonicus S. Ruffi, et Petrus Stephani Magalonensis Canonicus. Anno ab Incarnatione Domini MCXXVII, Indictione quinta, epacta sexta. »

GUIGO CARTUSIÆ CONSUETUDINES SCRIBIT.

III. Per id tempus vel paulo ante, non vero tardius, aucto jam et in dies accrescente domorum Ordinis numero, et eorum qui ad secretioris puriorisque vitæ normam et studium anhelabant; hortante eodem sancto Hugone episcopo et quibusdam novarum cartusiarum Prioribus, idipsum a Guigone Majoris Cartusiæ Priore enixe petentibus, tandem ipse Guigo tot eximiorum virorum precibus devictus, suæ domus sive Cartusiæ consuetudines conscripsit. Diximus non tardius hoc anno, nam Bernardus Portarum Prior et ejus conventus easdem consuetudines jam susceperant anno sequenti, quo literas confecerunt ibidem exscribendas, quibus juxta quadragesimum primum earum capitulum (quo sancitum fuerat ut nulla bona extra eremum possiderentur) similem sibi suisque successoribus legem præscripserunt. Nec etiam diu ante, hujusmodi consuetudines editæ sunt, cum verisimile sit Bernardum, qui Guigonem ad earum scriptionem incitaverat, eas citius quam potuit suo conventui obtulisse et cum eo stricte observandas admisisse. Has porro Guigo profitetur composuisse « carissimi ac Reverendissimi nobis Patris Hugonis Gratianopolitani episcopi, cujus voluntati (inquit) resis-

Jussus a S. Hugone, et a quibusdam Prioribus rogatus.

tere fas non habemus, jussis et monitis obtemperantes, et ad postulationem amicorum et fratrum in Christo dilectissimorum Bernardi Portarum, Humberti S. Sulpicii et Milonis Majorævi Priorum » : quorum duo, Portensis videlicet ac Majorævensis, Cartusiense profitebantur institutum. Tertius vero, Humbertus scilicet Prior Sancti Sulpicii, nostri non erat Ordinis sed Cisterciensis ut ante quatuor annos probavimus, qui præfatis Bernardo et Miloni amicitiæ vinculo conjunctissimus, ad eam etiam cum Guigone familiaritatem venerat, ut cum præfatis Prioribus suis amicis, ausus sit eum ad consuetudines in suorum sequacium gratiam conscribendas animare.

ANNUS 1127

IV. A fundato Ordine ad hæc usque tempora primi Cartusienses, solis quæ post se Bruno Patriarcha illis reliquerat sanctis exemplis eruditi, conversationem suam composuerant ac direxerant. Non enim ullam a sancto Institutore, more aliorum, scriptam acceperant Regulam ; sed quicquid ipse egerat doctrina vivendi suis erat, sicut expressum habemus in quibusdam ejus Elogiis funebribus. « Fateor quidem, ait Sutor, in Ordinis exordio Regulam ipsam literis mandatam non fuisse, qua forsan occasione quidam postea sparserunt in vulgus Cartusienses Regulam non habere. Verum si diligenter omnia volutentur, procul dubio conficietur non sine ratione, Cartusianam Regulam principio literis creditam non fuisse. Animadvertens siquidem Cartusianæ vitæ Institutor Bruno, prius facto quam scripto docendum esse, Regulam ipso facto prius instituendam esse quam scripto reponendam, exemplo Christi censuit. Ad hæc prudenter legislator cogitans magnam esse vim consuetudinis (quippe quæ altera natura dicitur), voluit potius ipsum vivendi modum per jugem observantiæ consuetudinem memoriæ commendari, quam scriptis reponi. Denique supervacaneum putabat ea, quæ religiose cum suis observabat, literis commendare, sciens in libris authenticis ea radicaliter contineri. Quæ sane consideratio pene nostrum Guigonem impedivit ne ipsas Cartusiæ consuetudines in volumen redigeret. Enimvero cum ab aliis

AN S. BRUNO REGULAM SCRIPSERIT.

De vita Cart. lib. 2. tr. 3. c. 3.

ANNUS 1127

Ordinis Prioribus non semel rogatus fuisset, ut consuetudines hujusmodi scriptas memoriæ mandaret, a tali negotio diu se dissimulasse in prologo commemorat : videlicet, inquit, quia vel in Epistolis beati Hieronymi, vel in Regula beati Benedicti seu in cæteris scripturis authenticis, omnia pene quæ hic religiose agere consuevimus, contineri credebamus ; et nos qui tale aliquid facere possemus vel deberemus dignos minime putabamus. Huc accedebat, quia doceri magis quam docere ad humilitatis nostræ propositum pertinere noveramus, tutiusque esse aliena potius bona quam sua prædicare. »

Cartusienses reguntur lege Evangelica.

Unde Ostiensis in procemio suæ Summæ scribit : « Cartusianos regi lege evangelica, lege apostolica, et dictis sanctorum Patrum, ex quibus Theologia consistit, per quam anima nutritur, regitur et salvatur. » His igitur de causis Cartusiensium Regula literis principio mandata non fuit ; nec tamen propterea negari potest quin Regula vera semper fuerit.

HABENT STATUTA PRO REGULA.

Anton. 3 p. t. 16, c. 1.

V. Regulam vero a Statutis hic non discernimus, nam ut ait Sanctus Antoninus : « Cartusienses non militant sub aliqua istarum (nempe quatuor Regularum de quibus superius dixit), sed habent sua Statuta pro Regula ; et habentur in magna veneratione ab Ecclesia, et est venerabilis Religio quæ usque ad præsentem diem servat rigorem suarum Observantiarum. » Et revera quæ posset esse regularis observantia absque Regula ? Quamobrem Boso Cartusiæ Prior nullam vult admitti distinctionem inter Regulam et Consuetudines, idque probat autoritate Papiæ : Fundatores, inquit, et Promotores Ordinis Cartusiensis, librum suorum Statutorum voluerunt librum *de Consuetudinibus Ordinis Cartusiensis* appellare. Et hoc bene concordat descriptioni et significationi Canonis seu Regulæ quam ponit Papias, cum dicit : Canon græce, latine Regula, consuetudo probata dicitur sive institutio ; sic et Canon seu Regula Cartusiensium Consuetudo approbata sive institutio appellatur, quia nimirum a sancta est Ecclesia approbata. Unde et Benedictus XI ad ipsum Bosonem aliquando scribens, agnoscit Cartusienses arctiorem omnibus aliis habere Regulam : « Attendentes quod Ordo vester inter

Boso de orig. et veritate Relig. ms.

V. an. 1303.

alias sacras Religiones arctiori quadam Regula limitatur, quodque viget in eo laudabiliter observantia regularis, etc. » Præterea nostris Statutis, ut recte observat Haeftenus, æque convenit Regulæ definitio quam SS. Augustini et Benedicti Regulis, quibus omnino consentanea præscribunt. Habemus ergo et nos vere Regulam, quicquid aliquando mussitent Aristarchi, quod etiam pluribus probat Sutor loco citato, et ante eum idem Boso totius Ordinis Minister generalis, cujus opus licet typis ineditum, in multis reperitur cartusiarum bibliothecis, ad quod lectorem Cartusiensem qui hæc exactius nosse cupit, remittimus : nos enim ab eorum locis modo referendis consulto abstinemus.

ANNUS 1127

Disquis. mon. tract. 9 de reg. disq. 4.

QUÆ MENS GUIGONIS IN CONSUETUD. SCRIBENDIS.

VI. Fatemur nihilominus Guigonis propositum non fuisse Regulam aut Statuta condere, sed eas tantum describere consuetudines quæ vel circa divinam synaxim uniformiter celebrandam, vel circa externam monachorum monasteriique disciplinam apud Cartusiam observabantur, ut ex ejus Prologo satis perspicuum redditur. Nec etiam videtur præceptiones morales his consuetudinibus immiscuisse, uti ab aliis vitæ monasticæ autoribus factum videmus; unde et eas simpliciter inscripsit *Consuetudines Cartusiæ,* non vero Ordinis Consuetudines. Et revera apparet ex diversis locis, quod tantum pro monachis Domus Cartusiæ et eorum successoribus scriberet: verbi gratia, quando capite 15 agit de Prioris ordinatione, non aliam quam de solo Cartusiæ Priore mentionem facit : « cum Priorem, inquit, Domus hujus obire contigerit, etc. » Et cap. 28 postquam supellectilem et vasa sive, ut ea vocat, cellæ utensilia enumeravit, addit: « Hæc qui legerit, nec irrideat quis nec reprehendat, nisi forte prius in cella inter tantas nives et tam horrida frigora longiore tempore fuerit commoratus. » Quibus verbis clare indicat ipsius Cartusiæ situm. Et cap. 41 ubi agit de bonis extra eremum non possidendis, loquitur tantum de consilio, quod ipse et sui monachi conceperant ad evitandas cupiditatis occasiones; nec illud ad alias Domos extendit. Nam cum dicit: « Cupiditatis occasiones nobis et nostris posteris præcidentes, » per posteros

ANNUS 1127

intelligit successores in Domo Cartusiæ, ut colligitur ex verbis sequentibus : « Statuimus quatenus loci istius habitatores extra suæ terminos eremi nihil omnino possideant. » Et paulo post tractans de sepultura extraneorum : « Sancitum est, inquit, ut neminem prorsus sive intra sive extra eremum istam defunctum, suo sepeliant in cœmeterio. » Sunt et alia passim multa ex quibus apertissime liquet, in animo ei fuisse solas Cartusiæ Consuetudines literis mandare ; licet eas postea ad omnes Domos miserit imitandas observandasque, ut in epistolis quas Raynaldo Remensi archiepiscopo monachos ad Montem Dei mitti petenti scripsit, videre est, in quibus de suis Consuetudinibus sic loquitur : « Mittimus dignationi vestræ, qui, quod desideratis, de nostris exequantur instruantque Consuetudinibus ; precamurque quatenus eos benigne suscipiatis, benignius foveatis, et in nostro proposito ædificando ac conservando pro possibilitate juvetis. »

V. cap. 57. 76. 77. et seqq.

Ex codice Cart. Montis Dei.

RECIPIUNTUR UT STATUTA AB ORDINIS PRIORIBUS.

VII. Ubi vero Guigonis Consuetudines Priores receperunt, tanquam Regulam et Statuta illas habuerunt et venerati sunt, suam juxta earum tenorem conversationem confirmantes. Id probatur quod cum celebris illa renunciatio bona extra eremi terminos acquirendi, solos, ut diximus, Cartusiæ monachos obligare videretur nec ad alios extenderetur, ad eam tamen stricte tenendam alii conventus sese sponte astrinxerint scripto instrumento de quo jam supra, et in quo profitentur se ita egisse « provocati exemplo venerabilium Patrum nostrorum Eremitarum Cartusiensium, quorum vitam institutionemque æque nobis ac successoribus nostris sequendam imitandamque suscepimus. » Similem prorsus, iisdemque verbis conceptam Chartam Arveriæ conventus paulo post suam fundationem conscripsit, sic et in Domus Sylvæ archivis Charta terminorum similis habetur, non eadem verba sed sensum eumdem continens. Unde conjicimus alias quoque Domos tunc temporis fundatas idem fecisse. Notandum obiter in prædictis instrumentis post descriptos terminos, hanc apponi clausulam : « Quos (terminos) idcirco diligentia tanta describimus, non quod infra eos (quamvis totum, si fieri posset,

paupertati nostræ crederemus necessarium) præter nos alter nil habeat, sed quod nobis ultra, quidquam immobile vel censuale jure aliquo possidere non liceat. » Sunt qui sensum Guigonis male interpretati, eremi terminos pro septis ipsius monasterii acceperunt : unde scripserunt Cartusiæ monachos nulla bona extra Domus suæ claustrum possedisse ; licet constet ex dictis et dicendis ipsos, Guigonis etiam tempore, plures ex illis rupibus et montibus obtinuisse quibus totum Cartusiæ desertum amplissimum circumcluditur. Sed ad Guigonis Consuetudines revertamur.

ANNUS 1127

VIII. Eas præterea probamus velut Regulam sive Statuta, a primis Cartusiensibus habitas fuisse, quod in primo Capitulo generali sub prioratu sancti Antelmi celebrato præsentibus cunctis Ordinis Prioribus, receptæ fuerint et confirmatæ, ut ex diversis Ordinationibus non obscure licet conjicere. Nam postquam ibi sancitum fuit ut divinum Officium per totum Ordinem uno eodemque ritu celebretur, additur : « et omnes Consuetudines Cartusiensis Domus, quæ ad ipsam Religionem pertinent, unimode habeantur. » Notandum vero quod in omnibus codicibus quos habemus, non vocantur « Guigonis, sed Cartusiæ vel Cartusiensis Domus » Consuetudines ; et infra decernitur quod deposito Priore cujusque Domus, ille « qui substituendus in illa Domo fuerit, secundum præscriptas Consuetudines Institutionis, de Fratribus ejusdem Domus assumatur » : quod quidem in ipsis Guigonis Consuetudinibus de ipso Cartusiæ Priore præscribitur. Deinde « statutum est ut institutiones dari a nullo præsumantur sine assensu communis Capituli ; » et postquam declaratum fuit nulli esse licitum aliquid vel addere ad cæteras hujus Religionis institutiones, subditur : « ut igitur omnia hæc instituta...... a sanctis viris utiliter inventa et saluberrime considerata, perpetuam habeant perseverantiam, cuncti Priores sese huic sanctæ disciplinæ subdiderunt. » Nec de aliis institutis loqui videntur quam de Guigonis Consuetudinibus quas a sanctis viris inventas dicunt, nempe a Guigone et aliis Cartusiæ monachis, ut ex Prologo colligimus, in quo non

A PRIMO CAPITULO GENERALI PROBATÆ.

V. an. 1142.

Acta mss. primi Capituli gen.

Consuetud. Guig. cap. 15.

ANNUS 1127

solum se, sed et Fratres suos videtur autores profiteri harum Consuetudinum, cum dicit : « Cartusiæ Prior vocatus Guigo et qui secum sunt Fratres, perpetuam in Domino salutem. »

Acta mss. Cap. gen.

Postquam S. Antelmus prioratum abdicavit, Basilius ejus successor et alii Ordinis Priores generali Capitulo obedientiam promittentes, hanc posuerunt conditionem : « servatis institutis quæ impræsentiarum scripto vel consuetudine religiose servamus. » Quibus verbis satis innuunt easdem Consuetudines ; cum tunc nullæ, præter eas, essent scriptis mandatæ. In Vita S. Antelmi Regulæ vocantur ab autore : « Is, inquit loquens de Guigone, Cartusiensis Ordinis Religioni modum certosque statuit terminos ; nam Regulam ipse scripsit, quam Consuetudines vocavit. » Sed majus est his omnibus Summi Pontificis Innocentii II testimonium, qui ut post aliquot annos dicemus, eas suo diplomate confirmavit, ad instantiam, ut par est credere, tum Guigonis tum Priorum Portarum et aliarum Domorum tunc existentium. Quod etiam post eum fecerunt plures ex sancti Petri successoribus.

Vita S. Ant. ms. et apud Sur.

Confirmantur ab Innocent II.

V. an. 1133.

GUIGO ORDINAT ANTIPHONARIUM.

IX. Post scriptas Consuetudines, instigante eodem sancto Hugone episcopo, idem Guigo Antiphonarium ad usum Cartusiæ ordinavit, uti in præfatione quæ extat in quibusdam vetustis Antiphonariis ipsemet testatur, ita scribens :

Ex variis codicibus Cartus.

S. Hier. ad Ripar. contra Vigilant.

« Institutionis eremiticæ gravitas non sinit longa in cantandi studiis temporum insumi spatia. Nam secundum beatum Hieronymum monachus quilibet, quanto magis eremita, non doctoris, quanto minus cantoris, sed plangentis habet officium qui vel se vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum. Ob hanc itaque causam quædam de Antiphonario auferenda seu brevianda putavimus : quæ scilicet ex parte maxima aut superflua erant, aut incongruenter vel composita vel interposita apposita ; aut pravæ* autoritatis aut vel ambiguæ aut nullius ; aut levitatis aut imperitiæ aut mendicitatis criminis rea. Porro quæ emendata videntur esse vel addita, utrum se recte habeant ignorare non poterit quisquis divinam Scripturam, vetus videlicet Testamentum et novum, studiose perlegerit. Hoc autem fecimus sub præsentia Reve-

* *Al.* parvæ.

rendissimi et carissimi nobis Patris nostri Domini Hugonis, Gratianopolitani episcopi. »

ANNUS 1127

Quod audisti Guigonem in præscripta præfatione indicare Antiphonarium sese ex Sacris Libris excerpisse, his consonat quæ scribit Radulphus Tungrensis, nempe : « Cartusienses nec Responsoria nec Antiphonas admittunt, nisi sumptas de Sacra Scriptura. » Atque in hac parte morem sequimur Ecclesiæ Lugdunensis, cujus archiepiscopus Agobardus in restituendo vetere Antiphonario multum laboravit, in quo præter divinam Scripturam admittere in sacris Officiis nihil voluit. « Creduntur enim Cartusiani ipsi (ut ait Sutor) ab illa vetustissima Lugdunensi Ecclesia, Primate Galliarum, exemplaria Sacrorum Librorum desumpsisse. » Quod et alios fecisse probabile est. Eodem enim ferme tempore Waltenis Janislao Gnesnensi archiepiscopo succedens, Basilicam Wratislaviensem ligneam ad id tempus muro ædificavit, ritusque Lugdunensis Ecclesiæ in eam induxit anno 1147. Idem a nostris factum fuisse anno 1126 asserit Swertius : « Cartusiani Patres, inquit, a sanctissima et vetustissima Lugdunensi Ecclesia, Galliarum primate, exemplaria et cantus formam velut celebrioris devote susceperunt. Ex quo deinceps aliæ Cartusianorum familiæ ac Cellulæ seu Basilicæ sacræ, eumdem prorsus cantum sibi asciscendum haud dubitarunt. Hæc ille, qui ipsissima Sutoris verba suæ narrationi interserens videtur ea commentariis auxisse ; cum suæ, sive potius sui, quem citat, autoris spontis impulsu, ad exemplaria librorum, quorum tantum meminit Sutor, addit et cantus formam vel certe hallucinatur in anno. Namque ex ipsis Consuetudinibus liquet, ante earum scriptionem, cantum figuratum sive planum cantici modum quo nunc utimur, nondum fuisse in Ordine a Patribus receptum, sed tantum *recto tono* psallebant. Id ratione ex capitulo 42 ipsarum Consuetudinum petita, probatur tomo primo horum Annalium.

Ex sacris libris compositum.

Radulphus de observat. Can. Propos. 12.

Baron. ad an. 831. n. 6.

Conforme Eccles. Lugd.

Sut. lib. 2. tract. 4. cap. 3. post medium.

Crom. lib. 6 de reb. Polon.

Swert. in Chronol. Hist. Arch. Lugd.

T. 1. p. 78.

X. Verumtamen fatemur planum cantum in Domibus, quæ sufficientem habebant Monachorum numerum ad id exequendum, non diu post Guigonis mortem fuisse introductum :

QUANDO CANTUS INTRODUCTUS.

ANNUS 1127

V. an. 1120 num. 3 et seq.

et quidem eo tempore quo abstinentiæ in pane et aqua cœperunt paulatim remitti, nempe sub Basilii sancti Antelmi successoris prioratu (ut jam alibi annotavimus); nam in supplementis ad Guigonis Consuetudines adjectis, quibus et plures insertæ fuerunt Capitulorum generalium tempore ejusdem Basili et Jancelini celebratorum Ordinationes, multa reperiuntur, quæ cantum jam tunc fuisse usitatum indicant. Ibi enim legimus passim declaratum, quod in tali et tali Missa dicatur « Kyrie eleison festive vel solemniter vel dominicaliter. » Idemque de Hymnis ad parvas Horas dicitur, quod vel « solemniter » vel « festive » cantari debeant. Et est quædam Capituli generalis Ordinatio, qua permittitur Prioribus in itinere constitutis, « ut diebus Dominicis et festis proprium Officium habentibus, possent celebrare Missam, privatim tamen et sine cantu. » Diximus vero hunc usum fuisse admissum in Domibus tot Monachos habentibus, quot essent necessarii ad illum rite exercendum; nam ubi pauciores reperiebantur Monachi, officium recitabant *recto tono*. Quam ob rem generale Capitulum postea declaravit, octonarium numerum sufficere ad diurnum nocturnumque Officium cum cantu celebrandum.

JESU CHRISTI

ANNUS 1128.

Honorii PP. II Ann. 4.	Ord. Cartus. Ann. 45.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 19.

I. SEQUITUR annus millesimus centesimus vigesimus octavus, Indictione sexta, quo Concilium Trecense celebratur in sancti Hilarii solemnitate, præsidente Matthæo Albanensi episcopo S. R. E. cardinali Legato. In eo Templariorum Ordo, paucis ab annis institutus, approbationem recepit cum Regula et habitu albo, præsentibus illius Fundatore et Magistro Hugone de Paganis et aliquot e primis Fratribus. Inter Prælatos et Principes qui sacro huic cœtui interfuere, annumerantur Raynaldus Remensis archiepiscopus, Goffridus Carnotensis episcopus, Abbates Bernardus Clarevallensis, Rainaldus Vezeliacensis qui eodem anno factus est Lugdunensis archipræsul, et Hugo Pontiniacensis. Comites Theobaldus Campaniæ, et Guillelmus Nivernensis habitum Conversi Cartusiensis quandoque induturus : hi omnes Cartusiensium, et inprimis nostri Guigonis studiosissimi. Ipse quoque Hugo Militiæ Magister cum eo amicitia conjunctus, ejusque Commilitones Cartusiam se ascensuros sive veniendo sive redeundo videntur promisisse; quod cum exequi non potuissent, ad eos Guigo post felicem eorum in Palæstinam reditum epistolam scripsit (quam e Coloniensis cartusiæ bibliotheca erutam Horstius edidit) in qua inter cætera sic eos alloquitur :

CONCILIUM TRECENSE.

Jo. Michael. in prol. Conc. Trec.

In eo approbatur Templariorum Ordo.

Sammarth. in Lugd. Arch.

Hugo ejus Fundator Cartusien. amicus.

« Dominis et amicis in Christo carissimis ac Reverendissimis, Hugoni Sanctæ Militiæ Priori et omnibus qui reguntur

Nostri Guigonis ad eum literæ.

ANNUS 1128

ejus consilio, servi et amici Cartusiæ Fratres, spiritualium simul et corporalium Christianæ Religionis hostium victoriam plenariam et pacem, per Christum Dominum nostrum. Quoniam in revertendo, sicut in veniendo, præsentiæ vestræ gratissima allocutione frui nequivimus, visum est nobis ut per literas vobiscum saltem pauca colloqueremur. Ad corporea quidem bella pugnasque visibiles Dilectionem vestram exhortari nequaquam novimus; ad spiritualia vero in quibus et quotidie versamur, etsi excitare idonei non sumus, admonere saltem desideramus. Frustra quippe exteriores hostes impetimus, si non intimos superamus; et pudendum nimis est et indignum, quorumlibet velle ditioni nostræ subjicere agmina, si non prius nostra nobis subjecta fuerint corpora. Quis enim ferat externis extendere nos velle dominationem, et exiguis cespitibus, id est carnibus nostris, ignominiosam perpeti vitiorum servitutem? Acquiramus itaque, dilectissimi, prius nosmetipsos, ut secure deinceps ad exteros pugnemus inimicos: mentes nostras prius a vitiis, deinc terras purgemus a Barbaris. »

Interiores hostes ante subigendi sunt quam exteriores.

Deinde postquam multa de bello spirituali disseruit, epistolam sic concludit. « Omnipotentissima misericordia et misericordissima omnipotentia Dei, tam in spiritualibus quam etiam in corporalibus præliis, faciat vos semper et felicissime pugnare et gloriosissime triumphare. Optamus vos bene valere et in Sacris quæ tuemini Locis, nostri, cum oratis, memoriam habere, carissimi et præstantissimi et meritis insignissimi Fratres. Has literas per duos diversos nuntios transmisimus, ne quo impedimento (quod absit) non quirent pervenire; quas petimus, ut cunctis Fratribus exponi faciatis. »

Hæc epistola quando scripta

Hanc ad Hugonem epistolam (quam integram habes inter opera S. Bernardi) ad Sacra Loca hoc anno exeunte vel sequenti ineunte jam reversum ut diximus, transmissam fuisse colligimus, quod Guigo circa exordium queratur eos ad Cartusiam « in revertendo sicut in veniendo » non accessisse; quodque ad calcem eos sic obtestetur: « in Sacris, inquit, quæ tuemini Locis, nostri, cum oratis, memoriam habete. » Ne vero ex locorum distantia et viarum difficultatibus periret

epistola, eam Guigo « per duos diversos nuntios transmisisse dicit. »

ANNUS 1128

Porro Trecense Concilium aliis viris doctis assentiendo celebratum hoc anno diximus, licet in sequentem rejiciendum prima specie videatur, cum in ejus Prologo legatur : « in solemnitate S. Hilarii, anno 1128 ab incarnato Dei Filio, » qui annum juxta calculum hodiernum signandus nobis fuisset 1129; priori tamen rationi adhæsimus, quod Abbas Vezeliacensis inter præsentes nominatus, ad Lugdunensem archiepiscopatum, ut jam præmisimus, hoc præsenti anno jam fuisse assumptus scribatur.

Jo.Picard. in not. ad 39 Ep. S. Bern. Mab. in Chronolog. Bernard.

Labb. t. 10 Concil.

S. HUGO ET PONTIUS BELLICENSIS EPISC. ADSUNT CONSECRATIONI ECCLESIÆ PORTARUM.

II. Hoc anno S. Hugo Gratianopolitanus et Pontius quondam Prior Majorævi tunc vero episcopus Bellicensis, ad domum Portarum se transtulerunt ut consecrationi ecclesiæ inferioris, per Humbaldum Lugdunensem archipræsulem Sedisque Apostolicæ Legatum celebrandæ, interessent, simulque pacem inter monachos ejusdem domus et populos confines conciliatam confirmarent. Hæc narrat Bernardus Protoprior in descriptione originis præfatæ cartusiæ jam alibi laudata : « Postmodum autem, inquit, tribus annis interpositis, cum idem Archiepiscopus (Humbaldus) jam Sedis Apostolicæ legatus, inferiorem quoque basilicam comitantibus Episcopis, supradicto Hugone Gratianopolitano (qui superioris ecclesiæ dedicationi, de qua superius locutus fuerat, adfuerat) et Pontio Bellicensi de eremo Majorevi assumpto consecraret, perbrevem sermonem, Romam siquidem properabat, ad populum habuit : ubi repetitis quibusdam, quæ vel ipse vel antecessor suus ad pacem et quietem nostram jam ante statuerant, videlicet de mulieribus nisi forte transitum facientibus, et pastoribus, et plaustrorum vel quadrigarum ductu, necnon et agricultura secularium ubique infra terminos nostros prohibendis ; quasdam veteres semitas non parum nobis contrarias averti præcepit, stratamque quam recenter direxeramus nominans, novam viam ab universis pertranseuntibus teneri præcipiendo constituit : quam etiam sub ecclesiasticæ defensionis banno stabiliens, ibidem tam sua quam præ-

Ex Cartular. ejusdem Cart.

ANNUS 1128

sentium Episcoporum autoritate penitus interdixit, ne quis per eam prædam duceret, vel hostilia arma portaret, vel cuilibet in ejus transitu injuriosus existeret. His autem omnibus majores quidem et meliores qui aderant, ubi quæsitum est, alacriter assenserunt. Reliqui vero nihil omnino contradictionis intulerunt. » Deinde refert quomodo Richardus de Benuncia multa etiam contulerat, addens etiam « ne mulieres prædictos terminos propter aliquod opus faciendum prætereant, nisi tantum per mensem Julium ad fœnandum. » Et postea præcipuos suæ domus Benefactores recenset sic : « Nonnullos etiam Principum et Nobilium qui immunitatem et plenariam libertatem nostræ solitudinis, licet diversis locis et temporibus absolute laudaverunt, et quicquid in ea juste vel injuste habere poterant dimiserunt, non inutile credimus subnotare. Sunt autem hi Amedeus comes, Guichardus Bellijoci, Giraldus de Turre, Amblardus de Turre, Amblardus de Grandimonte, Humbertus de Coloniaco, Boso et Willelmus de Briord, Hugo de Plumbis, Sigevertus et Amblardus, Lambertus cum filiis suis, Artoldus frater ejus et Boso nepos eorum. » Denique declarat hanc Chartam ab Humbaldo confirmari ac sigillari non potuisse, quod statim post consecrationem præfatæ ecclesiæ Romam pergens, paulo post obierit; quam ob rem Raynaldus de Semur ejus successor, ad hanc domum anno sequenti accedens, hæc omnia præstitit. « Hanc itaque Chartam, subdit Bernardus, ad munimentum successorum nostrorum stabile ac perpetuum, in auribus charissimi Domini ac Venerabilis Patris nostri Raynaldi archiepiscopi Lugdunensis recitari et autoritatis ejus sigillo fecimus insigniri, eo quod per antecessorem ejus, Dominum et amantis simum Patrem nostrum Humbaudum, ad quem maxime pertineret, idcirco fieri non potuit, quia sicut dictum est, consecrata inferiori ecclesia Romam properans festinantissime transiit, et peccatis nostris prohibentibus ad nos ultra non rediit. »

PORTARUM TERMINI CONFIRM. HUMBALD.

III. Antequam Humbaldus et prænominati Episcopi e domo Portarum recederent, Bernardus Prior cæterique Fratres

Chartam eis obtulerunt propriis sigillis roborandam, qua juxta Guigonis Consuetudines paulo ante editas, terminos suæ eremo præfixerant, extra quos omnem omnium qualiumcumque bonorum comparationem tam sibi quam suis successoribus interdicebant. Hæc Charta tantum paupertatis amorem, in quo consistunt veræ hominis Cartusiani divitiæ, tantamque rerum terrenarum contemptionem in antiquis Patribus ostendit, ut ingrati prorsus efficeremur si illam involveremus silentio; ex cujus lectione discimus quanta cum diligentia cupiditatem et omnes cupiditatis occasiones, ut ipse legislator Guigo loquitur, e nostris cordibus præcidere debeamus. Bonorum enim autori inhærere aliter non valemus, juxta S. Gregorii sententiam, nisi cupiditatem a nobis (quæ omnium malorum radix est) abscindamus. Sic autem se habet hæc celebris renunciationis Charta :

ANNUS 1128

Consuetud. Guig. c. 41.

S. Greg. lib. 7. Ep. 110.

Cap. bonorum autori, dist. 47.

« Qui divina gratia vocante, secularibus pompis abjectis, Christi pauperes esse decernunt, modis omnibus elaborare debent, ut paupertatis adepti propositum, adipisci mereantur et præmium; unde etiam necesse est ut ante omnia veræ paupertatis æmulam cupiditatis rabiem fugientes, tanto minus in terra possideant, quanto se in cœlo majora possessuros expectant. Et nos igitur exemplo venerabilium Patrum nostrorum Eremitarum Cartusiensium, quorum vitam institutionemque nobis ac successoribus nostris sequendam imitandamque suscepimus, in hoc etiam provocati, ego Bernardus Fratrum Portarum etsi non merito, nomine tamen Prior et ordine, cum universis ejusdem loci Fratribus, Monachis scilicet novem decimoque Novitio, Laicis quoque quatuordecim cum duobus Novitiis, certos terminos eremi nostri præfiximus. Quos etiam præsenti scripto ad notitiam futurorum transmittere congruum duximus, quorum ista sunt nomina : Caminus Romanus...... quos idcirco diligentia tanta describimus, non quod infra eos (quamvis totum, si fieri possit, paupertati nostræ crederemus necessarium) præter nos alter nihil habeat, sed quod nobis ultra quidquam immobile vel censuale jure aliquo possidere non liceat. Quod si forte, quod absit,

ANNUS 1128

aliquando successores nostri a suscepto proposito resilire, et in aliud declinare voluerint aut extra præscriptos limites, cupiditatis spiritu stimulante, possessionem quamlibet ecclesiasticam secularemve, modo quolibet ubicumque, vel a quocumque acquirere vel retinere tentaverint, ex tunc sciant se Institutionis ac Propositi nostri tramitem excessisse; ideoque pariter omnium quæ per Dei gratiam nobis laborantibus hic acquisita vel acquirenda sunt, jus noverint perdidisse. Ut autem præsentis scripti Cartula firmum et inconcussum in perpetuum robur obtineat, carissimo Domino et Patri nostro Humbaudo Lugdunensi archiepiscopo et Apostolicæ Sedis Legato, eam confirmandam obtulimus, et autoritatis ejus suscriptione ac sigilli proprii impressione signari curavimus; quam etiam humilitatis nostræ supplicationem venerabiles Patres ac Domini nostri, Hugo Gratianopolitanus et Pontius Bellicensis episcopi, qui et ipsi præsentes aderant, nihilominus laudaverunt et subscriptionibus ac sigillis propriis firmaverunt. Subscriptio Humbaudi Lugdunensis archiepiscopi Sedisque Apostolicæ Legati. Ego Pontius Bellicensis episcopus subscripsi. Signum Hugonis Gratianopolitani episcopi. » Similem prorsus iisdemque verbis compositam Chartam Arverienses monachi quinquennio post, Guigoni obtulerunt.

ITERUM RAYNALDUS LUGD. PRÆSUL.

IV. Non dubium quin S. Hugo Gratianopolim rediens, præfatæ Chartæ exemplum secum detulerit Guigoni Portensium nomine tradendum, in argumentum susceptarum ab ipsis novarum illius Consuetudinum; verum quia nulla cellarii mentio huic Instrumento per oblivionem inserta fuerat, omissionem hanc a Petro, Humbaudi post Raynaldum I in archiepiscopatu Lugdunensi successore, supplendam curarunt. Quod ille fecit in hunc modum :

« Ego Petrus sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ minister, Sedisque Apostolicæ Legatus a pie memoriæ Humbaudo tertius, vestræ utilitati ac indeclinabili necessitati providens, cellarium ad vina congreganda extra prædictos terminos incaute prætermissum huic scripto addidi, et Apostolica autoritate vobis et posteris vestris dum placuerit habendum præcepi,

atque ob confirmationem sigilli mei impressione munivi. » Quidam hujus Chartæ autographum præ vetustate detritum et pene obliteratum nullisque punctis distinctum, cum integre perlegere non potuerint, illius sensum diversis in locis adulterarunt, maxime ubi Bernardus Fratres suos enumerat sic dicens : « cum universis ejusdem loci Fratribus, Monachis scilicet novem, decimoque Novitio, Laicis quoque quatuordecim, etc. » Illi vero sic legerunt et scripserunt : « cum universis ejusdem loci Fratribus, Monachis scilicet, novemdecim Novitiis, Laicis quoque quatuordecim, etc. » Sed quis non animadvertat allucinationem in tot Novitiis ? Præsertim cum nullus nesciat his temporibus fas non fuisse ultra duodecim aut quatuordecim Monachos recipere. Et revera Falco Lugdunensis antistes in suo diplomate, quod anno 1141 dabimus, de primis hujus Domus incolis deque illorum lenta propagatione sic loquitur : « Cum Bernardus Portarum Prior et Fratres ejus, quos ei Dominus paulatim per incrementa temporum aggregavit in prædicta Portarum eremo, per viginti quinque et amplius annos. » Si igitur Deus « paulatim » tantum Fratres in hac eremo aggregavit, ut loquitur præfatus Præsul, quomodo simul eodemque tempore esse potuerunt novemdecim Novitii præter Monachos jam professos ? Unde miror autoris Vitæ Airaldi Maurianensis episcopi inconsiderantiam, scribentis Præsulem hunc sub Bernardo primo Portarum Priore in Jesu militia sese exercitasse cum septemdecim Novitiis ; quod certe aliunde non deprompsit quam ex præinserto documento male intellecto.

ANNUS 1128

Error circa præfatum instrum. corrigitur.

Guichen. in probat. Hist. Bress. p. 223.

V. Monachi quoque Domus Sylvæ Benedictæ Guigonis Consuetudines, velut sui Instituti Regulam et fundamentum, cum honore suscipientes, ad aliarum Domorum imitationem terminos sibi constituerunt, confectis inde sequentibus literis : « Primus de Sylva Prior Othgerius nomine, consensu et consilio Fratrum suorum, omnia quæcumque sua erant, et quantum Domus Dei quam regebat posse sufficere credidit, sub testibus Cartusiæ et Portarum, Othmaro scilicet et Aynardo reverendis Fratribus, terminis opportunis circumdedit.

TERMINORUM SYLVÆ CONFIRMATIO.

ANNUS 1128

Quod duabus videlicet de causis facere decreverunt : una ut necessariis laboribus sufficientiam habentes, nec sibi nec posteris eorum extra positos terminos aliquam possessionem liceret habere ; altera ne aliquis improbus superveniens, aliquam vim vel molestiam eis posset inferre. Incipiunt itaque termini a quodam nemore quod dicitur, etc. Factum est autem istud tempore Stephani Viennensis archiepiscopi qui prius extitit Diensis episcopus. Porro idem Pontifex ea quæ superius dicta sunt favendo confirmavit. Ut autem ipsa quæ scripsimus certius firmiusque tenerentur, ipse quoque præsenti signavit sigillo. » Ex his colligere est omnes Domos jam fundatas idem præstitisse, et inde propterea nomen et titulum cartusiæ adeptas fuisse.

S. HUGO MONASTERIUM AGAUNENSE REFORMAT.

VI. Eodem anno sanctus præsul Hugo jam sæpe nominatus, Agaunensem, diœcesis licet Sedunensis, ecclesiam SS. Martyrum Mauricii et sociorum ejus sub Maximiano Cæsare occisorum sepulcris nobilem, tunc vero Canonicorum secularium olim monachis substitutorum victu remissiore deformatam, pristino Religionis splendori suis curis et exhortationibus restituit. Comes quoque Sabaudiæ Amedeus præsens cum Beato Præsule, Regulares in secularium locum Canonicos, ejus consilio et monitione ductus, suffecit. « Nam Canonici, inquiunt acta, retroactis temporibus non in communi sed privata vita secularium more degentes, ad tantam devenerant egestatem ut de facultatibus ecclesiæ non haberent unde vivere possent ; sed tandem divina miseratio respexit ecclesiam suam, præfatus enim comes Amedeus tactus dolore cordis intrinsecus super ecclesiæ desolatione, venit ad locum, et consilio et monitione Beati Hugonis episcopi Gratianopolitani et aliorum virorum Nobilium qui cum eo venerant, persuasum fuit iisdem Canonicis ut sibi Canonicos in communi et regulariter viventes substituerent. Quæ res Summo Pontifici Honorio exposita præfatis Canonicis rescripsit. » Ipse etiam Comes suo diplomate hanc mutationem confirmans, declarat eam factam fuisse « ad instantiam charissimi fratris nostri Domni Raynaldi Præpositi ecclesiæ

Guich. in probat. hist. Sabaud. p. 32.

S. Mauritii et Martyrum sociorum loci Agaunensis, et de consilio Reverendi Patris Domni Hugonis episcopi Gratianopolitani, » qui Comitis diplomati subscripsit anno MCXXVIII, tertio Calendas Aprilis. ANNUS 1128

VII. Nec solum aliorum emendationi vir ille apostolicus studebat, sed ne aliis prædicans ipse fieret reprobus, seipsum tanquam inutilem et Episcopum *infructuosum* arguens, et quid sibi virtutis deesset severo discutiens examine, præsulatus abdicationem, quam obtinere non semel tentaverat, instantius circa hoc tempus apud Honorium persecutus est; sed quomodo ista se habuerint a nostro Guigone rem altius repetente audiamus: ABDICATIONEM SUAM URGET.

« Verum cum talis esset ac tantus, ipse tamen juxta illud Evangelii: cum feceritis omnia, dicite servi inutiles sumus, se infructuosum, se semper accusare non cessabat inutilem, quod Episcopi locum occuparet, Episcopi honorificentiam susciperet, episcopalia bona consumeret, Episcopi vero nec merita nec fructus haberet. Et certe præsto erant quæ possent menti ejus non modo solamen afferre, sed et in superbiam, nisi tam solida esset, extollere. Ut enim taceamus quæ Clero pariter et plebi per eum bona pervenerant, eremus Cartusiæ, Calisiensis abbatia, Excubiarum eremus, Regularium Canonicorum apud Miserævum et apud S. Georgium Domus, ipso annitente cœperant, ipso spiritualiter et corporaliter fovente profecerant. Sed ipse imperfectionem suam, qua nec Apostolus carebat, dicens: Non quod jam acceperim aut jam perfectus sim, tantummodo cogitans; et cum Psalmista dicente : ut sciam quid desit mihi, non quid sibi virtutis adesset sed quid deesset, subtili admodum discussione considerans, episcopalem sarcinam modis omnibus exuere desiderabat. Qua sententia vel desiderio, sicut in principio diximus, ab initio suæ promotionis ad mortem usque non caruit. Vita S. Hug. Grat. Ms. Psal. 38.

« Hac igitur voluntate in dies augmenta sumente, Romam legatos et literas in hoc ipsum ad venerandæ memoriæ Papam misit Honorium; sed cum legati postulata non impetrassent,

ANNUS 1128

imo magis literas ad eum consolatorias et ad perseverandum exhortatorias accepissent, ipsemet quamquam morbis et senectute gravatus, spe tamen imposterum quiescendi roboratus, eumdem Romanum Pontificem adire curavit, rogans suppliciter et obtestans dari senectuti suæ licentiam quiescendi et Ecclesiæ Gratianopolitanæ meliorem in suum locum pastorem substituendi. Sed nec ipse, quamvis multas, ut putabat, justas et animi et corporis allegaret occasiones, impetrare valuit ut sibi tantum et Deo vacare permitteretur. Creditum est enim quod sola autoritate et sanctæ conversationis exemplo, plus posset plebi prodesse subjectæ, debilis et ægrotus, quam quivis alius, robustus licet et sanus. Concessis itaque cæteris quæ petebat, honoratusque a Summo Pontifice et consolatus, ut potuit, ad propria remeavit. Dimittendi tamen episcopatum olim conceptum non deposuit desiderium. »

ALBERTUS EPISC. TAURINEN. AN FUERIT CARTUSIEN.

Theophil. Rayn. in Styl. myst.

Ughel. in Ep. Taurin.

Tutin. in prospect. hist. Cartus.

VIII. Hoc denique anno Albertus ex monacho Cartusiensi, ut quidam scribunt, factus est episcopus Taurinensis in regione Pedemontana, seditque ad annum 1150, et successorem habuit Raynaldum ut apud Ughellum videre est, qui multa de Alberto narrans non facit mentionem an Cartusiensis unquam fuerit. Tutinus Albertum facit Tarentasiensem archiepiscopum, ad hanc sedem evectum anno 1150; sed non convenit cum indicibus accuratioribus, in quibus nullus hujus nominis reperitur inter ejusdem Ecclesiæ præsules circa hæc tempora præfuisse. Ex hac igitur repugnantia quæ inter recentiores invenitur, et ex antiquorum silentio, fit dubius ille Cartusiensis Episcopus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1129.

Honorii PP. II	Ordinis Cartus.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 6.	Ann. 46.	Ann. 20.

I. ANNUS agitur Redemptoris millesimus centesimus undetrigesimus, Indictione septima, quo Guigo Cartusiæ Prior, rerum terrenarum non inductus cupiditate sed majoris quietis suis conciliandæ gratia, rupes et valles satis amplas cum pratis ibidem jacentibus Cartusiæ terminis adjunxit. Sunt hæ rupes, ex Urseriæ Vallis adverso, ultra torrentem Guerum mortuum nuncupatum sitæ ; duplicique appellatione distinguuntur, nempe Majoris et Minoris Curreriæ. In Majori videmus modo constructam Ordinis Domum, quam ex loci nomine Curreriam vocamus. Minor ex vocabulo diminutivo dicitur Currerietta sive Curreriola, habetque grangiam ad usum Majoris. Ibi paulo ante morati fuerant quidam eremitæ gyrovagi, qui Nostris a fundatione Ordinis multa negotia et incommoda pepererant, quorum et vexationum ab eis illatarum primis nostris Patribus meminit sanctus Bruno e Calabria ad filios scribens, ut videre est in ejus epistola quam alibi exscripsimus, ubi eremitas illos vocat « vanissimos, otiosos, gyrovagos ».

GUIGO DUAS CURRERIAS ACQUIRIT.

Ex archiv. mag. Cart.

V. an. 1110.

Ep. ad frat. Cart. Vide an. 1094.

II. Hos quidem excommunicationis fulmine percussos ejecerat sanctus Hugo; sed ne temporum intercessu, alii locum eorum occuparent, curavit Guigo omnes illius fines sibi a Dominis concedi, usus maxime fratris Othmari de Vallebona Conversi opera, viri olim in seculo nobilis, qui

GYROVAGI E CURRERIA EXPELLUNTUR.

ANNUS 1129

locum a cunctis possessoribus obtinuit, præsertim ab Amedeo Maurianensi comite, Bonifacio de Mirabello, Bernardo Calesii abbate, et aliis quorum nomina in subjectis literis habentur :

Ex archiv. mag. Cart.

« Gesta præterita non melius quam per scripturam futurorum cognoscunt tempora. Fit autem ut dum ignorantia, suffragante pagina, tollitur, calumniarum machinationibus os oppiletur. Igitur quomodo hujus eremi partem inferiorem, Corruerias ambas, Majorem scilicet atque Minorem acquisierimus, per præsentem scripturam posteris notificamus. Hæ autem habitatæ non semel a discordiosis et instabilibus hominibus sub specie religionis, quas nobis molestias et perturbationes genuerint, vel quid beneficiorum et subsidiorum præfati homines a nobis acceperint, quia longum est, scribere nolumus. Insertæ quippe terræ prædictæ nostris ita sunt ut habitari ab aliis sine nostris inquietationibus et angustiis non possint. Ejectis itaque habitatoribus illis per excommunicationem sanctissimi Patris nostri Hugonis Gratianopolitani episcopi, diu mansere desertæ; nec unquam a nobis quærerentur, si semper eas desertas crederemus. Anno itaque ab incarnatione Domini 1129, mense Februario, misimus fratrem Othmarum ad Bonifacium de Miribello filium Humberti, qui libens cum filiis suis Amedeo et Humberto concessit tradiditque prædictas Corruerias habitatoribus Cartusiæ præsentibus et futuris, sub testimonio Petri Humberti fratris sui monachi, et Anselmi de Voissen et Petri Sigibodi militum, et Siginifredi ejusdem Bonifacii procuratoris. Ivit quoque ad fratres de Voirione Bornonem et Ademarum et Amedeum, qui et ipsi similiter libenter fecerunt, sed et ad Tolvionis Dominos Humbertum de Bozosel et Berlionem et Gaufridum de Moirenco pergens, accepit similiter ab eis prædictorum locorum perpetuam donationem sub præsentia Petri de Bozosel et Gontardi de Miribel militum. Guillelmus quoque et Hugo de Martel quidquid ibi juris habere poterant, eodem fratre Otmaro petente, nobis donaverunt; sed et Ademarus et Humbertus Pagani filii, quæ sua fuerunt concesserunt.

Domini de Mirabello jus suum cedunt.

Item Domini de Voirione et et Tolvione et alii.

Ademarus autem et Guillelmus de Martello, Bernardo abbati Casiliensi quidquid ibi habebant donaverunt. Quorum donationes prædictus Abbas, quantum melius intelligere potuimus, nobis donavit recepitque a nobis tres solidos Viennensis monetæ, quos Guillelmo de Martello dederat in inferiore domo sub præsentia fratrum Hugonis monachi*, Leotardi, Conanmii, Otmari. Nec his contenti ad Amedeum comitem misimus, qui et ipse et quod ibi proprium habebat libentissime donavit, et cæteras donationes sua autoritate confirmavit sub præsentia Giraldi Prioris Sancti Georgii et Matthæi ejusdem Comitis cancellarii. Abbas etiam Sancti Theuderii monachorum suorum consilio (in Parochia quippe sancti Laurentii quæ ad eos pertinet, situs est locus,) tam decimas quam etiam quidquid ad parochiale jus spectat nobis hilariter donavit, sub præsentia Amedei de Voirione et Ademari Guiniterii et Berlionis Giraldi. » Has literas mense Februario datas, ad annum sequentem juxta calculum antiquum a nobis fuisse rejiciendas posset quis objicere ; verum eas ad præsentem ibidem designatum potius referendas esse duximus, quod ex variis instrumentis (ut etiam apud Guichenonem curiosus lector observare poterit) deprehenderimus morem fuisse antiquitus per Sabaudiam (sub cujus ditione tum Magna Cartusia, tum alia loca in præfatis literis expressa his temporibus sita erant) annum inchoandi a Circumcisione. Leotardus Conversus Cartusiæ, de quo in eisdem literis, obiit die 27 Aprilis juxta vetustum Cartusiæ Calendarium, in quo et designati Conanmi Conversi obitus legitur ad diem 10 Januarii. De fratre Otmaro Petri Cluniacensis abbatis amico, alibi plura. De Hugone monacho mox infra dicemus. Sed Chartæ tenorem prosequamur :

ANNUS 1129

*Hugo mon. Cartusiæ.

V. an. 1142 et 1152.

III. « Sequuntur literæ Petri Humberti Prioris Sancti Mauritii de Miribello, fratris supradicti Bonifacii, in quibus ostenditur quemadmodum antiqui Benefactores atque adjutores loci nostri, monachi Casæ Dei, quod in ipsa terra juris habebant donavere nobis. Habebant autem ibi quod quondam

MONACHI CASÆ DEI BENEFACT. CARTUSIÆ.

ANNUS 1129

Humbertus de Miribello, pater Petri, Humberti et Bonifacii, pro sua portione eis donare potuit.

« Dominis suis Reverendissimis Guigoni Cartusiæ Priori, et Hugoni cæterisque Fratribus ejusdem loci : Petrus crucifigi mundo, vivere Christo. Sicut injusta petentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima desiderantium non est differenda petitio. Vestris igitur, in Christo Patres sanctissimi, petitionibus annuens, consilio Petri Prioris Cornilionis et Petri monachi mecum manentis et totius familiæ nostræ, utramque Corrueriam, Majorem scilicet atque Minorem, usibus vestris profuturam vobis dono et perpetuo possidendam concedo. Et ut hoc donum stabile firmiusque permaneat, sanctitati vestræ meipsum commendo, quicquid beatitudo vestra decreverit in omnibus exequendo. Statum vestræ Religionis Omnipotens conservet, et ut orationum vestrarum præsidiis me sublevetis inspiret. »

Hugo Capellanus adhuc superstes.

Non est absurdum credere Hugonem, de quo bis in præfatis literis, eum esse qui Capellanus in sancti Brunonis Vita dicitur, quique honoris causa, tamquam unus ex primis Ordinis Fundatoribus hic cum Guigone Priore commemoratur et Reverendissimus appellatur. Nec enim ad Hugonem postea episcopum Gratianopolitanum hæc verba referri possunt, cum vix trigesimum ætatis annum tunc attigerat.

STEPHAN. ABBAS CASÆ DEI.

IV. Stephanus quoque Casæ Dei abbas Aymerici successor, qui ad Podiensem fuerat episcopatum translatus, eamdem, ut sequitur, donationem confirmavit :

« Notum sit omnibus quod Domnus abbas Stephanus Casæ Dei omnisque Conventus, venerabili Cartusiæ Priori Guigoni Fratribusque loci illius, desertum quod Cororeum vocatur, ipsis ipsorumque successoribus donavit atque in perpetuum concessit habendum. Hoc viderunt et audierunt, donationisque hujus testes sunt Stephanus Casæ Dei Prior, Stephanus de Monte et Petrus Cornilionis Prior. »

Donatio per Abbat. Cales.

Literæ abbatiæ Calesii quibus partem quæ sibi competebat largitur, sunt hujusmodi. « Sanctis Cartusiæ Patribus Domnis et amicis nostris charissimis, Fratres Calesienses

ANNUS 1129

æternam in Domino salutem. Si valetis, sic est ut volumus; optamus quoque ut quietam vitam atque tranquillam Dominus vobis donare dignetur, utque corda Patrum convertat in filios. Si quid habuimus, vel nos habituros speravimus inter fines et terminos quibus utraque Correria terminatur, læti et alacres totum vobis donamus, concedimus atque laudamus; pro nihilo siquidem computantes rem aliquam temporalem vobis donare aut pro vobis relinquere, quippe qui pro tanta tamque nobis utili familiaritate vestra, nec non et beneficiis quæ nobis non modica sæpius contulistis, etiam nosmetipsos vobis aut pro vobis si necesse sit, tradere debeamus. Quod et in præsentia Domni Hugonis Gratianopolitani episcopi in Capitulo nostro fecimus præsente Domno Arveo, viro scilicet venerabili et monacho Cistellensi. Valete. Has omnes præscriptas donationes sive guirpitiones, ego Hugo Gratianopolitanus episcopus ex parte Dei et nostra, ad utilitatem Fratrum Cartusiensium laudo et cum sigillo nostro in perpetuum ratas esse confirmo. »

S. Hugo donationes confirmat.

V. Cum in præfatis literis Calesienses optant ut Deus corda Patrum convertat in filios, videntur tacite indicare autoritatem, quam alibi diximus Cartusienses in Calesienses habuisse. Denique his non contentus Guigo, plenam perpetuamque volens suis monachis eorumque successoribus tranquillitatem conciliare, a S. Hugone obtinuit, ut constructa domo in ipso aditu sive ore pontis qui est super torrentem Gueri mortui, inter illas duas præcelsas rupes quibus tota eremus Cartusiæ a parte australi clauditur, literas scriberet quibus fœminas atque viros arma ferentes ab ingressu arceret, omnemque intra ejusdem eremi terminos prohiberet venationem et piscationem.

S. HUGO INGRESSUM MULIERUM PROHIBET.

Item et venationem et piscationem.

« Hugo Gratian. Ecclesiæ vocatus episcopus, presbiteris et laicis in Gratianop. episcopatu commorantibus, æternam in Domino salutem. Quomodo fratres nostri Cartusiæ monachi Deo placere desiderent, mundus quem fugiunt et loci in quo habitant asperitas et solitudo satis probant. Quorum desiderio, quoniam pax et quies maxime necessaria est, supra

(Ex archiv. Cart.

ANNUS 1129

pontem qui terminus possessionis eorum est, ad removenda ea quæ proposito eorum contraria sunt, domum ædificari consuluimus et præcepimus. Rogamus ergo dilectionem vestram et autoritate divina injungimus, ut fœminæ per terram eorum nullatenus transeant neque viri arma portantes. Præterea infra terminos possessionis ipsorum, piscationem et venationem et avium captionem, ovium vel caprarum atque omnium domesticorum animalium pascua et transitum prohibemus. Obedientes monitis nostris divina clementia in gratia sua multiplicet, et in omnibus bonis quæ ibidem a servis Dei geruntur, vel usque seculi in finem gerenda sunt, eamdem quam ipsi habere cupiunt partem tribuat. Inobedientes vero divino judicio reos relinquimus et seculari potestate puniri faciemus. » Autographum est sine anno et die, sed in vetustissimo exemplo annus præsens designatur. Easdem prohibitiones postea Comites Sabaudiæ renovatas confirmaverunt, quas adhuc rigide servari videmus.

PONTIUS CARTUSIEN. EPISC. BELLICEN. A SUMMO PONTIFICE DELEGATUR.

VI. Eodem tempore Pontius de Balmeto Bellicensis episcopus, Majoris Cartusiæ olim monachus et Domus Majorævi nostri Ordinis Fundator, ut suis locis diximus, ab eodem Honorio delegatur cum Stephano archiepiscopo Viennensi et Ismione Ambroniacensi abbate, ad lites componendas inter abbatiarum Luxoviensis in Burgundiæ Comitatu, et sancti Benigni Divionensis monachos ortas. Ita Sammarthani in episcopis Bellicensibus sub præfato Pontio ; quos miror prætermisisse præfatum Stephanum in archiepiscoporum Viennensium Catalogo. Ibi enim successorem Guidonis qui Summus Pontifex post Gelasium II acclamatus est, Humbertum designant. Hujus controversiæ pacificandæ causa, sanctus Bernardus ad Honorium Papam scripsit et ad Haimericum et Petrum S. R. E. cardinales; videturque in Divionenses monachos magis propensus.

Gall. Chr. tom. 2.

V. an. 1119.

S. Bern. Ep. 14, 15 et 16.

RADULPHUS CALABR. MAG. SICILIÆ REGIS CORONATIONI INTEREST.

VII. Hoc anno Magister Radulphus a Crucifixo S. Brunonis sextus in Calabria successor, a Rogerio Siciliæ duce Panormum evocatus, ejusdem Ducis in Regem coronationi interfuit, ut asserit autor coœvus in Domus nostræ Calabricæ

ANNUS
1129

Pirr. in Chronol. Reg. Siciliæ sub Rogerio Siciliæ Rege.

Chronico, cujus autographum se vidisse apud eruditum virum Camillum Tutinum asserit Rocchus Pirrus, ex quo hæc desumpsit quæ præfatam coronationem Magistrique Radulphi eidem præsentiam spectant.

« Mortuo (ab annis tribus) Guillelmo Apuliæ duce et extincta prorsus linea Roberti Guiscardi, Rogerius Comitis nostræ Eremi fundatoris filius Apuliæ Ducatum occupavit; qua de causa fuit a Pontifice excommunicatus, et post reconciliationem cum Pontifice (Honorio) habitam per Apostolicum diploma ei Ducatum contulit. Itaque Rogerio Apuliæ, Calabriæ et Siciliæ ditionem habente Sergium ducem Neapolis in bello vicit, obtinuitque etiam Principatum Capuæ; et nihil faciens ducalem titulum, consilio et sententia Satraparum et Magistratus, Regis titulo nuncupari voluit. Ad cujus actus celebritatem quamplures fuerunt acciti Archiepiscopi et Episcopi, varii Comites et Milites, cum quibus etiam Minister Radulphus a Crucifixo, Eremi Magister, voluit tantæ interesse solemnitati, et decurrente anno 1129, Indictione 8, Calendis Maii, discessit simul cum Episcopo Melitensi et Squillacino, et in navigatione ob pluviam et tempus multa passi sunt incommoda. Tandem ad civitatem Messanæ appulerunt, ubi ab illius civitatis Episcopo mira cum charitate recepti fuerunt. Post tertium quoque diem iter habuerunt Panormum versus, ubi invenerunt apparatus quamplures occasione tantæ solemnitatis, et Idibus Maii, constituta die pro Rogerii coronatione, ipse comparuit suo in palatio indutus regali vestimento auro contexto, capite cooperto parvo sericeo bireto, catena aurea ad collum, multiplici variata gemmarum textura, et equo residens, ad majorem ecclesiam magna Prælatorum et Procerum simul equitantium cohorte ductus fuit; ubi a Clero summo cum honore receptus est....... Hymno dicto pro gratiarum actione associatus fuit per urbem, et ad regiam ductus, quibus omnibus adfuere Rogerius* Archiepiscopus Capuanus....... et Radulphus a Crucifixo Magister Eremi...... Vita functo Honorio Pontifice, in Pastorem universalem fuit adlectus Gregorius diaconus cardina-

* *Roffridus.*

ANNUS 1129

lis, dictus Innocentius II, qui noluit hanc coronationem Pontificio confirmare diplomate. Et quoniam adversus Innocentium Petrus cardinalis schismate fuit in Pontificem creatus, dictus Anacletus II, Rogerius ab hoc fuit privilegio confirmatus, qui multa multis concessit, et Magister Radulphus obtinuit confirmationem gratiarum a Rogerio comite, ejus patre, concessarum. »

Maraldus mon. Calabriæ autor chronici.

Hæc Chronicon apud Pirrum; cujus autor se monachum nostri Ordinis apud Calabros fuisse innuit, dicens: « Rogerium filium Comitis nostræ Eremi fundatoris. » Hunc vero nominatum fuisse Maraldum idem Pirrus inferius habet. Porro his quæ refert de regia corona Rogerio a suis imposita, consensit Thomas Fazellus: « Panormi, inquit, anno 1129 Idibus Maii, in regem Siciliæ ungitur (Rogerius) et coronatur, urbemque ipsam Panormum regiam constituit. » Nec nostro quidem Maraldo ac Fazello contrarius est autor Chronici Beneventani, aliique autores qui hanc inaugurationem ad annum sequentem rejiciunt: imo rem apud eos involutam nostri Chronici verbis egregie evolvi credit Pirrus; eamque sic conciliat dicens: juxta Maraldi sensum, Rogerium sua sibi autoritate regios vindicasse titulos suscepto primum hoc anno Idibus Maii diademate, quo rursum anno sequenti die Nativitatis Dominicæ, ad eamdem dignitatem magis sibi confirmandam, ex Anacleti licentia redimitus fuit. Sed hæc penitius scrutari nostri non est instituti. Quamobrem ad nostrum Radulphum redeamus, qui ab eodem Rogerio jam coronato donationes omnes et privilegia quæ Rogerius comes sancto Brunoni concesserat confirmari curavit, ut Maraldus ipse superius innuit. Hujus confirmationis diploma datum est anno præsenti, Indictione octava, cujus hæc pauca verba, tamquam facientia ad Magistri Radulphi notitiam, retulit noster Constantius: « Venit ad nos, loquitur Rogerius, frater Radulphus eremitarum Magister, quibusdam cum Fratribus comitatus. »

Fazel. de rebus Sicil. Dec. 1. l. 8. et Dec. 2. l. 7.

Chronici Beneven. apud Baron. ad an. 1130. num. 53.

Rogerius Rex confirmat fundationem Calabriæ.

De actis S. P. Brun. in Calab.

RAYNALDUS ARCHIEP. LUGD. MORITUR ORDINIS AMICUS.

VIII. Hoc pariter anno, Raynaldus olim abbas Vezeliacensis tunc Lugdunensis archiepiscopus, nostri semper Instituti studiosissimus, die 7 Augusti pie decessit, cum vix octo

mensibus sedisset, et paulo ante Portensibus Cartusiensibus beneficia a suis antecessoribus collata confirmasset; datis eorum in gratiam ad suum Clerum sequentibus literis : ANNUS 1129

« R. Lugdun. archiepisc. Archipresbyteris, Presbyteris, cunctisque clericis et laicis in suo archiepiscopatu consistentibus salutem. Cum præcipue religionis et honestatis merito Fratres Portarum tueri ac diligere debeamus, eo tamen nobis majorem sui sollicitudinem ingerunt, quo et in fundo proprii juris Ecclesiæ Lugdunensis consistunt; et præter ipsam quam incolunt eremum possessiones alias non requirunt. Quapropter universa quæ ab antecessoribus nostris ad pacem eorum provide constituta sunt confirmantes, episcopali autoritate omnimodis prohibemus, ne quis eos, vel quæ eorum sunt aliquatenus perturbare vel inquietare audeat, et specialiter ne quis inter fines eorum agriculturam, pastoratum, venatum, plaustrorum vel quadrigarum ductum, seu etiam lignorum damnosum vel insolitum tractum, injuriam vel violentiam cuicumque facere, prædam ducere vel prædatum ire aut redire præsumat. Eosdem autem fines, nisi communis viæ transitum faciens, mulier nulla introeat. Si quis ergo, nisi forte eorum concessione vel jussu, horum omnium aliquid sciens egerit, et admonitus emendare contempserit, excommunicationis vindictæ donec satisfaciat, subjacere debebit. Et ne forte ignorantiæ locus aliquis relinquatur, vobis Archipresbyteris, Presbyteris in ejusdem loci vicinia constitutis præcipiendo mandamus, ut præsentes literas in Missalibus vestris scribatis, aut ab ipsis scribi sinatis. Et ubicumque clamorem eorum audieritis, juxta earumdem literarum tenorem, debitam eis justitiam faciatis. »

Cartul. I. Cart. Port. fol. 55.

IX. Rainaldo successit Petrus, qui factus Sedis Apostolicæ Legatus sui etiam erga Portenses studii illustre specimen edidit, prohibens ne quis secularis ullum posset intra eorum limites fundum acquirere. Extant hujus inhibitionis literæ, quas velut arctæ Patrum solitudinis et eorum ab omni cupiditate alienationis præclarum argumentum, hic ad filiorum ædificationem subjiciendas duximus :

PETR. RAINALDI SUCCESSOR IN NOS PROPENSUS.

42

ANNUS 1129

Ex eod. Cartul. fol. 65.

« Petrus Dei gratia Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopus et Apostolicæ sedis Legatus, Archipresbyteris suis atque Presbyteris in Portarum vicinia constitutis salutem. Servi Christi Heremum Portarum colentes dum cupiditatis rabiem vigilantius effugere quærunt, solitudinis suæ terminos acquirendo non transeunt; unde injustum admodum et indignum cognoscitur ut seculares quique, ubilibet acquirentes vel possidentes, se eorum terminis cupiditate vel malignitate aliqua ingerant, et si quid ibi forte venale est, coemendo suis usibus attrahant. Quapropter servientium Deo quieti et paci paterna sollicitudine providentes, episcopali et Apostolica autoritate et ea quam in eodem loco jure regio fungimur potestate interdicimus, ne cuiquam ab hac die in reliquum intra eorum terminos, nisi ipsis terram emere liceat. Si quis autem contra interdictum nostrum, quamdiu legitimum pretium vel concambium dare voluerint, emptione aut venditione illicita eos molestare tentaverit, contemptus et inobedientiæ merito emptor cum venditore ecclesiasticæ ultioni subjaceat, donec præsumptionis excessum satisfactione congrua deleat. Illud etiam nihilominus modis omnibus prohibemus, et non solum pontificali verum etiam Apostolica autoritate interdicendo vetamus, ne quis omnino aliquid omnium quæ eorum arctissimis terminis includuntur, quolibet modo vel quacumque occasione in jus alterius ecclesiæ transferat, ne sub obtentu eleemosynæ peccatum committat, et sectatores pacis ad contentiones et litigia pertrahat. »

NOBILES FIUNT CARTUSIENSES.

Ex eod. Cartular. fol. 37 et 39.

X. His etiam temporibus plures Nobiles Cartusiense institutum apud eamdem Portarum cartusiam amplexi sunt. Inter quos fuerunt « Stephanus dels Viniels, qui pro salute sua ad Deum et ad nos confugiens », dedit quoddam pratum confirmante et donum augente Witfredo fratre ejus. « Geraldus quoque frater Willelmi de Eran, seculo valefaciens nostræque Domui se subjiciens », multa etiam bona intra terminos sita contulit, donum recipiente Bosone Portarum monacho et Procuratore. Idem præstitit Richardus filius Petri Pitgerii, patre consentiente et eodem Bosone reci-

Ex eod. Cartular. fol. 45.

piente cum Gerardo de Briort ejusdem Domus Converso.

ANNUS 1129

ALII BENEFACTORES.

XI. Multi pariter peregrinationes ad varia loca sancta obituri, facultatum suarum partem nostris Portensibus largiebantur. Umbertus de Turvillis quoddam pratum dedit, « si tamen ipse et filius suus obierint in itinere Romano. Ungrinus miles de Buxis Jerosolymam iturus dono dedit duas portiones terræ », præsente Sigibodo ejusdem Ungrini fratre. Hugo miles de Sancto Leodegario ad S. Jacobum iturus (in quo itinere est defunctus) dedit quidquid habebat in villa de Buxis. Testes donationis fuerunt Humbertus frater ejus Canonicus S. Ruffi et Franco frater ejus, Aimo presbyter de Buxis et Bonuspar Conversus Portarum. Stephanus dictus Putet ad eumdem S. Jacobum iturus, in superiori Portarum Domo constitutus, dedit quidquid infra terminos ejusdem cartusiæ habebat, laudante Sigisbodo fratre suo et donationi præsentibus Bonopare et Petro Conversis.

Ibidem fol. 28.

ODOLRICUS EP. DIENSIS.

XII. Sub idem tempus Stephano, e Diensi sede ad Viennensem archiepiscopatum translato, successit Odolricus Ecclesiæ Gratianopolitanæ Decanus, Cartusiensium ita amans ut eorum institutum, abdicatis infulis, amplexus creditus sit. Tempus quo Diensis præsul effectus est ignoratur, sed ad hunc saltem annum referendum esse conjicimus, quod jam sedisse anno sequenti reperiatur ex instrumento, in quo inter cætera hæc legimus : « Guigo Humberti de Cornilione vendidit et tradidit ecclesiæ Calesiensi, quæ est dedicata in honore B. Mariæ et S. Johannis Baptistæ, et habitatoribus ejus...... hanc venditionem laudavit et voluit uxor ejus Morarda. Facta est autem anno ab Incarn. Dom. MCXXX, Indict. VIII, in manu et præsentia Domni Oldrici Diensis episcopi. Cujus venditionis testes sunt ejusdem Episcopi archipresbyter Guillelmus et Durantus ejusdem Episcopi scutarius, Bernardus ecclesiæ Calesiensis abbas, Landulfus ejusdem ecclesiæ Conversus, comes Amedeus, Humbertus de Bocosello, etc. »

Ex Tabul. mag. Cart.

JESU CHRISTI

ANNUS 1130.

Innocentii PP. II	Ord. Cartus.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 1.	Ann. 47.	Ann. 21.

HONOR. PAPA MORITUR.

I. ANNUS Redempti orbis post millesimum atque centesimum trigesimus incipit, Indictione octava, quo Summus Pontifex Honorius vir gravis atque severus, medio mense Februario, viam universæ carnis ingressus est. Congregatis in palatio absque mora Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus qui tunc aderant, antequam divulgaretur Papæ decessus, ipso die vel tantum biduo post ut quidam probant, Gregorius cardinalis diaconus sancti Angeli successor Honorii conclamatus est, dictus Innocentius secundus; cujus vita et fama et ætas et scientia digna summo sacerdotio habebantur. Post ejus electionem, eodem die ad horam tertiam, Petrus Portuensis episcopus Petrum natione Romanum Petri Leonis filium, cardinalem SS. Cosmæ et Damiani et quondam cum præfato Gregorio per Gallias Legatum, in caput Ecclesiæ elegit et Anacletum nominavit. Ejusdem electione a quibusdam tumultuarie confirmata, creatio Innocentii ab eisdem frustra damnata est; sicque tetrum in Ecclesia Dei ortum est schisma. Hujus igitur intrusi Pseudopontificis declinaturus insidias, legitimus Papa Pisas primum aufugit et inde Genuam transiens, in Gallias velut ad tutissimum portum se recepit, præmissis nuntiis qui Gallicanæ Ecclesiæ intimarent negotii veritatem. Sed eum prævenit comprovincialium Francorum Antistitum pietatis ac veritatis zelus. Siquidem ex eis plures Anicii conve-

Baronius ad hunc an. n. 1 et seqq.

Bolland. in propyl. ad act. SS. Maii.

Innocent. II eligitur.

Et contra eum Petrus Leo.

Vita S. Steph. Grand. l. 25. c. 49.

nientes, motique sancti nostri Hugonis adhortationibus, Anacletum anathemate damnaverunt. Hujus Concilii sive Conventus mentio habetur a Guigone nostro in ejusdem beati Episcopi Vita, qui nullo habito veteris amicitiæ quæ inter se et Petrum Leonis intercedebat respectu, in ipsum sancti Petri solium tyrannice invadentem magnopere commotus, pro Innocentio stetit robusto animo in decrepita senectute. Sed ipsum audiamus Guigonem rem his verbis enarrantem : ANNUS 1130

« Defuncto Honorio, cum per tyrannicam et schismaticam rabiem, non suis meritis sed cognatorum et fratrum fultus præsidiis, Petrus Leonis adversus vestram Innocentiam (scribebat Hugo ad Innocentium II Papam) quæ beatæ memoriæ Honorio successerat, emersisset; atque hoc vir Dei certissime comperisset, morbis licet ut diximus et ætate consumptus, zelo tamen Domus Dei cujus diligebat decorem, perrexit Anicium ut eumdem cum aliis Episcopis excommunicaret schismaticum. Quæ certe excommunicatio propter autoritatem tanti Viri contulit multum, et profectum Catholicis et detrimentum Schismaticis. Et certe tam idem Petrus quam pater ejus, sancto Viro multas olim venerationes et obsequia præstiterant, sed beatus homo in tali negotio, id est ubi periclitabatur justitia, nec amicitia flectebatur nec potentia terrebatur. » Hæc Guigo.

Pseudo-Papa, agente S. Hugone, excommunicatur.

Guigo in Epist. ad Innocentium II.

Interea Innocentius in Provinciam delatus per Valentiam transiit, ubi eum convenit S. Hugo abdicationem iterum rogans, sed non obtinuit, ut pergit narrare Guigo : «declinante igitur, inquit, persecutiones præfati schismatici Serenitate vestra (semper Papam alloquitur) et Gallias ingressa, occurrit ei Valentiam beatus Hugo cum lacrymis rogans et obsecrans quod et pridem ab Antecessore vestro petierat, ut scilicet cunctis sarcinis et honoribus ecclesiasticis absolveretur, et utilior in Ecclesia Gratianopolitana Pastor eligeretur ; sed nec quidem impetrare potuit, quod tam efficaciter humiliterque petivit. » Hæc Guigo.

S. Hugo iterum petit deponi.

Cæterum, inquit Baronius, voluntatem Dei fuisse ut vir

Baron. ad an. 1128.

ANNUS
1130

tantus usque ad obitum fulgeret dignitate episcopali, eventa declararunt ; nam plurimum profuit Ecclesiæ Catholicæ schismate præfati Anacleti exagitatæ, ut mox diximus. Ejus quoque erga Innocentium fidem laudat divus Bernardus, post ejus mortem ad Aquitaniæ Episcopos scribens contra Gerardum Engolismensem episcopum : « Non est consilium, ait ille, contra consilium Domini ; velociter currit sermo ejus in conveniendo populos in unum et Reges, ut Domino Papæ Innocentio serviant et obediant. » Et post pauca : « Dei judicium esse cognoverunt et acquieverunt Episcopi, Equibertus Monasteriensis, Hildebrandus Pistoriensis, Bernardus Papiensis, Landulphus Astensis, Hugo Gratianopolitanus, Bernardus Parmensis. Horum gloria specialis et præcipua sanctitas et autoritas etiam hostibus reverenda, facile nobis qui minorem et meriti et officii tenemus locum, aut errare secum aut sapere persuasit. »

Fidelis Ecclesiæ et summo Pontifici.

S. Bernard. Epist. 126.

Deinde de Cartusiensibus et aliis Monachorum Ordinibus Innocentio inhærentibus subdit : « Non autem debeo prætermittere sanctos qui mundo mortui Deo melius vivunt, quorum vita abscondita est cum Christo in gloria, ubi certe studiose inquirunt et non dubie inveniunt beneplacitum Dei, qui solliciti sunt quomodo placeant ei. Itaque Camaldulenses, Vallumbrosiani, Cartusienses, Cluniacenses, et qui de Majori Monasterio sunt, mei quoque Cistercienses, Cistemblenses, Cadumenses, Tironenses et Saviniacenses ; universitas denique et unanimitas fratrum tam clericorum quam monachorum regularis vitæ probatæque conversationis, sequentes Episcopos tamquam greges pastores suos, Innocentio firmiter adhærent, sincere favent, humiliter parent, verum Apostolorum successorem recognoscunt. » Hactenus sanctus Bernardus.

Cartusienses stant pro Innocentio II.

Arnulphus quoque Sagiensis archidiaconus, in tractatu contra eumdem Gerardum, Cartusiensium et Cisterciensium constantiam in fide Innocentio debita plurimum laudat, eorumque exemplo se maxime motum fatetur ad sequendas veri Pontificis partes. Sic enim loquitur : « Horum in hoc mihi consensus præcipuus est, horum me movet, motum tra-

Eorum exempla alii imitantur.

Arn. contra Ger. cap. 8.

hit, . tractum tenet autoritas, quibus datum est nosse mysterium Regni Dei; quorum in cœlis esse jam ex parte conversatio perhibetur. Quales revera sunt qui Cartusiæ perpetuas nives inhabitant, et qui a Cisterciensi vel Cluniacensi monasterio profluentes, lucis suæ radios undique diffuderunt. Hi enim a manibus suis et animo, saniore consilio terrea removentes, aspera veste, cibo cum raro tum arido multisque laboribus corpus macerant, ad eam tantum retributionem totis animi viribus anhelantes, quam diligentibus se gratiam repromisit. Etc. » Hæc ille.

ANNUS 1130

II. Interea vero cum Innocentius Papa peregrinans esset in via, et Valentiæ, ut diximus, a sancto Hugone visitatus fuisset, Haymericus cardinalis et S. R. E. cancellarius sanctum Episcopum usque Gratianopolim forsan comitatus, ad Majorem tunc potuit Cartusiam ascendere, ad quam constat ipsum aliquando ascendisse Guigonem invisendi gratia, cujus prudentiæ et sanctitatis fama longe lateque tunc diffundebatur. Tanti honoris non immemor, Guigo Haymerico post illius discessum gratias egit, scripta ad eum suo et totius conventus Cartusiæ nomine epistola, sanctam viri apostolici libertatem redolente, qua monet duos esse hostes quibuscum maxime sit pugnandum, et contra Ecclesiæ adversarios non armis corporalibus, sed humilitate et pœnitentia utendum. Hanc e nostræ Coloniensis cartusiæ bibliotheca depromptam, inter opera S. Bernardi Horstius edidit, ubi integram, qui volet, legere poterit. Quæ vero accessum illius ad Cartusiam indicant, subjicere libet. Sic igitur eum primum compellat sub his titulis: « Domino et amico in Christo Reverendissimo, Sedis Apostolicæ cancellario Haymerico, amici (si tamen dignum est) ejus et sui Cartusienses Fratres, terrena despicere et amare cœlestia. Quam grata fuerit nobis vestra præsentia, recordatione sentimus : unde quæsumus sic agite, ut cum ab his diebus qui secundum Apostolum mali sunt, et secundum Psalmistam sicut umbra deficiunt, ad dies bonos et annos æternos transieritis, non de nostra (quid enim nos vel sumus vel erimus ?) sed de Illius visione et societate cum Sanctis

HAYMERICUS CARDINALIS INVISIT CARTUSIAM.

To. 6. oper. S. Bern.

ANNUS 1130

omnibus lætemini, propter quem nostram et obscuritatem nosse et necessitatem supplere, et, quod longe pluris ducimus, tot et tantis ecclesiasticis, quibus nunquam caretis, interpositis negotiis, latebras nostras non solum humiliter sed et laboriose penetrare, nosque ipsos oculo ad oculum invisere et ore ad os loqui non est dedignata vestra Sublimitas ; a quo solo summo beneficio et bono (societate scilicet et visione Dei) non spatiis locorum aut temporum (semper enim est et ubique, et in ipso vivimus, movemur et sumus), sed meritis sejungimur peccatorum. » Deinde postquam disseruit de hostibus nostris contra quos totis viribus nobis est dimicandum, eumque hortatus est ad publicis Ecclesiæ malis consulendum, de breviori illius in Cartusia commoratione queritur sic dicens : « Erubescamus ad hoc, nempe ad morum ecclesiasticorum perversitatem, dulcissime, sero cognite, brevi conspecte, cito rapte et corporalibus oculis nunquam deinceps forte conspiciende, sed ab amoris tamen nostri complexibus, nullis casibus, nullis avellende temporibus ; erubescamus ad hoc, nosque ipsos, si possumus, defleamus, quod et judaicam et gentilem videamur superasse duritiam. » Et sub finem : « Hæc, inquit, non Doctoris aut reprehensoris autoritate, sed dolentis et lamentantis affectu fuderimus, etc. Valete. Deus Pater qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se.... nobis autem misereatur idem ipse Omnipotens per vestras et totius Ecclesiæ Romanæ intercessiones et opera sacra, exhilarans corda nostra fragrantissimis et saluberrimis odoribus famæ, vestræ, et continuis in veritate profectibus. Iterum valete. Salutate nobis Reverendos Patres, Albanum scilicet et Ostiensem Episcopos ; et si quos alios vestræ visum fuerit discretioni. Valete tertio. Habetote quæsumus Domum istam in mente vestra, sicut ipsa vos reclusit in sua. »

Ibi brevi demoratus.

Innocentius Papa ab exeunte præsenti anno ad annum 1132, quo circa Aprilem Italiam repetiit, in Galliis demoratus

est; intra quod tempus Haymericus, qui semper ei adhærebat, ad Majorem debuit pergere Cartusiam. Unde etiam conjicimus hanc Guigonis epistolam eodem fuisse scriptam tempore, vel saltem paulo post Curiæ Romanæ in Italiam reditum, et quidem ante finem anni 1133, quo Cardinalis sive Episcopus Ostiensis a Guigone salutatus, videlicet Joannes Bononiensis olim Camaldulensis Prior jam, teste Ughello, obierat. Alter quem Guigo salutat, vocabatur Matthæus quondam Remensis Canonicus et Radulpho Viridi, sancti Patriarchæ Brunonis socio et ejusdem Ecclesiæ tandem archiepiscopo, religiosa devotus familiaritate; qui postea ex monacho Ordinis Cluniacensis ab Honorio simul cum prælato Joanne Bononiensi creatus episcopus Cardinalis Albanus, nostros Cartusienses semper dilexit et maxime Guigonem quem, ut verisimile est, cum Haymerico et Joanne inviserat. Obiit Matthæus non sine multis magnæ sanctitatis argumentis, anno 1135, die 25 Decemb. cum prius prædictus amicus ejus Ostiensis Præsul, jam diu ante defunctus, cuidam monacho in somnis apparens obitum ejus et futuram gloriam prænunciasset. Si quis tamen contenderet ac probaret epistolam scriptam tantum fuisse anno 1135, non est dubium quin salutatio Guigonis potius spectaret Albericum eodem anno factum Ostiensem episcopum, quam Joannem jam ante defunctum. Verum cum hic Joannes, paulo post suam promotionem in Orientem ab Innocentio legatus, ibidem ultra biennium transegerit, id facile probari posse non credo.

ANNUS 1130

Jo. Ostien. et Matth. Albanus Episc. Cartus. amici.

Ugh. in Ostien. et Alban. Episcopus.

Pet. Clun. lib. 2 mirac. c. 17. et seqq.

Baronius an. 1136. num. 33.

III. Circa eadem tempora, Odo S. Remigii Remensis abbas et Ordinis sancti Benedicti in variis monasteriis instaurator, ad Majorem quoque Cartusiam longo ac difficili itinere non deterritus venit, Guigonem et cæteros illius loci monachos invisendi gratia, in quorum amorem ab annis duodecim ex narratione beati Gaudefridi Ambianensis episcopi exarserat. Forsan et ipse Odo præfati sancti Præsulis motus exemplo, parisque pietatis incensus ardore, Cartusiense Propositum fuisset amplexatus, nisi ab alio sancto episcopo, Hugone videlicet Gratianopolitano, construendæ potius in suæ Abbatiæ

ODO ABBAS S. REMIG. AD CARTUS. VENIT.

Vid. an. 1118.

ANNUS 1130

Charta Fundationis Cartus. Mont.Dei.

Vid.an.1136.

Causa itineris.

Chron. Ord. Cartus. l. 6. c. 29.

fundo cartusiæ consilium accepisset. Domus namque Montis Dei fundationem, autore eodem S. Hugone, Odonem fuisse aggressum suo loco videbimus. Ut ut sit, constat ex Vita prædicti sancti Gaudefridi cujus verba mox exscribemus, ipsum ea de causa tam arduum iter suscepisse, ut quoddam magni momenti consilium perficeret. Vastæ illius solitudinis rupes Abbas jam attigerat, cum derepente concreto nebulosam in caliginem aere, a recta via deflectens, non sine miraculo quod a Dorlando fusissime describitur, ad Cartusiæ januam post plures horas etiam inscius advenit. Cum Nostris per dies aliquot, quasi unus ex eis Odo conversatus est; cujus commorationem Vitæ S. Gaudefridi autor his verbis exprimit : « Obiter hic annotare visum est quando in mentem venit, beati hujus viri cingulum et pectinem cum apud Suessiones in ecclesia Sanctorum Crispini et Crispiniani defunctus esset, Odonem ejus loci abbatem sibi reservasse. Is Odo postea coactus suscipere regendum monasterium S. Remigii, quod apud Remos est, ad Magnam Cartusiam certas ob causas se contulit, et illic aliquot dies apud Fratres egit sanctissime. Ad eum quandoque veniens memoratus Guigo Cartusiæ Prior, inter alia non sine gemitu mentionem faciebat Godefridi episcopi, et quam religiose inter ipsos vixisset; summopere autem se dicebat tantam animi ejus compunctionem, ut pene jugiter ab ejus oculis lacrymæ manarent; quod quidem cœlestis gratiæ munus nemo negare ausus erit, puritate, et simplicitate cordis eum impetrasse. Respondebat ad hæc Odo, se hæc reipsa comperisse; quippe qui summa ejus familiaritate fruitus esset et defuncti corpusculum in ecclesia Sanctorum Crispini et Crispiniani, qui in eadem ecclesia conditi sunt, suis manibus sepulturæ mandasset, atque ejus cingulum et pectinem tum pro sua erga illum devotione, tum sui tuendi causa semper apud se ab eo tempore gestasset. Quod ut audivit Guigo ille venerabilis, dici non potest quanto affectu ea osculatus sit, Christum testificans revera felices eos esse qui non modo cineribus ejus, sed vel fimbriis vestimenti ejus potiri mererentur. Talis fuit piorum

de Godefrido sententia et existimatio. Equidem hæc ab ipsius venerabilis Patris Odonis ore accepi, quæ etsi præpropere, non tamen uti spero infructuose hic mihi commemorata sunt. »

ANNUS 1130

JESU CHRISTI

ANNUS 1131.

Innocentii PP. II	Ordinis Cart.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 2.	Ann. 48.	Ann. 22.

DIVERSI ORDINES FULGENT IN ECCLESIA.

Baron. ad hunc an. n. 14.

Supplem. ad chron. Sigib. editionis ann. 1583.

Gaguin. in Lud. gros. sub finem.

I. ANNUS sequitur Redemptoris millesimus centesimus trigesimus primus, Indictione nona, quo Gallicana Ecclesia, inquit Baronius, mirum in modum illustris apparebat. Quomodo vero id fiebat narrat Robertus Abbas in Appendice ad Sigibertum his verbis : « Erat circa hæc tempora pulchra ac decora facies Ecclesiæ, diversorum Ordinum ac professionum circumdata varietate; dum hinc Præmonstratenses, hinc Cistercienses, inde Cluniacenses monachi. » Et paulo post : « Cum his etiam monachi Cartusienses et ipsi paulatim pullulabant; qui præ cæteris continentes pesti avaritiæ, qua plurimos sub Religionis habitu laborare videmus, terminos posuerunt, dum certum numerum hominum, animalium, possessionum, quem eis prætergredi nullo modo liceat, statuerunt; et ipsi singulas singuli cellulas habentes, ac raro vel ob Dei cultum, vel ob mutuum in charitate solatium convenientes, perfectius mori mundo, et cæteris tanto diligentius quanto secretius vivere Deo elegerunt. » Hæc Robertus. Quod vero de terminis et numero hominum, animalium et possessionum dicit, consule capitula 41 et 78 Consuetudinum Guigonis, et ad eadem Notas tomo horum Annalium primo. His porro quæ de Cartusiensibus scribit præfatus Abbas, conformia quædam habet Gaguinus : « Cartusiensium, inquit, durissima austeritas et parsimonia eodem fere tempore, dum

annus salutis ageretur 1132, suæ sanctitatis lumen exhibuit. »

ANNUS 1131

GUIGO AD INNOCENTIUM SCRIBIT.

Dorl.Chron. lib. 4. cap. 3.

II. Guigo etiam Prior Cartusiæ cum esset ipse sanctissimus, Fratres suos, ut verbis utar Dorlandi, per omnes sanctitatis et justitiæ tramites deducere studebat; ita ut longe lateque bonus vitæ odor horum Fratrum sese diffunderet. Et equidem hoc anno usque ad Innocentii, imo et totius Ecclesiæ aures fama eorum pervenit. Congregato namque Concilio Remensi, cui præsens erat Innocentius, dum ibidem exhibentur Lotharii Regis Alemanorum, Regumque Angliæ et Hispaniarum literæ quibus sese filios et obedientes denunciant, dumque Rex ipse Galliæ pedes Pontificis coram toto Conventu deosculatur; offeruntur « et lætitiæ et admirationi ad id negotium pertinentes excellentissimorum eremitarum (sunt verba Chronici Mauriniacensis) Cartusiensium literæ, quæ per quemdam venerabilem Abbatem de Ordine Cisterciensi delatæ, et in Concilio per Gaufredum Carnotensem episcopum recitatæ sunt. Erant autem Cartusienses (pergit autor synchronus) in jugis Alpium angelicam degentes vitam supereminentissimæ Religionis, incomparabilis austeritatis viri. » Scribendarum literarum causa hæc fuit. Sanctus Hugo, ætate pariter et sanctitate provectus, in dies magis magisque deficiens, cum se præterea ob crebrescentes molestias episcopali officio amplius obeundo imparem esse animadverteret, successorem sibi de Cartusiensibus monachis legere voluit. Consilio itaque cum suæ Clero Ecclesiæ communicato, alterum Hugonem Majoris Cartusiæ monachum, in quem jamjam totum munus episcopale transferret, a nostro Guigone et illius Conventu sibi dari petiit. Videntur Cartusienses, suo sodali tantum onus formidante, petitionem de ipso factam primum non probasse; verum cogentibus, ut in literis loquuntur, Ecclesiæ Gratianopolitanæ clericis ac præcipue sancto Episcopo, assentiuntur, et per Hugonem Pontiniacensem abbatem qui tunc Cartusiæ adfuerat et ad Concilium pergebat, Summum Pontificem rogant sancti Præsulis velit consilium probare; deinde ipsum Innocentium multis adhortantur, ne in arduas diri schismatis difficultates animum despondeat.

Laudantur Cartusienses coram Concilii Patribus.

Chron. Maurinac. lib. 2.

Acquiescunt Sancti Hugoni episcopatum suum in Hugonem Cart. monach. transferri petenti.

Vita S. Hugonis.

Hugo Abbas Pontiniaci ipsorum lator literarum.

ANNUS 1131

Hanc eorum epistolam citatus autor subjicit ut sequitur :

« Domino et Patri carissimo et Reverendissimo, Apostolicæ Sedis Summo Pontifici Innocentio, servi et filii Cartusiæ pauperes, illam quam mundus dare non potest pacem, suæque parvitatis devotam servitutem et, licet non necessarium, obsequium. Multas ad vestri Apostolatus sacras aures, pro Ecclesia Gratianopolitana disponebamus offerre supplicationes, cogentibus ejusdem Ecclesiæ clericis, et præcipue carissimo, omni et veneratione dignissimo Patre et Episcopo nostro, qui, quod sine lacrymis non scribimus, dissolutus morbis et senio, inter defunctos quantum ad episcopale spectat officium potest adnumerari. Sed divina, ut credimus miseratione provenit, a viro venerabili et circa vestræ Serenitatis obedientiam valde devoto Abbate Pontiniacensi, nostram exiguitatem interim visitari ; cujus auribus cuncta quæ conceperamus infudimus, efficacius et plenius viva voce vestris conspectibus inferenda. Et quia semel, et cum nihil simus, forte non sine præsumptionis periculo cœpimus loqui ad Dominum nostrum, rogamus supplices et obsecramus admonere et exhortari minus idonei, quatenus in omnibus quæ Romana vestris diebus vel patitur vel facit Ecclesia, nequaquam terreamini, sed magis confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus, insuperabilibus armis munitus, quæ suis commilitonibus ex copiis universalis Imperatoris beatus offert Apostolus, scuto scilicet fidei et galea salutis et, qui non membra sed errores et vitia trucidat, gladio spiritus. Nunc enim revera non adversus carnem tantum et sanguinem quæ regnum Dei non possidebunt, sed adversus rectores tenebrarum et spiritales nequitias pugnandum est et pugnatum. Nam quid aliud Petrinam duritiam et Leoninam rabiem, quæ adversatur et extollitur adversus Principis Apostolorum Vicarium, nisi diabolica nequitia, inspiratio viperea, tam atrociter concitavit ? Quid aliud inveteratum dierum malorum, Engolismensem videlicet Gerardum, nisi veternosa cupiditas et ambitio diabolicis immissa suggestionibus, contra Catholicam pacem et veritatem tam impudenter tamque pertinaciter ire cœpit ?

Pro Ecclesia Gratianopolit. Papam deprecantur.

Eum ad constantiam hortantur.

Gerard. episc. Engolismens. fautor schismatis Pet. Leonis adversus Innocentium.

Quid nisi serpentina calliditas per humanam mutabilitatem aditum nocendi reperiens, tam detestandi schismatis, flendis autoribus, ex his quoque de quorum scientia præsumebatur et fide plurimos copulavit ? Sed hæc religiosos animos et in Catholica veritate fundatos tanto minus movere, tantoque minus terrere debent, quanto sunt et ab ipso Domino longius ante prædicta et a ministris iniquitatis crebrius tentata, et a veritatis sectatoribus numerosius et felicius superata. Quis enim annumerare sufficiat, quotiens Apostolica fides et constantia, Ipso qui eam dedit prædicente, et prædicendo roborante, non solum non defectura sed alios confirmatura : quis, inquam, numerare sufficiat, quotiens et potestatum sæculi crudelitatibus sit impugnata, et schismaticorum atque hæreticorum insidiis et fraudibus impetita ? Quare autem ab eo, quo permittente vel jubente cuncta fiunt, aliquid aliquando posse permissi sunt, ita ut infirmi quaterentur, fortes exercerentur, imperiti erudirentur, sapientes ostenderentur, et universaliter boni coronarentur, mali condemnarentur.

ANNUS 1131

« Nunc quoniam sancti pectoris intentionem a melioribus avocatam et divinioribus, diutius quam decuit nostris tenuimus ineptiis occupatam, vestræ Majestatis pedibus advoluti pro cunctis, sed maxime pro novellis Religionibus, Cisterciensi scilicet ac Fontevraldensi, nec non pro universo mundo preces offerimus. Non enim pars una, sed totius potius orbis est vestra Diœcesis ; nam sicut Deus est unus, Mediator unus, mundus unus, sol unus, et ut minora inseramus, in animalibus cunctis caput unum ; ita Beati Petri Vicarius, id est Papa, non potest esse nisi unus. Universo itaque mundo rigorem disciplinæ, rectitudinem justitiæ, lumen doctrinæ, et ipsius quam nomine quoque præfertis, incomprehensibilis debetis esse exemplar innocentiæ. Nam sicut in hoc visibili mundo lux est tenebris, et calor contrarius frigori ; ita vestra totius seculi peccatis innocentia, erroribus sapientia, luxuriis temperantia, adversitatibus tolerantia, et vitiis est objecta justitia ; ut dum ab uno vincitur unus, id est a Beati Petri Vicario mundus, quo sine multitudinis viribus

Rogant pro Cistercien. et aliis.

ANNUS 1131

parta fuerit victoria, eo major Deo, cujus est totum, honor reddatur et gloria : per Dominum nostrum Jesum qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen. »

GUIGO SUMMUM PONTIFICEM CONVENIT.

Baron. ad hunc annum, num. 80.

Sammarth. tom. 4. Gall. Christ.

III. Post Concilii celebrationem, antequam a Galliis recederet Innocentius Papa, eum invisisse nobile monasterium Cluniacense ejusque dedicasse ecclesiam Baronius probat. Sammarthani vero in Priorum Cartusiæ Catalogo nostrum Guigonem scribunt illuc Summo Pontifici, ab eo, ut credere fas est, evocatum occurrisse; nec alia quidem de causa, ut puto, quam ut de S. Hugonis statu et de alterius Hugonis electione illiusque animi dotibus eum redderet certiorem.

Hugo mon. Carth. fit ep. Grat.

In prol. Vitæ ejus ad Pont. Roman.

Eccles. 30.

Annuente igitur imo et jubente Innocentio, sanctoque exultante Hugone, noster Monachus episcopalem dignitatem invitus licet accepit, ut testatur Guigo ipse ad eumdem Papam sic scribens : « Posterior (nempe iste Hugo a S. Hugone electus) ex nobis Monachus ita ei in ecclesiastico regimine successit, ut propter diurnam ac vehementem infirmitatem ipsius, in ejus locum, ipso petente vestraque pietate jubente, prius quam obiret ipse, consecraretur. De quo id non immerito dixerim : mortuus est pater ejus et quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, et lætatus est in illo, etc. »

Qualis fuerit Hugo II.

Dorl. lib. 4. cap. 8.

De hoc Hugone juniore episcopo Gratianopolitano ita Dorlandus scribit : « Florente hoc Patre Antelmo (de quo sæpe inferius nobis agendum erit), magnarum virtutum Hugo claruit Cartusiensis, qui S. Hugoni Gratianapolitano episcopo in regimine successit, electus ab eo et præelectus ob singularem piæ religionis sanctimoniam. Erat nempe durus sibi et rigidus, et inexorabilis sui corporis castigator. Aridus quidem carne, sed mente pinguissimus ». Et post pauca : « Itaque ab omnibus pro pietate amabilis, pro sanctitate venerabilis, pro autoritate terribilis habebatur. Hic dum magnis virtutibus clareret et signis, coactus est Cathedram permutare, et jubente Summo Pontifice, factus est Archiepiscopus Viennensis. Crevit quidem dignitate, sed sanctitate longe semper

præcelluit ». Hactenus Dorlandus ; in his certe non nimius, cum eum S. Hugoni prorsus similem fuisse Guigo noster asseruerit.

ANNUS 1131

HUGO CAPELLANUS MORITUR.

IV. Circa hæc tempora beato fine quievit alter Hugo, unus ex primis stellis quæ Cartusiensis Ordinis firmamentum condecorarunt, vulgo dictus Capellanus eo quod solus, ut alibi diximus, inter sancti Brunonis socios sacerdoti tunc esset dignitate ornatus : cujus juvenilis in senili corpore animus ad subeundas Cartusiæ vias durissimas cæteros etiam animabat. In primo Cartusiæ Calendario duo Hugones reperiuntur, ambo dicti monachi et sacerdotes, quorum unus ad duodecimum Calendas Novembris describitur eadem manu ac sancti Patriarchæ Brunonis obitus ; unde conjicimus hunc esse nostrum Capellanum. Alter quinto Nonas Maii designatur, sed alio charactere, licet vetustissimo ac multum simili characteribus quibus exaratum est quoddam ad Guigonis Consuetudines Supplementum. Quapropter verisimile est illum esse Hugonem alterum qui post Guigonem Cartusiæ duobus annis præfuit. De quo suo dicemus loco.

USURPATOR DIVINITUS PERCULSUS RESIPISCIT.

Surius in annot. in S. Brunon. vitam.

V. E Galliis in Calabriam nos transferentes, quoddam mirabile a Deo patratum contra quemdam bonorum nostræ Eremi Calabriæ usurpatorem libet enarrare. Is erat Gaufridus de Lorotello Cantazarii in Calabria comes, Radulphi filius comitis ejusdem nominis, nepotis comitis Rogerii fundatoris nostri. Hic Gaufridus cum cujusdam Omnium Sanctorum ecclesiæ, terrarum et vinearum in oppidi Badulati tenemento factas a se et a matre sua Berta, Sanctæ Mariæ Eremo donationes revocasset, gravi apostemate est, Deo vindice, in pectore sauciatus ; unde et ad extrema devenit. At condito testamento cum morti proximus esset, a Rogerio de Arenis admonitus, res injuste ablatas restituit. Quod vix dum fecerat, ex ore et naribus multum sanguinis emittens pristinæ sanitati restituitur. Id sane clarius ex ipsiusmet verbis et restitutionis instrumento quod subjicimus, patebit :

« Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo primo, Indictione nona*, mense Octobris, cum ego

* *Al.* octava.

ANNUS 1131

Gaufridus de Lorotello Cantazarii comes, juvenili cupiditate tenerer, ne quod mater mea venerabilis Berta pro ecclesia Omnium Sanctorum de tenimento de Padulato quam dederat Beatæ Mariæ de Eremo ac beato Proto-Martyri Stephano, terras cultas et incultas, arbores domesticas et sylvestres, villanos quoque et vineas confirmarem, sed potius revocarem, plus expetens temporalia quam æterna, Deo permittente, post meæ revocationis triennium in stomachi fui horribili apostemate sauciatus, adeo dure ut vitalibus spiritibus diminutis a medicis desperarer. Verum post conditum testamentum dixit mihi Dominus Rogerius de Arenis, qui modo testis adfuit testamento apud Castellum novum ubi eo tempore infirmabar : confirma puro restituendi proposito quæ revocasti beato Proto-Martyri Stephano ; est enim tanti meriti apud Deum, quod te poterit ab isto apostemate liberare. Quibus verbis auditis, jussi per novum testamentum, quod in momento iterum condidi, confirmari. Mirum in modum cœpi subito sanguine putrido fluente de ore et naribus liberari. Quo viso miraculo devotus misi literas Fratribus Eremitis, eo die quo navis Genuensium ab Alexandria veniens, in portum Castelli novi ruinam est passa. Venit autem ad me ad castrum meum Cantazarii Radulphus de Crucifixo, Eremitarum Sanctæ Mariæ et sancti Proto-Martyris Stephani Magister, et cum eo frater Arnaldus, et Odo et Guido monachi, quibus præsentibus præcepi præsens privilegium per manus scribæ Roberti conscribi, et quæ Domina mater mea dederat....» Cætera desunt in nostro exemplari.

JESU CHRISTI

ANNUS 1132.

Innocentii PP. II	Ordinis Cartus.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 3.	Ann. 49.	Ann. 23.

I. ANNUS sequitur Redemptoris trigesimus secundus supra millesimum centesimum, Indictione decima, quo Januarii die trigesima miseranda Majoris Cartusiæ Domus clades accidit, viris innocentibus sub gravi nivium pondere extinctis. Vetustissimum quinque primorum Cartusiæ Priorum Chronicon affirmat casum hunc evenisse anno vigesimo tertio prioratus Guigonis, qui hoc præsenti anno occurrit. Ejusdem continuatores Chronici Sutor et alii plures annum eumdem ponunt. Solus fere Dorlandus annum prioratus Guigonis signat vigesimum sextum, sed priori adhæremus sententiæ, eo maxime quod præfati Chronici duo habeamus exemplaria, ante annos quingentos exarata, in quibus non notis numerabilibus sed distinctis literis annus legitur vigesimus tertius. Sic igitur casus adeo luctuosi narrationem prosequitur præfatum Chronicon : « Sub hujus (nempe Guigonis) prioratu, quod reticeri non debet, anno vigesimo tertio, nives de altissimis rupibus impetu subito et incredibili mole ruentes, cellas monachorum omnes præter unam, et cum eisdem sex de monachis et unum Novitium, horrendo turbine rapuerunt et vasta sui congerie submerserunt. Ad consolationem tamen superstitum et testimonium beatitudinis oppressorum, die ab eadem ruina duodecima, quidam ex eisdem oppressis, Haduinus nomine, Lotharingus natione, novissimus de profun-

CARTUSIA RUENTIBUS NIVIUM ACERVIS EVERSA.

Chron. ms. Cart. c. 5.

Dorl. chronic. Cart. l. 4. c. 3.

Septem monachi oppressi.

Unus Haduinus nomine vivus post 12 dies erutus.

do tantæ voraginis erutus, stupendo miraculo non solum vivus sed et integro sensu et illæsa memoria repertus, deportatus, pauca quidem verba sed miræ dulcedinis et suavissimi affectus alloquentibus reddidit. Ex more itaque sacro, confessione data et inunctione accepta cunctisque Fratribus osculatis, Dominici Corporis et Sanguinis alimento post tantam inediam satiatus, placidissimo fine quievit in Domino. »

Aliorum oppressorum nomina.

Monachorum oppressorum nomina nulli hactenus innotuerunt, quæ cum animi exultatione, velut si thesaurum effodissemus, nuper reperimus in pervetusto Majoris Cartusiæ Calendario, quod esse videtur idem quo antiqui Patres per primum Ordinis seculum usi sunt. Ibi igitur ad tertium Calendas Februarii, quinque monachorum et unius Novitii nomina hoc ordine leguntur : « Willelmus monachus, Petrus sacerdos et monachus, Nicolaus monachus, Theobaldus monachus, Joannes Novitius, Ysardus sacerdos et monachus. » Et ut nullus esset ambigendi locus, ad tertium Februarii scribitur « Haduinus monachus, » ille videlicet qui die ab eadem clade duodecima, vivus inter latos nivium acervos repertus, « confessione data et Dominici corporis et sanguine alimento satiatus », obdormivit in Domino. Ubi duo maxime observanda sunt : primum ex his verbis « Dominici corporis et sanguinis », non absurde posse conjici communionem sub utraque specie his temporibus nostro in Ordine adhuc viguisse.

Observanda circa Haduini mortem.

Communio sub utraq. specie.

CONFESSIO SACRAMENTALIS DE VENIALIBUS

II. Alterum observatione dignum versatur circa confessionem, quam ab Haduino sacramentaliter factam fuisse nulli dubium esse potest. Hæc non solum ab agentibus animam apud nos fiebat, sed eam a sanis licet noxæ levi tantum obnoxiis frequentatam fuisse etiam Guigonis temporibus, ex illius Consuetudinibus constat, quæ sabbatum uniuscujusque hebdomadæ ad id assignant : « Omni sabbato post Nonam in claustrum convenimus..... et quia tota hebdomada in cellis silentium tenemus, peccata nostra Priori vel quibus ab eo injunctum est, confitemur. » Idem habetur in Regula Chrodegangi : « Monachi in uno quoque sabbato confessionem fa-

Semper in usu apud nos.

Guig. Cons. cap. 7. nu. 1. 2.

Reg. Chrodeg. cap. 32.

ciant cum bona voluntate Episcopo aut Priori suo. » Statuta quoque Præmonstratensia volunt ut tam sacerdotes quam Clerici et Conversi, semel ad minus in septimana confiteantur. S. Hugo episcopus Lincolniensis Ordinis nostri quondam monachus, « omni tempore, inquit Vitæ illius autor, semel in hebdomada id est die sabbati, purissimæ confessionis lavacrum frequentabat, quod de traditione inviolabili Ordinis sui exequens nullatenus omittebat; quin et crebrius hoc ageret, mox ut aliquis ex quocumque facto, dicto, cogitatu, scrupulus præter solitum ejus animo subortus fuisset. »

ANNUS 1132

Stat. Præmon. Distinct. 2. cap. 6.

A S. Hugone Lincolniensi frequentata.

Vita ejus ms. lib. 4. cap. 10. sub finem.

Ex his patet prædicta Guigonis verba non de communi et publica culparum accusatione intelligenda esse, ut quidam autumant, sed de privata et sacramentali peccatorum confessione, non solum graviorum sed et venialium, juxta morem eodem Guigonis ævo apud omnes Monachos receptum, peccata etiam venialia in aurem sacerdotum revelandi. In Supplementis ad Guigonis Consuetudines, tempore Basilii Cartusiæ Prioris Capitulorum generalium autoritate additis, legimus « quod privata confessione quæ in cella fit vel alibi, non dimittitur generalis quæ fit in Capitulo. » Et quidem in sabbato, ut habetur in Statutis Rifferii. Ecce privata confessio, quæ dicitur privata tum quia seorsum et ad aures fiebat, tum ut distingueretur a « generali ». Hæc autem, licet etiam privata esset et auricularis, generalis nihilominus vocatur, quod singulis sabbatis ab omnibus monachis deberet frequentari, juxta prædictam Guigonis Consuetudinem; cum hac tantum differentia, quod Guigonis tempore in claustro fiebat, tempore vero Basilii in Capitulo, quod etiamnum observatur. Hæc enucleatius explicat Rifferius, quem integrum habes primo horum Annalium tomo. Quæ quidem omnia ibidem expressa, apud nos etiam hodie in usu sunt: nisi quod sæpius vel etiam quotidie, si cui libet, confitemur non prostrati ut olim sed genuflexi. Legentibus vero Rifferii verba, in quibus fit mentio de generali et communi confessione in Capitulo vel in claustro facienda, statim occurrit publica illa culparum accusatio, quæ palam præ-

In cella fieri potest.

Ex codice maj. Cart.

Stat. Ant. p. 2. cap. 11. nu. 5.

Lib. 2. c. 13. pag. 143.

ANNUS 1132

Ubi sup. cap. 12. nu. 7 et seqq.

sentibus et audientibus cæteris monachis, ad superioris pedes emittitur; sed ea attentius discutientibus fit perspicuum hic agi de confessione sacramentali. Præterea Rifferius aliud capitulum composuit, in quo specialiter modum describit quem debemus in publica culparum recognitione tenere; quæ, propter solitudinis custodiam et ne super hebdomadam frequentius e cella egrediamur, fit qualibet die Dominica post Primam in ecclesia decantatam, sicut etiam primis fiebat Ordinis temporibus. Et hæc modo dicta sufficiant de confessione, occasione Haduini nivium casu obruti et defuncti.

PRIOR CARTUSIÆ HABITATIO RELINQUITUR.

III. Ne post tantam cladem simili iterum exponerentur periculo, Guigo censuit pristinam habitationem esse derelinquendam, aptatisque utcumque ædificiis in eo ubi etiamnum stat Cartusia loco, illuc monachorum qui ab Ordinis fundatione obierant ossa curavit transferri, Nonis Julii, quo die ipsorum anniversarium in primo Calendario describitur et persolvitur. Hujus calamitatis etiam meminit Vitæ S. Antelmi autor, dicens quod quando sanctus vir in Cartusiæ Priorem assumptus est, « deerant viri animo fortes, ex quo beatus vir ille sanctorum conventus paucissimis superstitibus, una simul die sive hora percipere meruere laboris præmium, nivium cum terra et rupibus de altissimis montibus super cellas ruentium mole oppressi. » Hæc ille. Quomodo vero ipse sanctus Antelmus ad Cartusiam occasione hujus cladis fuit accersitus, sequenti anno dicemus. At ne quidam pusillanimes, ex tam deploranda calamitate, qua sancti tot viri perierunt, de divina providentia minus sapienter sentiant, antidotum eis propinemus ex sancto Augustino ad Victorianum sic scribente: « Bonos dicis Dei servos et fideles et sanctos gladio Barbarorum peremptos; quid autem interest, utrum eos febris aut ferrum de corpore solverit? Non qua occasione exeant, sed quales ad se exeant Dominus attendit in servis suis. »

Vita S. Antel. ms. et apud Sur.

August. epis. 122.

S. STEPHANUS OBAZINEN. CARTUSIAM INVISIT.

IV. Eodem tempore vel paulo post, beatus Stephanus abbas Obazinensis adhuc fluctuans quod vitæ genus cum

suis amplecteretur sociis, Majorem Cartusiam assumptis duobus comitibus adiit, consilium a Guigone petiturus et secuturus. Ejus iter et accessum ad Cartusiam, simulque funestum illum casum quo paulo ante Nostri corruerant, fuse satis enarrat autor coætaneus in ejus Vita quam nuper edidit eruditus Balusius, cujus verba censemus subjicienda. « Audiens autem famam Cartusiensium monachorum, quos tunc præ cæteris fama nobilitabat, ad videndum eos gratam quidem sed laboriosam sibi peregrinationem assumpsit; in quo itinere multas famis ac frigoris injurias est perpessus, eo quod loca per quæ transiturus erat, cum semper frigida sint natura, tum maxime hyemis tempore nivibus erant repleta. Ipse pedestri itinere et interdum nudis pedibus incedens, nihil ad victum pertinens secum ferebat. Erant itineris ejus comites duo clerici Fratres, cum quibus psalmos jugiter decantabat, habentes unum ex famulis qui eis in necessariis ministrabat. Gestabat etiam tunc loricam superius memoratam, quæ ei gravamen non minimum inferebat, etc.

ANNUS 1132

Lib. 4. Miscell. a Balusio collect.

« Pervenientes ad Cartusiam, satis humane a Fratribus illis excepti sunt. Erat enim festivitas Dedicationis ecclesiæ ipsorum, quæ eos in unum omnes convexerat; nam cæteris diebus privatis, singuli in suis cellis singulariter manent. Diebus vero festis sive Dominicis, in unum omnes conveniunt tam in ecclesia quam in refectorio, vel cæteris conventibus qui fiunt ex more; peracta vero solemnitate, ad proprias cellulas revertuntur. Habitatio eorum montaneis hyemalibus cingitur. Cellulæ ipsorum quinque cubitis a se invicem disterminantur. Contigerat illis fere diebus, ut immensæ nivium congeries resolutæ coacervatim ad inferiora laberentur, occupatisque cellulis Fratrum, plures ex eis longius asportarent, habitatoribus extinctis. Cumque post decem dies, hoc audientes vicini ad eruendum eos undique convenissent, inter cæteros qui oppressi fuerant unum adhuc spirantem invenerunt, de quo præter spem læti effecti quod cæteris in tanto discrimine superesset, ad focum eum mox detulerunt, ubi paululum recuperato flatu, mox ut loqui potuit Priorem ad

A Guigone benigne acceptus.

Clades præfata describitur.

ANNUS 1132

se venire fecit, confessionem dedit, pœnitentiam accepit; et ita sumpto Viatico animam exhalavit. Quis dubitet alios æterna quiete esse susceptos, et istum ad pœnitentiam reservatum sicque defunctum ? Vir itaque Dei cum Priore loci familiariter conlocutus est (erat enim discretus et religione fundatus), consilium quærebat quam sibi vitam Religionis decerneret eligendam. Erat enim in hoc tam ipse quam Fratres ejus, ut alicujus Ordinis instituta susciperent; quia et ob hoc ibi convenerat ut illorum Ordinem, ad consilium et voluntatem eorum, suscipere debuisset. Ad quod ille respondens, dixit Cistercienses nuper exortos regiam viam tenere, eorum Statuta ad omnem perfectionem posse sufficere. Nobis enim, ait, et in personis est numerus et in possessionibus est terminus præfixus. Tu vero qui plures ad Dei servitium congregasti et adhuc ampliores suscipere decrevisti, cœnobialem magis expetere debes professionem, quæ et multis æque patet ac paucis; quia non numero sed religione pensatur, et virtutibus non possessionibus æstimatur. Hæc ille audiens gratanter accepit, et consilium Prioris illius ac si divinitus datum sumens, ad propria remeavit. Reversus a Cartusia vir Dei ampliatis Fratribus, habitacula quoque monasterii, quæ parva erant, ampliare disposuit. Ac primum a sanctuario incipiens, ecclesiam in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, adinstar Cartusiensis ecclesiæ construere cœpit, etc. » Obiit ille sanctissimus Abbas 8 Idus Martii, anno quinquagesimo nono hujus seculi.

Guigo ei dissuadet ne Cartusiensis fiat.

PETR. CLUNIAC. AFFLICTOS PATRES CONSOLATUR.

V. Cum tantæ cladis rumor hic illucque diffunderetur, ad aures etiam venerabilis Petri Cluniacensis abbatis, nostrorum Cartusiensium amantissimi, pervenit. Quo ille accepto nuntio, totis ad compassionem commotis visceribus, ad Guigonem et cæteros superstites sequentem scripsit epistolam super morte Fratrum, quod ad cœleste gaudium diutius desideratum transiisse putandi essent, consolatoriam; quodque in casu illo probationis divinæ Job patientiam imitentur, commonitoriam. Est porro talis :

« Beatissimis et singulariter honorandis ac nominandis

Dominis ac Patribus Cartusiensibus, Domno Guigoni Prioris et cæteris Fratribus : frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, æternam a piissimo Salvatore Jesu Christo salutem, et a consolatore Spiritu plenissimam recipere consolationem. Audita, Dilectissimi, et vix credita Apostolici numeri et cœlestis collegii vestri tam subita et inopinata imminutione, fateor quasi in extasi raptus diu stupui. Occurrebant mihi, et quasi violenter cordi meo se immergebant hinc rei novitas, illinc abyssus consiliorum Dei; hinc pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, illinc mortis ejusdem ex humano affectu dolor; qui etsi Sanctorum funeribus non debetur, ex diligentium tamen cordibus ipsa vi dilectionis extorquetur. Sed cum per aliquot dies ista mecum reputans et quasi cum amicis beati Job in terra sedens ac mœrens continuissem, statui dilectioni vestræ, mihi super aurum et topazium caræ, scribere, atque statum animi vestri modo quo poteram rescire. Neque enim permitterem epistolam me prævenire, si adeundi sanctitatem vestram mihi aliquatenus facultas data fuisset; sed cum universorum consonaret sententia, obstante immenso nivium aggere, neminem ad vos equitem posse ingredi, peditem me posse pergere desperavi. Nam revera, si vel illud fuisset possibile, non recusassem etiam hoc cum magno labore tentare. Unde licet quam citius potero hoc me facturum confidam, hunc tamen nuntium quasi subsecuturi præcursorem vobis interim mitto. Et quamvis secundum vulgare proverbium, stolidissimum videatur humeris ligna ad sylvam deferre, et aqua urceo allata mare infundere; nihil tamen diffusa in cordibus vestris per Spiritum Sanctum qui datus est vobis charitas potest contemnere, quod ex ejusdem charitatis videatur fonte descendere. Hortor igitur et obsecro, ac mecum quæ Cluniaci Domino Christo servit et vobis ex corde compatitur tota Fraternitas deprecatur, ne casum hunc cordi apponatis, ne inde plus justo doleatis, ne justorum morte, qua magis gaudere debetis, vos ipsos multis aliis confectos laboribus afficiatis.

ANNUS 1132

Pet. Clun. lib. 4. Epist. 12.

NON EST DOLENDUM DE EORUM MORTE.

VI. « Nam si res bene perpenditur, non est quod vobis do-

ANNUS 1132 lorem importet; sed est plene quod vobis ingentem lætitiam subministret. Quis enim dolor illis debetur qui dolorem evaserunt? quæ lacrymæ, qui lacrymarum omnem materiam exuerunt? qui ad vitam illam pervenerunt, de qua in Apocalypsi vox de cœlo Joanni ait : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, et mors non erit ultra, neque luctus, neque dolor? Quid, inquam, illis dolendum est, qui quod diu desideraverunt, nunc tandem consequi meruerunt? Quid sane illi viventes exoptabant, nisi quod Apostolus de se dicit: cupio dissolvi et esse cum Christo? Nam quis viator prolixum iter laboriose peragens, et eodem itinere ad desideratam quietem tendens, tam stultus est ut nunquam ad quietem pervenire, nunquam asperrimum viæ laborem velit finire? Quis agricola tam durus ut, hyeme urgente, pluviis ingruentibus, æstu fervente, terram tantum proscindere, semina serere, nunquam fructus exoptet percipere? Quis negotiator terra marique sæpe latrones perpessus, semper pavidus, semper suspectus, multa multotiens flagella vel vulnera passus, non toto affectu animi tantis malis carere, et multo cum lucro patriam parentesque revisere concupiscat? Quis hæres a patre constitutus non omni mentis annisu ad concessam hæreditatem pervenire ambiat?

Apocal. 21.

« Sic plane, dilectissimi, sic vere et absque dubio, sic, sic de istis mortuis vestris, imo et nostris mortuis est sentiendum, credendum, dicendum; quia et secundum Evangelium, finita arcta via quæ ducit ad vitam, perducti sunt ad Vitam quæ dicit : Ego sum resurrectio et vita. Et agriculturæ labore cessante, juxta Psalmistam, qui seminaverunt in lacrymis jam in gaudio metunt; et similes negotiatori quærenti bonas margaritas, multum de negotiatione sua etiam morientes lucrati sunt, qui unam pretiosam margaritam omnia vendentes emerunt, utpote quibus vivere Christus erat et mori lucrum, et boni filii ad hæreditatem benigni Patris moriendo pervenerunt. De qua Propheta: cum dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Unde oportet, ut ait Apostolus, non contristari vos de dor-

Matth. 7.
Joannis. 11.
Psalm. 125.

mientibus, sicut contristantur qui spem non habent ; nec quasi infelicibus eis condolere, sed quasi ut vere est, jam sempiterne beatis toto animo congaudere. Quia valde incongruum videtur, sociis vestris in superna lætantibus, vos pro eis deorsum dolere.

ANNUS 1132

« Si quis tamen dolori locus esse potest, hic tantum videtur, quod eis quiescentibus, vos adhuc laboratis ; quod eorum cursu jam consummato, vos anhelantes curritis ; quod eis jam victoriarum palmam tenentibus, vos adhuc in certamine desudatis. Sed huic cogitationi facilis occurrit consolatio, quia quod jam illis contulit gloriam, vobis proficit ad coronam. Hoc enim camino, quo illi omni decocta rubigine splendificati sunt, vos etiam non inferius quia nec eis mitius, imo fortasse durius quoniam prolixius, purgamini. Nam etsi cum eis mortui non fuistis, mortis eorum gladio animas vestras pertranseunte, mortem nequaquam morientes tolerastis ; quam idcirco duriorem sensistis, quia cum deficientibus ipsi deficere non potuistis.

Sed de nostro labore.

« Fecit hoc Dominus ut vos probaret, ut vos vobis etiam in hoc conflictu fortes aut infirmos ostenderet ; ut virtutem vestram mundo ostendendo, infirmos roboraret. Nam quos ante mundus noverat in pace fortes, hos Dei gratia largiente agnoscit in bello constantes.

« Libet æstuanti erga vos affectus mei desiderio se per verba diffundere ; sed negotiorum importunitas, ne nimis diffluat, cogit multa breviare. Quapropter, quoniam superno Judici ea via tentationis vos ex parte aggredi placuit, qua Job justus tentatus est ; et quia tanti vos habuit cœlestis censura, ut ad tanti viri flagella perferenda vos idoneos judicaret ; libeat in subversione cellarum et oppressione Fratrum, omni cordis tranquillitate clamare, quod ille a vento deserti domo subversa et filiis ac filiabus ejus ruina extinctis, adorans dixit : Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. Aderit Dominus qui non permittit aliquem tentari supra id quod potest, ut suo tempore aliis in duplum restitutis, sicut ad illum incolumes

Patientia Job imitanda

Job. 1.

ANNUS 1132

filii et filiæ, ita ad vos nunc extincti Fratres revertantur, atque a vobis nunquam dissociandi in æternum conjungantur. Lætificate igitur nos non parum vobiscum mœstificatos. Quod continuo fiet, si vos mœstitiam deposuisse quam citius nobis innotuerit. » Hactenus Petri abbatis ad nostros epistola; quem Deus in hoc ipsum posuisse videtur, qui inter tantæ tribulationis et afflictionis procellas, ut lucidum sidus appareret, et instar beati Pauli posset et ipse consolari eos qui in pressura erant; consolator certe nequaquam onerosus.

PET CLUN. ITERUM AD NOSTROS SCRIBIT.

VII. Extat et altera ejusdem sancti Abbatis ad nostrum Guigonem cæterosque Cartusiæ Fratres epistola, quam post suprascriptam et hæc circa tempora datam fuisse ex eo non temere conjicimus, quod in responsione quam dedit ad eum Guigo, hæc aurea verba profundam humilitatem redolentia habeantur, et ab ipso beato Abbate ad S. Bernardum scribente citata et laudata, ut suo loco videbimus. Quibus verbis inter cætera unum maxime rogat et quidem, ut loquitur, « defixis in terram genibus, ut vilitatem ejus Patris nomine dignam ulterius non æstimet. » Guigonis namque precibus Petrum acquievisse manifeste convincemur, ex epistolis ad illius successores et ad Majorevi Priorem datis, in quibus sibi a Patris titulo temperavit, quod in duobus aliis ad Guigonem non præstiterat, ut in sequenti apparet, in qua totus est in explicandis sui erga eos amoris argumentis:

Epist. lib. I. Ep. 24.

« Venerabili et non fictæ charitatis brachiis singulariter amplectendo Domino et Patri, Guigoni Cartusien. Priori, et cæteris Fratribus, F. Petrus humilis Cluniacen. abbas, salutem ad quam suspirat æternam. Cum exundantem erga vos sincerum cordis mei affectum, verborum signis explicare pertento, fateor, in ipso conatu deficio. De aliis quibuslibet assidue tractanti verborum copia affluit; cum vestri amore et memoria tota repleta sit anima mea, seipsum quærens explicare animus succumbit.... Quando enim explicare potero, quomodo a vobis corpore sejunctus, tota vobis mente conjungar? Quomodo alibi manens vobiscum semper maneam? Quomodo cum aliis conversans, intra sacri collegii vestri

numerum spirituali habitatione conversor? Quando referre valebo quam gravis mihi sit (teste Eo quem fallere non possum) ipsa vestra corporalis absentia, qua si carere possem, non solum miserum quantum ad me nomen Abbatis, sed etiam totum cum suis omnibus mundum exuere nullo modo dubitarem ? » Deinde vir humillimus multum sese deprimens, quam esset iis dotibus imparatus quæ ad munus suum obeundum requirebantur, eis conatur persuadere ; eamdemque ad eos orationem iterum convertens : « sed quid, inquit, dolori meo satisfacere cupiens, aures vestras audiendis cum Maria Domini sermonibus occupatas verborum importunitate repleo ? Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam ? Quantum tamen ad votum animi mei, elongavi fugiens et mansi vobiscum in solitudine, expectans eum qui salvum me faciat a pusillanimitate spiritus, quæ me his de causis exanimat, et tempestate mundana quæ quasi suffocandum undique circumvallat. Miseremini igitur mei, saltem vos amici mei ; et sicut ego ista dictando meas vobis lacrymas fudi, ita vos coram piissimo Redemptore vestras pro me dignamini fundere. Misi, ad hoc assidue commonendas mentes vestras, secundam cum Salvatoris imagine crucem, ut eum crucifixum pro eo in hoc mundo crucifixi contemplantes, cum illum pro vestra multorumque salute deprecamini, mei quoque in sacris precibus vestris nullomodo obliviscamini. Sit vobis in signum amicorum, qui stat, juxta Prophetam, in signum populorum ; ut sicut Domini vestri memoria a pectoris vestri sacrario nunquam separatur, ita servi vestri miseria, si fieri potest, a vestris affectibus nullo tempore divellatur.

ANNUS 1132

Crucifixi effigiem mittit,

Isaiæ 11.

« Misi et Vitas Sanctorum Nazianzeni et Chrysostomi sicut mandastis. Misi etiam libellum, sive epistolam beati Ambrosii contra relationem Symmachi urbis Romæ præfecti pagani, qui sub nomine Senatus idololatriam in Urbem reduci ab Imperatoribus postulabat. Qui licet in sua relatione orator acutissimus videatur, ei tamen et prosa et metro tam supradictus venerabilis Pater, quam noster insignis poeta Pruden-

Item libros.

ANNUS 1132

tius, potentissime responderunt. Tractatum autem beati Hilarii super Psalmos ideo non misi, quia eamdem in nostro codice quam et in vestro corruptionem inveni. Quod si et talem vultis, remandate, et mittam. Prosperum contra Cassianum, sicut nostis, non habemus; sed pro eo ad sanctum Joannem Angeliacensem in Aquitania misimus; et iterum, si necesse fuerit, mittemus. Mittite et vos nobis, si placet, majus volumen epistolarum sancti Patris Augustini, quod in ipso pene initio continet epistolas ejusdem ad sanctum Hieronymum, et sancti Hieronymi ad ipsum. Nam magnam partem nostrarum, in quadam obedientia, casu comedit ursus.

« Salutat vos totus conventus noster devoto corde, et quidam quibus loqui licet, corde simul et ore. Inter quos frater Petrus notarius noster se nominatim scribi rogavit. Omnipotens Deus noster Jesus Christus, qui hic nos univit spirituali cordium affectione, in regno suo nos uniat sempiterna cohabitatione; et non intrans in judicium cum servis suis, suppleat per gratiam quod deest meritis nostris. »

GUIGONIS AD PETR. CLUN. RESPONSIO.

VIII. Huic Guigo epistolæ, suo et aliorum nomine respondit, data mellifiua epistola, in qua beato Abbati gratias agit pro Crucifixo ad se misso, deprecaturque ut diximus ne ulterius eum Patris nomine dignum existimet. Est autem sequentis tenoris:

Inter Epist. Petr.Clun.lib. 1. Ep. 25.

« Domino et Patri in Christo reverendissimo abbati Cluniacensi Petro, dignationis ejus servus et filius, Cartusiensium pauperum inutilis Guigo famulus, perpetua pace gaudere per Christum. Crucifixum crucifixus et ipse crucifigendis misistis; gratias itaque reddimus pro qualitate muneris charitati muneratoris. Verumtamen vestra in literis quas misistis expressa charitas, nostræ etsi magnam præstat consolationem infirmitati, non minorem tamen humilitas confusionem ingerit extremitati. Unde petimus, per eam qua in nos indignos vestra fervent viscera dilectionem, ut quando nostræ exiguitati vestra scribere dignatur Serenitas, ita de propria cogitetis

Egregia Guigonis humilitas.

ædificatione, ut infirmitatem nostram periculosa non infletis elatione. Et illud præ omnibus et super omnia quæsumus, et

defixis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram Patris nomine dignam, ulterius æstimetis. Satis et super satis est, si frater, si amicus, si filius appelletur, qui nec servi nomine dignus habetur. Valete. Salutate Reverendos Patres et Dominos nostros, quibus paternam curam impenditis, quorum pariter et vestris precibus nostram illuminari cæcitatem, roborari infirmitatem et aboleri petimus iniquitatem. Domni Arberti Majoris Prioris infirmitatibus, tamquam antiqui ac familiaris amici, nostro dolore compatimur. Domnum quoque Petrum vestris literis specialiter et ipsi salutamus. Pro visitatione etiam quam nobis vir egregius Prior Claustrensis, et Domnus Hugo de Creceio nuper exhibuere, Paternitati vestræ gratias agimus. Incolumem vos assiduo virtutum profectu, ad nostrum et totius Ecclesiæ gaudium, Clementia divina conservet. Ipsemet enim vestris meritis vestrisque literis eorum visceribus vestram memoriam insolubiliter alligastis. »

ANNUS 1132

IX. Eodem tempore quo Deus tot ad se e nostris in cœlum evocavit, unum, qui pro mille nobis esset, e seculo ad nostrum Ordinem misit, sanctum videlicet Antelmum (quem in chartis vetustioribus Nantelmum etiam vocari animadvertimus), vigesimum quartum ætatis annum tunc agentem. Eum octavo hujus seculi anno natum esse colligimus, quod septuagenarius obierit septuagesimo octavo ejusdem seculi anno. Præclaram illius Vitam quidam sacerdos anonymus coævus scripsit ; cujus etiam codicem habuit noster Surius et edidit, sed mutatis pro more suo phrasi et stylo ac plerisque paraphrastice redditis. At nos solius simplicitatis studiosi primigeniam autoris phrasim restituemus, ipsius usi verbis, nihil prorsus addentes aut mutantes. Notandum obiter tum in hoc codice, cum in aliis vetustioribus documentis, nomen Antelmi scribi sine inserta litera H ; quam solum in recentioribus codicibus additam reperimus. Porro sic inscribitur noster codex : « Prologus in Vitam S. Antelmi Bellicensis episcopi Ordinis Cartusiensis. » Deinde habet idem Prologus, ut sequitur :

S. ANTELMUS FIT CARTUSIENSIS MONACHUS.

Quando natus.

Quis Vitæ illius scriptor.

Prologus in ejus Vitam.

« Novimus Gentiles antiquitus Majorum suorum imagines

ANNUS 1132

sculptas seu depictas statuere solitos, ut eas posteritas intuens, ad appetendam virtutis seu probitatis gloriam, virorum fortium exemplis incitaretur. Fideles vero Dei cultores veri, firmius atque aptius multoque dignius, sanctorum Patrum, non tam beatorum Martyrum invictissimos agones et excellentissimos triumphos, quam sanctorum Confessorum gloriosa certamina conflictusque cum hoste diuturnos, virtutes quoque ac miraculorum insignia, scriptura, quæ omni incomparabiliter præstantior est sculptura vel pictura, laudibus extollendo, memoriæ posterorum tradere curavere. Nec immerito. Si enim illi, de quibus præmisimus quoniam talibus, potentia eminentes, laude digni videntur; isti utique omnino memorandi, laudandi, glorificandi sunt ac venerandi, ad Dei, qui in illis operatus est, laudem, gloriam et honorem. Illi hostes, ii totum mundum vicerunt; illi mortales et infirmos, isti immortales et fortes subegerunt; illi divitias et possessiones perituras, ii thesauros indeficientes et regnum sine fine possidendum acquisierunt. Est igitur nobis necessarium ut eos omni qua possumus devotione venerantes, deprecemur ut sint nobis semper et ubique patroni et defensores, et apud piissimum Redemptorem misericordemque Judicem pii intercessores, ut in quantumcumque regni ejus parte mereamur ascribi. Ipsum itaque in Sanctis suis mirabilem Deum laudemus, gratias agentes, qui nostris quoque temporibus beatum Antelmum Bellicensem episcopum, cæterorum meritis coæquatum Sanctorum patenter indicavit, manifestis Sanctum suum signis crebrisque miraculis longe lateque clarificans. De cujus vita sanctaque conversatione, ne de negligentia arguamur, qui de ejus contubernio seu visitatione ædificari meruimus; ego qui nomen meum, humilitatis causa latere cupio, licet sensu tenuis et ad tanta insufficiens, amore tamen ejus, patronum ipsum desiderans, paupere quidem stylo sed fideli ac divino, mente etsi digna non valeo, de multis tamen pauca scribere tentabo; non ex me sed in Deo confisus, qui bruti animalis labia ad loquendum aperuit et infantium linguas disertas facit. Explicit Prologus. »

Post Prologum sequitur Vita, distincta quidem variis capitulis numerabilibus sed sine titulis, præter inscriptionem primo capitulo præfixam quæ talis est: « Incipit Vita beati Antelmi Bellicensis episcopi », statimque subjicitur primum capitulum sine titulo.

ANNUS 1132

CLARIS NASCITUR PARENTIBUS.

X. « Celsa magnaque progenie, claris in seculo parentibus, patre videlicet Arduino de castello Savoyæ quod dicitur *Chygnins*, matre ex nobilissimis suæ patriæ progenitoribus, ortus est beatus Antelmus, qui Deo cui placuit servire studuit. Et qui erat genere nobilis, factus est Christi servitute nobilior. Hic igitur puer, postquam tempus visum est Deo qui ei providebat, traditur a parentibus sacris literis erudiendus. Cumque jam adultus bonæ indolis appareret, tanta eum Dominus perfuderat gratia, ut omnibus placeret, ab omnibus qui eum noscerent diligeretur. Sed cum jam Deo gratus esset, ut arbitratur, non statim tamen religiose incedere curavit faventis sibi seculi blandimentis illectus; neque enim adhuc novissima providebat. Quod nimirum Dei reor actum sapientia quæ fortiter suaviterque disposuit omnia, ut ex quo abundantioribus seculi prosperitatibus a Patre cœlesti tractus foret ad Christum, eo majoribus esset sanctitatis meritis adscribendus.

Fit canonicus Genevensis et Bellicensis.

« In Ecclesiis itaque Gebennensi ac Bellicensi ascitus, brevi magnis crevit terrarum et ecclesiarum reditibus, honoribus quoque et dignitatibus; ita ut provectioris ætatis viris, gravissimis etiam senibus præferretur. Nam in Gebennensi Ecclesia Præpositus et Secretarius, in Bellicensi vero factus est Secretarius, quæ dignitates in eis majores habentur. Cumque plurima possideret, non divitias congregare sed largiri et honeste expendere curabat. Delectabatur quippe, ut talium mos est pretium habere cupientium, favoribus et laudibus humanis. Transeuntes et adventantes illustres viros, tam religiosos quam seculares reverenter suscipiens ac trahens, honorifice provocabat cæteraque opportuna exhibebat obsequia. Itaque secundum Sapientis sententiam, regno utilius meritis innumeros longe lateque acquisierat amicos. Unum

ANNUS 1132

quoque cæteris multo utilius dicitur habuisse, pauperibus scilicet et afflictis pius extitisse. Et est certum quod una virtus, qui eam habuerit, ad cætera bona perducit, maxime charitas sine qua aliæ virtutes nullæ sunt, cujus est eleemosyna maximum membrum; quam qui sectatur, Dei amorem et inæstimabiles sibi comparat thesauros, temporalia quoque commoda et dies longos, amicos sibi facit fidos, certos, magnos atque perpetuos. Vir iste de quo agimus, licet vanus et temporalibus irretitus, inhonestum quid agere summopere fugiebat. Pauca hæc de seculari ejus vita præmissa sufficiant. Jam nunc de iis quæ Beatum faciunt, quantum Deus præstare dignabitur, referamus.

DOMOS ORDINIS FREQUENTAT.

XI. « Cum jam appropiaret tempori quo Christo conformari habebat, futurus in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi, cœpit Religiosorum maxime Ordinis Cartusiæ loca invisere, vitam eorum discutere ac libenter eos audire, nondum tamen conversionis æmulatione sed quadam curiositate. Submonebatur autem ab iis quos visitabat servis Dei; sed quis speraret eum facile converti posse cui tanta prospere cedebant, altiora quam adeptus fuerat, parabantur ? Cum autem quibusdam coævis suis comitantibus Portarum eremum adiisset inibi Deo famulantes visitandi gratia, et a Domno Bernardo venerabili Priore verbum salutis audiisset, cœpissetque eum memoratus Prior per cujus manum innumeri a deviis erratibus ad Deum sunt conversi ac per diversa locati, necnon Fratres aliqui ad conversionem hortari magnopere, Dei gratiam et regnum promittentes æternum; tunc non acquiescebat, sed pro se rogans et orationibus eorum se recommendans ac valedicens recedebat. Cumque ad inferiorem Domum venisset, retentus est a Fratribus et Bosone Procuratore, mirabilis industriæ viro, cognato suo, usque in crastinum. Mane autem facto repedans superius, iterum vidit Fratres, cellasque et omnia sibi perscrutari licuit. Cumque mollitum cor ejus percepissent, tempus nacti de contemptu mundi verbum repetentes, Prior sive Fratres hortantur ut parva pro magnis, pauca pro

A Bernardo Portarum Priore ad conversionem animatur.

multis, falsa pro veris, peritura pro æternis, pro salutiferis noxia, mortem pro vita, mundum pro Deo mutare non dubitaret. Quid multa ? Timoris Domini spiritu correptus, spiritu consilii et fortitudinis roboratus, subitò mutatus, amicus quippe Dei mox futurus, cuncta mundi abjiciens, soli Deo adhærens totum ejus se contulit servitio mancipandum. Nec mora, misericordiam postulans susceptus est cum Dei gratia. Cumque hortarentur eum ut propere dispositis rebus redire non tardaret diemque statuerent, non incongrue ratus, secundum Domini sententiam, manu semel ad aratrum missa non retro esse respiciendum, quominus aptus fieret regno Dei respondit : Dies hæc est cum Deo perpetuo remanendi. Est unde debita solvantur, et sunt amici fideles ad omnia disponenda. Sumpto itaque Religionis habitu gaudens, cum pietate et devotione magnoque fervore conversatus est, et in regularibus disciplinis et propositi Ordinis observantia brevi instructus atque perfectus. » Ante emensum legitimæ periclitationis annum, ad Majorem Cartusiam evocatus solemnibus votis ibidem se obligavit, ut anno sequenti dicemus.

ANNUS 1132

Habitum Ornis induit in eadem Portarum cartusia.

XII. Hoc anno, die 25 Februarii, migravit ad Dominum Milo Matris Cartusiæ quondam alumnus, tunc vero Majorevensis Eremi Prior, ad quam a Pontio de Balmeto illius Fundatore et Patre adductus fuerat. Ab eo primum Procurator institutus, ad Prioratum tandem, post ejus ad episcopatum Bellicensem electionem, evectus est. Huic cartusiæ multum profuit. Decimas enim terrarum intra præfixos illius Domus terminos constitutarum, pretio vel dono comparavit. Prata, pascua, terras et multa alia a Dominis de Balmeto Chomonte et Rubeomonte acquisivit. Quanto sancti nostri Propositi promovendi studio fuerit incensus, ex eo maxime apparet, quod beatum Guigonem ad condenda nostra Statuta suis et aliorum Priorum precibus accenderit, ut alibi diximus. Hunc Guicheno, nostrum Molinum secutus, in chronographica Bellicensium Episcoporum serie scribit obiisse anno 1122, et Pontium in prioratu præcessisse ; quod prorsus impossibile est, cum ad ejus preces, ut diximus, Cartusiæ

MILO PRIOR MAJOREVI MORITUR.

ANNUS 1132

Consuetudines in scriptis redactæ sint circa annum 1127; sed idem Guicheno seipsum videtur in Sebusiana Historia emendasse.

ITIDEM S. HUGO EPISC. GRATIANOPOL.

Ex ejus Vita ms.

Cui adsunt Religiosi Major. Cartusiæ cum aliis.

XIII. Paulo post, nempe die prima Aprilis, sanctus quoque Hugo Gratianopolitanus episcopus, multiplicibus pressuris et tunsionibus expolitus, ingressus est in abundantia sepulchrum. Sed audiamus nostrum Guigonem hæc fusius enarrantem. « Ab hoc tempore cœpit in dies magis magisque deficere et morti molestiis crebrescentibus appropinquare... Aderant ad serviendum ei, tam ex sociis propriis quam ex nostra et Calesiensi, nec non et Excubiensi Domibus, octo vel novem et interdum etiam decem, partim literati partim sine literis, omnes religiosi Fratres; nec ulla prorsus persona secularis ad ipsius admittebatur obsequium. Hi vero die noctuque corporalibus ac spiritualibus necessitatibus ejus devotissime serviebant. Erga quos servitores, videlicet suos, quantum in humilitate quam inter cæteras virtutes præcipue sectatum supra retulimus, profecerat, quamque profunde puri cordis sacris eam impresserat recessibus, manifestis ostendit indiciis. Nam si quid opus habebat, non a quoquam eorum jubendo tanquam Dominus sed rogando, nec humanam sed divinam potius remunerationem imprecando suppliciter exposcebat. Verbi gratia : exhibe vel fac mihi hoc aut illud propter Deum, ut Deus hoc tibi retribuat in futuro. Mirabantur audientes et vehementer stupebant, quod qui subjectos omnes et propriam præsertim familiam tanta autoritate tantaque severitate regere consuevit ; in ægritudine quando solent alii, morbi stimulante molestia, ad irarum et indignationum motus esse procliviores, tantam mansuetudinem, tantam induerat humilitatem. Nam etiam, si quis eum vel modice reprehendisset vel aliquam molestiam in ejus famulatu se pertulisse dixisset, protinus pugnis graviter pectus verberans, se reum clamabat virgarumque disciplinam imponi sibi devotissime flagitabat. Quod quia cuncti, propter multam circa eum reverentiam recusabant, flebat ubertim, confessionemque illam qua mysteria celebraturus uti fuerat

solitus innumerabiliter repetebat. Psalmos quoque et divinarum Scripturarum sententias, litanias etiam et orationes ecclesiasticas, die noctuque incredibili instantia frequentabat; ita ut nocte una, sicut nobis veraci narratione relatum est, Dominicas orationes trecentas expleverit. Cumque a servientibus sibi corriperetur quod hæc agendo, non solum suo fatigationem corpori sed etiam augmenta præberet infirmitati, respondebat ille, non solum non hinc suis incrementa miseriis, sed insuper magna provenire remedia. Ita quippe his assueverat studiis, et ita dulcedinem divinæ laudis et obsecrationis medullitus imbiberat, ut cum cætera pene omnia per passionem capitis de memoria diffugissent, hæc prorsus de sanctissima ejus mente, nulla vel phrenesis vel alterius vi morbi potuerint aboleri. Imo tanto hæc instantius et delectabilius revolvebat, quanto cætera, oblivione quoque juvante, rarius incursabant. Et cum plerumque hac ipsa oblivione cogente, ubi esset vel cum quibus esset nesciret; interrogatus tamen de his quæ ad justitiam religionemque pertinebant, sine cunctatione veracissime sapientissimeque respondebat. Nam cum falsus rumor exiisset, quod comiti Amedeo qui comitis Humberti (patris videlicet sui) secutus exemplum non exiguam beato seni reverentiam exhibebat, filius natus fuisset, quærerentque qui assistebant an eum vellet ipse baptisare; illico non sine aspernatione respondens: non, inquit, a quo quis baptisetur curandum est, cum Baptismus a quocumque datus, sit semper idem. » Tandemque post multa, quæ vel apud Surium vel apud Bollandianos legi poterunt, sic totam illius vitam concludit:

ANNUS 1132

Nulla vel phrenesis vel morbi vi, ab oratione distrahitur.

Resolvit quæstiones circa baptismum.

XIV. « Anno itaque ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo secundo, ætatis porro suæ ad minus octuagesimo, mense quarto, consecrationis autem itidem ad minus quinquagesimo secundo, Kalendis Aprilis, sexta ante Palmarum Dominicam feria, circa gallicinium, beatus Hugo inter sui temporis Episcopos operibus et fama singularis, pacata Domo et cunctis referta bonis, commissa etiam Ecclesia ac plebe tranquilla pace fruente, migravit ad Dominum; succes-

FELICISSIME MIGRAT E CORPORE.

ANNUS 1132

sorem substitutum jam sibi Cartusiensem, sicut diu multumque desideraverat, ante relinquens. Servatum est autem cor ejus insepultum usque ad tertiam sequentis hebdomadæ feriam, serenis diebus et calidis, ita ut nemo desideraret æstatem; mirantibus plurimis quod nec clementia aeris, nec circumstantis et constipatæ multitudinis æstu, nec cereorum calore tabesceret. Ad cujus venerandas exequias tres accurrerunt episcopi Diensis, Gratianopolitanus et Carnotinus qui præcedenti die, post secundam quam ei in hac sua ultima debilitate visitationem exhibuerat, vix tandem recesserat, rogans ut si in brevi deficeret, post eum (quod et factum est) protinus mitteretur.

Tres Episc. adsunt exequiis.

« Statim vero ut ejus obitus fama percrebuit, accurrerunt non ex ejus tantum Episcopatu, sed ex remotis quoque regionibus innumerabiles populi, cereos ac diversi generis oblationes afferentes; omnis ætas, sexus atque conditio devotissime osculabantur pedes ejus, in tantum ut sandalia ipsa tanquam tincta pellis, saliva pariter et lacrymis oscularentur. Nam et lactentes afferebantur parvuli, quo tam sancti corporis tactu adversus omnia munirentur adversa. Nonnulli etiam sandalia ipsa ardentiori fide osculando mordebant, aliquid inde ob sanctificationem secum ferre volentes. Annuli et nummi ac res aliæ sancto applicabantur corpori, ut eo sepulto pro reliquiis haberentur. Aderant ex Nostris et Calesiensibus atque Excubiensibus plures Conversi, sanctissimæ glebæ custodes assidui, monachorum quoque et clericorum cum ecclesiasticis apparatibus greges quam plurimi. Tantus autem concursus undique fuerat populi, et tam grata cunctis etiam defuncti præsentia, ut vix tandem eum permiserint sepeliri.

Devotio populi erga sacrum corpus.

« Denique quinta defunctionis die, tertia ut diximus post Palmas feria, deceperunt turbas, promittentes quod ipsum extra ecclesiam efferrent, ut eum liberius et intuerentur et tangerent. Hac itaque spe exeuntibus, et ita ecclesia Beatæ semper Virginis Mariæ ubi sepeliendus erat ex parte vacuata, obseratis protinus firmissime januis, sancti corporis venerandæ

Sepelitur.

reliquiæ in præparato sarcophago, cum multa reverentia et ingenti lamentantium pariter et psallentium clamore ponuntur. Frequentia porro turbarum circa sepulchrum ejus modo rarior, modo densior, ob spem divinæ in se miserationis propter ingentia beati viri merita, nunc usque perseverat. » Quomodo vero ab ipso Innocentio II in Sanctorum numerum adscriptus sit, suo loco exponemus.

ANNUS 1132

XV. Sex post sanctum Hugonem mensibus Radulphus a Crucifixo, Eremi Calabriæ Magister a Deo pariter evocatur, die tertia Octobris ut habetur in sæpe citato Calabriæ Calendario. Fuerat sancti Brunonis alumnus, et ejus successori Lanuino cum cæteris obedientiam promiserat; deinde ob vitæ sanctimoniam in Magistrum electus, Siciliæ Proceribus carus exstitit. Successorem habuit Sicherium, de quo nihil peculiare reperitur nisi quod clavum tenebat anno sequenti, et omnia suæ Domus privilegia ab Episcopis Squillacensibus asserta renovari curaverit.

RADULPHUS MAGISTER EREMI CALABRIÆ MORITUR.

XVI. Circa eadem tempora, similiter moritur Maraldus filius etiam spiritualis sancti Brunonis in Calabrina cartusia. Vir ille doctus Chronicon scripsit, de quo quædam excerpsit Rocchus Pirrus in *Sicilia Sacra*. Fuit etiam facultate poetica præditus, ut ex illo Rythmo probari potest, quem in Rogerii Calabriæ comitis filii baptismate edidit, cujus fragmen alibi exscripsimus.

ITEM MARALDUS CALABRIÆ MONACHUS.

V. supra ad ad an. 1097 et 1129.

XVII. Hoc ipso anno vel certe ante annum 1136, fundatur Arveriæ cartusia ab Amedeo II* comite Sabaudiæ et Humberto de Bellojoco domino Bugesiæ et Verromeæ ejus genero, in diœcesi Genevensi et Valle Romea sive Verromea, quæ est tractus provinciæ Sebusianorum modo in Regno Galliæ, et Sesselio* oppido ejusdem tractus præcipuo, duabus leucis et dimidia versus Occidentem distat. Nomen Arveriæ sive Alveriæ, ut in vetustis monumentis legitur, habet ex ejusdem nominis territorio in quo posita est. Locus sane asper et horribilis, de quo merito noster Molinus sic exclamat : « Qui nescit solitudinem et desertum, et qui nunquam eremum vidit, veniat ad hanc Domum Arveriæ. Hic sane locus vera est solitudo,

DOMUS ARVERIÆ FUNDATUR.

* *Al.* III.

* *Seissel.*

Descriptio loci.

Molin. hist. ms. Ord. Cartus.

ANNUS 1132

sive ejus accessum, situm, ædificia modicosque reditus inspicias, sive hyemem quæ per octo menses ibi continuo grassatur, sive etiam spectes importunos ventorum flatus niviumque congeriem. Nostri nihilominus antiqui Patres his asperioribus eremis plurimum oblectabantur. Major siquidem Cartusia cum agnovisset copiam eorum, qui salutis ergo ad se adventabant, facultatem ut alibi domicilia perquirerent impertivit. Magnus itaque Guigo, consensu Principis Sabaudiæ et eorum ad quos negotium spectabat, misit nonnullos ex suis monachis, uti jam fecerat circa deserta Durbonis, Sylvæ Benedictæ, Majorevi et aliarum Domorum, quatenus in hoc monte cartusiam construerent, quæ finem suum sortita est auxilio Humberti de Grandmont, Genevensis antistitis, qui cum Aimone comite litigavit de urbis imperio anno 1124. » Hactenus Molinus, quem secuti sunt omnes qui Domorum Ordinis Catalogos postea contexuere, et fundationis hujus Domus annum designarunt 1124; Hugo Buat annum præsentem; Guicheno vero, in Sebusiana Historia, putat referendam esse ad annum circiter 1140.

Quando fundata.

Ejus Fundatores : Sabaudiæ Comes et Dominus de Bellojoco.

Fundatores idem Buatius nominat Sabaudiæ Comites, et cum eis Bellijoci Dominos. Inter quos asserit Amedeum II (quem tertium vocat Guicheno in Historia Sabaudiæ) comitem Mauriennæ et Sabaudiæ ac Italiæ Marchionem, Arveriæ territorium nostris concessisse; Humbertum vero de Bellojoco, hujus nominis II vel III Dominum Beugesiæ et Verromææ ejus generum, donationem confirmasse eamque quadam grangia seu villa auxisse. Guichenoni quidem adhæremus, quoad Fundatores aliosque Benefactores, quorum ibidem meminit; sed cum nullo documento ostendat Domum fundatam fuisse circa annum 1140, fidem potius adhibemus nostro Buatio tanquam Domestico, qui, ut diximus, annum definit præsentem; et quidem constat ex Veteri Cartusiæ Chronico, quod fundata fuerit sub Guigonis prioratu, qui obiit anno 1136.

Amedeus comes qui locum concessit, fuit Humberti II filius, Princeps æque pius ac magnanimus. Pietatis suæ

multa monumenta exhibuit : fundavit namque abbatias Altæ Combæ, S. Sulpitii, et Cisseriaci Cisterciensis Ordinis, et hanc cartusiam ; donationes etiam prope infinitas diversis contulit monasteriis. Magnanimitatem et fortitudinem ejus experti sunt, non solum vicini sed et Sarraceni, contra quos inducta cruce tesseraria bis in Palæstinam profectus est. Unde ultimo rediens, apud Nycosiam, Cypri insulæ urbem, obiit 1 Aprilis anno 1149.

ANNUS 1132

Humbertus de Bellojoco alter Fundator, dominus Bugesiæ et Vallis Romeæ, uxorem duxit Auxiliam sive Alisiam præfati Amedei filiam, ex qua suscepit Guichardum qui hujus cartusiæ ædificia inchoavit primamque cellulam construxit, cujus exemplo magnates permoti ad operis consummationem alia bona largiti sunt, ut inter Benefactores inferius dicemus.

Porro Comites Sabaudiæ et Dominos de Bellojoco fundatorum gloriam simul mereri, probamus ex duabus literis tutelaribus datis a Thoma Sabaudiæ comite et Ludovico Bellijoci domino, in quibus inter cætera sic loquitur Comes : « Ego Thomas comes Sabaudiæ et marchio in Italia, omnibus præsentem chartam inspecturis...... Cum prædicta Domus Arveriæ prædecessorum nostrorum eleemosynis sit fundata, justum est eam tanquam res proprias me defensare. Mando igitur et districte præcipio castellanis, etc. » Sine die et anno. Ludovicus vero sic ait : « Ludovicus dominus Bellijoci universis ad quos præsentes literæ pervenerint...... Quoniam certum est antecessores nostros, pro salute animarum suarum, Domum Arveriæ Cartusiensis Ordinis cunctis diebus vitæ suæ dilexisse fortiter et defendisse, tanquam illam quæ ab ipsis fundata existit, et dicta Domus et res ipsius sunt in terra et Jurisdictione nostra ac districtu : Nos prædictorum antecessorum laudabilem consuetudinem sequentes, propensiori charitatis effectu, volumus eamdem Domum et res ipsius pro remedio animæ nostræ ferventius diligere, defendere ac manutenere. Monemus et firmiter præcipimus Ballivis, etc. »

LUCIUS II FUNDATIONEM CONFIRMAT.

XVIII. Lucius quoque Summus Pontifex hujus nominis secundus, bulla data anno 1144, 2 Maii, nostros in suam tu-

ANNUS 1132

telam suscepit, ac limites eorum ad instantiam Ardutii Gebennensis episcopi designavit, quos primi hujus Domus incolæ sibi prius pro severo ac laudabili horum temporum more præscripserant, ut ex priscorum Patrum instrumento, ab omni cupiditate alienationem redolente videre est, cujus exemplum superius dedimus.

Vid. sup. ad an. 1128.

Benefactores ejusdem Domus.

Inter præcipuos hujus Domus Benefactores, annumerantur Stephanus decanus Lugdunensis qui unam cellulam construxit; vivebat anno 1128, sed obierat vel abdicaverat ante annum 1139; nam eodem anno Falco decanus ejusdem Ecclesiæ factus est Archiepiscopus; nisi dicamus hunc benefactorem esse Stephanum, qui eodem Decani officio fungebatur annis 1192 et 1198 ex Sammarthanis.

Tom. 1 Gall. Christ.

Artoldus decanus de Sasiriaco refectorium ædificavit.

Petrus senescallus Lugdunensis, post constructum a se Capitulum, grangiam de Ravoria contulit.

Magister Pontius fecit Hospitium Religiosorum Domus inferioris, cum cella Prioris.

Aymo et Hugo de Varennes ecclesiam; Aymo de Rivoria seu de Rohoria, dormitorium Fratrum. Ad eum et ad præfatum Aymonem de Varennes Bernardus Prior Portarum scripsit epistolam, quam Chiffletius edidit in *Manuali Solitariorum.* Et Petrus de Chimilieu cum duobus fratribus suis coquinam ædificaverunt. Alii alia dederunt, inter quos sunt Pontius de Rochebaron episcopus Matisconensis, qui sedebat anno 1144; Ardutius episcopus Genevensis frater Aymonis de Fulciniaco Domus Repausatorii fundatoris; Antelmus episcopus Patracensis; Petrus episcopus Glandatensis; Antelmus de Balma super Cerdon, nepos Hugonis Cartusiensis Majorevi cujus etiam ipse Antelmus fuit Benefactor, et vivebat anno 1219; Petrus de Balma alter ejusdem Hugonis nepos anno 1233; Gaudefridus de Liautard eques, dominus de Faverges in Delphinatu anno 1231; Guido de Montluel dominus de Chastillon et de Choutagne, filius Humberti de Montluel et Isabellæ a Sabaudia filiæ Ludovici baronis de Vaud, anno 1293.

Guichen, hist. Bug. et Bress.

Bonifacius de Sabaudia olim Novitius Cartusiæ, episcopus Bellicensis et postea archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, moriens bona legavit huic Domui et Domibus Sylvæ Benedictæ et Allionis. ANNUS 1132

Joannes Nanterini Benefactor obiit, ex Charta anni 1523.

JESU CHRISTI

ANNUS 1133.

Innocentii PP. II	Ordinis Cartus.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 4.	Ann. 50.	Ann. 24.

S. ANTELMUS E DOMO PORTARUM AD CARTUSIAM EVOCATUR.

I. REDEMPTORIS annus millesimus centesimus trigesimus tertius sequitur, Indictione undecima, quo afflicta Mater Cartusia et amissorum anno præterito etiam tum deflens orbitatem filiorum, ad resarciendam eorum jacturam, S. Antelmum Cartusiæ Portarum tunc Novitium ad se accersivit. Quomodo autem id factum sit, accipe ex ejusdem Antelmi Vita, quam autor post verba quæ habes anno proxime elapso exscripta sic prosequitur :

« Eo tempore cum Cartusiæ Domus monachis indigeret, paucissimos enim habebat, Domnus Hugo Gratianopolitanus episcopus, vir prudens et magnarum virtutum Beati Hugonis successor, qui postea factus est archiepiscopus Viennensis, magnis apud Portas exegit precibus fratrem Antelmum tunc Novitium Cartusiæ concedi ac dimitti ; qui susceptus, Regulam propositi Ordinis constanter et indeclinabiliter exequi pluresque Deo de se victimas offerre curabat, ita ut cæteris Religiosis præberet vitæ* ejus exemplum. Sed impossibile videbatur eis ejus imitari studia, qui ultra humanum modum se exercere non desinebat. Quod quidem ipse non posset, nisi virtus Dei omnia patrantis per ipsum operaretur in ipso. Crebris pernoctabat vigiliis, orationi, lectioni, sanctæ meditationi, Dei laudibus die nocteque vacabat assiduis, labori tamen manuum ne unquam vacuus existeret; dicit enim

* *Virtutis.*

ANNUS 1133

Scriptura: Otiositas inimica est animæ; multo magis vero spiritualibus insistebat. Lacrymarum tantam habebat abundantiam, ut in orationibus ac meditationibus quibus indesinenter studebat, seu pro suorum aliorumve recordatione peccatorum, seu pro afflictis vel quacumque necessitate, seu pro cœlestis regni desiderio, ex intimo pietatis affectu ab oculis ejus ubertim quasi fontis rivi fluerent. In ecclesia quoque cum divina psallerentur officia, totus in lacrymas effundebatur; ad Missam vero totum se Deo mactans in holocaustum, totus spiritualis totus Deo hærebat. Frequentissime die noctuve pectus tundens, genua flectens vel toto corpore prostratus terram osculans, se humiliabat. Creberrimis quotidie virgarum correptionibus per dorsum se cædebat et latera, adeo ut plagis plagas infligendo nunquam caro ejus absque livoribus, nunquam cutis integra posset inveniri. Cellæ assiduitatem, abstinentias, silentium, obedientiam cæteraque Ordinis instituta intemerata servabat.

PROCURATOR CONSTITUITUR.

II. « His atque amplioribus, quam nec memorari sufficimus, cum se exerceret Dei servus studiis sanctis, Prior cum Fratribus non abs re arbitrantur ejus industriam in exteriorum cura fore necessariam, Procuratorem ipsum constituunt. Quam obedientiam ne inobedientiæ culpam incurreret humiliter suscipiens, prudenter ac strenue administravit ac tenuit. Noxia quoque ac inutilia sic invenit, ac forte si insurgerent, non distulit abjicere, contraria demoliri, inhonesta corrigere. Fratres ab illicitis arcere si quemdam dissolutum, vagum ac negligentem invenisset, arguendo, obsecrando, increpando, corripiendo emendare satagebat, nec quemquam a Regula deviare sinebat. Pauperibus et egentibus, secundum sibi divinitus insitam pietatem magno compatiebatur charitatis affectu; esurientes cibo refocillans, nudis præbens vestimenta, miseris et afflictis consolationem, quin et seipsum impendens. His et similibus cum diligenter intenderet, diligentius tamen ad sibi dilectam cellæ quietem tranquillumque laborem, devotissime velut nutricis et omnium Magistræ recurrebat assidue. Sicque Marthæ bonum quidem sed laboriosum

ANNUS 1133

implebat ministerium, ut Mariæ partem, quam elegerat, optimam non desereret. Sic sollicitus erga plurima, ut uni quod est necessarium cui cœperat inhæreret, indeficiens in utroque. Nam abstinentias, vigilias, correptiones et cætera superius commemorata multiplicabat. Mira sunt hæc : homini quippe per se impossibilia ; sed solus omnium largitor et actor bonorum, cum dederit velle, opus addit. »

Hæc ille ; deinde agit de ejus in Priorem Cartusiæ electione, de qua suo loco agemus.

HUGO EPISC. GRATIAN. PACEM CUM MULTIS INIIT.

III. Hoc anno noster Hugo Gratianopolitanus episcopus, sancti sui prædecessoris zelum imitatus, suæ non solum Ecclesiæ jura contra eorum usurpatores defendit, sed horum animos tanta cum industria et solertia paternis monitis adjuncta delinivit, ut odiis in amorem commutatis perfectam cum eis pacem constituerit. Primus omnium ac spectabilior fuit Guigo comes, « de cujus et Comitissæ familia, ut loquuntur acta, et hominibus eorum » conquestus Hugo, causæ decisionem, consentiente utroque Principe, Episcopi Diensis judicio permisit. Totius controversiæ caput versabatur maxime circa portum Isaræ, quem utraque pars sibi vindicabat. Pensatis hinc inde adductis autoritatibus, arbiter Præsul sententiam dixit secundum Hugonem, quem concordiæ instrumentum vocat « Hugonem II episcopum Gratianopolitanum, » Comitem vero eisdem signat verbis « Guigo comes qui vocatur Delphinus ». Inter alios quos sibi et suæ Ecclesiæ Hugo reconciliavit, annumerantur Mallenus de Balma, quem amice pellexit « ad faciendum ei hominium et fidelitatem ; » Ubaldus de Costa quasdam decimas, accepta pecunia, Episcopo restituit ; sed celebrior fuit quam eodem tempore cum viro nobili Leotardo et ejus filiis iniit concordiam, cujus tantum fragmentum potui recuperare, ex quo modum causas dicendi satis singularem discimus. Sic igitur habet : « Cum quadam die ante præsentiam meam venissent Leotardus et filii ejus, Curia mea prudentissimis et religiosissimis viris existente plena, coram Airaldo Mauriacensi et Oldorico Diensi episcopis, hanc Chartam mendacem et furtivam esse

Ex codice cl. v. Chor.

dicerent. Quæ controversia cum diu inter me et ipsum versata et agitata fuisset, tandem communiter statuimus in quo recto examine diffinirentur...... Ego Hugo II Gratianopolitanæ Ecclesiæ episcopus. » Dissidentibus quoque eadem tempestate, et sese armis insectantibus Guigone Delphino et Stephano Viennensi archiepiscopo, noster Hugo ab altero Hugone Rothomagensi præsule eligitur, qui cum aliis hujus patriæ Episcopis paci inter utrumque conciliandæ operam daret.

ANNUS 1133

Hist. Delph. to. 2. lib. 2. Art. 3.

IV. Sub hujus anni finem Innocentius Papa Pisis tunc agens, et erga nostrum Ordinem semper propensissimus, Guigonis Consuetudines simulque Cartusiæ terminos confirmavit, dato diplomate sub tali tenore :

INNOCENTIUS II CONFIRMAT CONSUETUDINES GUIGONIS.

Ex Arch. Cart. Majoræ-vi.

« Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Guigoni Priori Cartusiæ ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Bonus et diligens pater familias gaudio magno gaudet, cum vineam suam locatam agricolis vigilanti studio videt excoli, et tribulis ac sentibus pariter emundari. Cujus profecto gaudio lætitia jucundior cumulatur, si eadem vinea propagatione ordinaria, per multorum spatiorum dimensionem incipiat dilatari. Proportionali igitur ratione, Deo credimus gratissimum esse si angelica Religio vestra et diversas Ecclesias exornet, atque plurimorum mentes disciplinis regularibus instruat, et fide quæ per dilectionem operatur, inflammet. Ea propter, dilecte in Domino, memores dilectionis quam erga Sedem Apostolicam cum commissa tibi ecclesia semper habuisti, et honoris ac servitii quod nobis hactenus efficaciter impendisti, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Urbani, Paschalis, Calisti et Honorii Romanorum Pontificum, laudantes et approbantes sanctas Constitutiones vestras et Consuetudines, pro his omnibus qui sequi debent eas et observare, ex nunc et usque ad finem mundi, præsenti decreto statuimus ut universa quæ impræsentiarum Domus Cartusiæ juste et legitime possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci intra limites

ANNUS 1133

suos, firma sint tibi tuisque successoribus et illibata permaneant ; terminos autem sic esse distinctos statuimus, scilicet a clusa et rupe claudente vallem (etc. quæ prolixa serie recenset), ut ad laudem Dei, ad quam specialiter institutus est sacer Ordo eremiticus Cartusiensis, et ad honorem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cui omnino devotus est, perpetuis temporibus ibi floreat sub sapientibus et in Religione probatis Pastoribus. Si qua igitur persona tam ecclesiastica quam secularis hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire præsumpserit et secundo tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis vero eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ operationis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Guillelmus Prænestinus episcopus. Ego Urbanus presbyter card. tituli sancti Clementis. Ego Joannes presbyter card. tit. S. Chrysogoni. Ego Lucas presb. card. tit. SS. Joannis et Pauli. Ego Anselmus presbyt. card. tituli S. Laurentii in Lucina. Ego Gregorius diaconus card. tit. SS. Sergii et Bacchi. Ego Guido diaconus card. tituli sanctæ Mariæ in via lata. Ego Odo diaconus card. S. Georgii ad velum aureum. Datum Pisis per manum Aymerici S. R. E. diaconi card. et cancellarii, 11 Calend. Januarii, Indict. 12, Incarnationis Dominicæ anno 1133, Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ secundi anno quarto. »

Hactenus Innocentii bulla, ex qua vides omnes ejus antecessores Ordinem nostrum et Ordinis Instituta confirmasse.

S. THOMAS S. VICTORIS PRIOR OCCIDITUR.

V. Eodem anno, sancto Thoma Sancti Victoris Parisiensis Priore crudeliter necato, congregatur Jotri in diœcesi Meldensi multorum Archiepiscoporum et Episcoporum Galliæ Syno-

ANNUS 1133

dus, cui præsidebat Gaufridus Carnotensis episcopus et Sedis Apost. Legatus; ad quem et cæteros Præsules noster Hugo Gratianopolitanus antistes, Majoris Cartusiæ quondam Monachus, simulque Guigo Prior Cartusiæ totius suæ familiæ Cartusiensis nomine rescripsere; hortantes quatenus in sacrilegos homicidas ecclesiastici rigoris intrepide gladium producant. Eorum epistolæ tenor talis est:

Cujus causa congregatur Synodus Jotrensis

« Dominis et Reverendissimis Archiepiscopis, Episcopis et cæteris religiosis personis in præsentem locum defendendæ justitiæ gratia congregatis, Hugo Gratianopolitanæ Ecclesiæ vocatus episcopus, et filii ejus Cartusiensium pauperum servus inutilis Guigo et qui secum sunt Fratres, agendo cognoscere, cognita viriliter adimplere per Christum Dominum nostrum. Quod homines sumus, ad naturam; quod justi, ad meritum; quod Episcopi, vel presbyteri vel archidiaconi vel aliquid hujusmodi, ad ecclesiasticum pertinet officium. In primo, existimus; in secundo, salvamur; in tertio, providendi aliis quæ subtiliora sunt potestatem accepimus. Duo ergo priora, ad nos; tertium refertur ad proximos. Quod si manifestum fuerit, juxta illud ficulneæ Evangelicæ exemplar quæ tamdiu expectata fructum non attulit, officium nos inutiliter habere susceptum, nulla justa cur in eo relinquamur remanebit occasio. Quid ergo si non solum inutiles Ecclesiæ, sed etiam perniciosi, vel verbis vel exemplis extiterimus? Nonne non solum dejici sed etiam digni sumus puniri?

Ad quam scribunt Cartusienses.

To. x. Concil. Labbei.

« Etsi igitur B. Thomæ et cæterorum qui recenter lotis in sanguine Agni stolis suis ad cœlestia demigrarunt, in conspectu Domini mors pretiosa mundana ultione non egeat: tamen si Ecclesia Dei (sine qua nec publicæ res salvæ sunt nec privatæ) utilitate careat disciplinæ, rogamus supplices et obsecramus, quatenus armatura fidei protecti et rectitudinis zelo succensi et sanctorum Mosis, Phinees et Matathiæ, Beatorum quoque Apostolorum Petri et Pauli adversus Simonem, Ananiam et Bar-Jesu pie desævientium, maximeque ipsius Domini venditores de Templo cædendo proturbantis exemplis animati, in sacrilegos homicidas ecclesiastici rigoris

ANNUS 1133

gladium producatis; eosque si fieri potest, omnibus sacrorum officiis privetis et beneficiis, quatenus omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra quispiam faciat simile. Ipsi enim magis quam homicidæ in quorum cruentas delicias, vota complenda et odia satianda, sanctorum sunt corpora laniata. Qui nisi tantæ nequitiæ non solum fructu caruerint, sed et pœnam senserint, omnibus apud nos Justitiæ defensoribus similia sunt metuenda. Valete : orate pro nobis, et sacris elevatis dextris super partem mundi in qua siti sumus, benedictionem et obsecrationem profundite. Iterum valete. Participes nos faciat Deus sanctorum operum vestrorum gestorum et gerendorum. Valete tertio cum Reverendis Principibus Blesensi et Nivernensi. »

AN HOC ANNO PRÆFATUS THOMAS OCCISUS.

VI. Hanc necem ac inde celebratam Synodum rejicit Baronius ad annum 1135 ; Labbeus vero et communiter alii recentiores hæc revocant ad an. 1130, secuti Joannem Picardum qui in notis ad epistolam S. Bernardi 158, suam conatur sententiam probare ex præscripta nostrorum epistola, in qua legens nomen Hugonis episcopi Gratianopolitani, nec advertens duos hujus nominis immediate fuisse in Ecclesia Gratianopolitana Præsules, hunc fuisse credidit sanctum nostri Ordinis antesignanum : quem cum constat anno superiori obiisse, statim concludit mortem S. Thomæ ante eumdem annum accidisse, et ex aliis conjecturis annum posuit 1130. At eruditus Mabillonius recte observavit, in notis ad eamdem S. Bernardi epistolam, nihil obstare quominus præfata Hugonis episcopi epistola, non a sancto Hugone sed ab ejus successore scripta fuerit. Et quia certum est ex ejusdem Picardi observationibus Thomam fuisse peremptum die Dominica, et quidem 13 Calendas Septembris, rectius intulit hujus cædis tempus ad præsentem annum esse restituendum, quo litera Dominicalis A occurrit præfata. Unde sententiam Mabillonii potius sequi merito debuimus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1134.

Innocentii PP. II	Ord. Cartus.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 5.	Ann. 51.	Ann. 25.

S. HUGO GRAT. EPISC. INTER SS. RELATUS.

I. SEQUITUR annus salutis millesimus centesimus trigesimus quartus, Indictione duodecima, quo ab Innocentio Papa celebratur Pisis Concilium generale ex Episcopis Italiæ et Transalpinis. Quo celebrato antequam dimitterentur qui congregati illic Concilii causa Archiepiscopi et Episcopi fuerant, eorum adhibito consilio idem Innocentius inter Sanctos retulit Hugonem Gratianopolitanum episcopum, quem ante duos annos ex hac vita migrasse diximus. Extant de illius canonisatione breves ejusdem Innocentii literæ in hunc modum : V. an. 1132.

Innocentius II jubet Guigoni vitam ejus conscribere.

« Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Guigoni Priori Cartusiensi salutem et Apostolicam Benedictionem. Divinis respondentes beneficiis, cognita vita ejus et auditis quæ per beati Hugonis merita fiunt miraculis, supernæ Majestatis clementiam collaudavimus, et Archiepiscoporum, Episcoporum, et Cardinalium atque aliorum qui nobiscum aderant communicato consilio, ipsum inter Sanctos et electos honorari præcepimus, et diem ejus assumptionis cum gaudio solemniter celebrari. Quia igitur ipsius vita quam pie duxit in corpore, et miraculorum coruscatio qua Deus eum facit apud homines præfulgere, tuæ maxime dilectioni non extant incognita, autoritate beati Petri et nostra tibi mandamus, quatenus ea quæ super hoc nota fuerint diligenter describendo, posterorum memoriæ tradas ; ut et

Vita ms. S. Hug. et apud Sur.

ANNUS 1134

Deus honoretur in Sancto, et Clerus legens ac populus audiens gratias agant Domino, atque ipsius intercessione peccatorum veniam percipere mereantur. Orantes pro nobis dilectos filios nostros Cartusienses Fratres, per te in Domino salutamus ac benedicimus. Data Pisis, X Calendas Maii. »

Hanc Innocentii bullam post absolutum Concilium scriptam fuisse, ex his verbis colligimus : « Archiepiscoporum, Episcoporum, et Cardinalium atque aliorum qui nobiscum aderant, communicato consilio. » Unde crederem bullam hanc, si Concilium circa mensem Junium celebratum fuit, datam fuisse anno tantum sequenti, vel etiam anno 1136 quo Innocentium Pisis rursum degisse constat ex aliis bullis, quas ibi mense Martio in Cluniacensium gratiam scripsit. Hic tamen præfatas Summi Pontificis ad Guigonem literas cum Baronio retulimus, ut quæ Hugonis inter Sanctos relationem spectant uno contextu exponeremus.

GUIGO VITAM EJUS DICAT SUMMO PONTIFICI.

II. His acceptis Summi Pontificis literis et mandatis, tale ei Guigo responsum dedit, quod loco prologi habetur in eadem Vita, ut sequitur :

« Domino et Patri carissimo ac Reverendissimo Sedis Apostolicæ Pontifici Innocentio, Cartusiensium pauperum servus inutilis Guigo, perpetuam salutem et pacem in Domino, et si quid apud Deum tanti potest peccatoris oratio. Non pepercit nostræ vel verecundiæ vel imperitiæ apostolatus vestri imperiosa dignatio. Sicut enim huic opusculo præfixæ vestræ Serenitatis indicant literæ, Beati Petri autoritate et vestra mandastis, ut vitam beati Hugonis Gratianopolitani episcopi noscendam posteris scripto commendaremus. Rogaverant quidem id ipsum jam pridem complures alii, sed maxime non spernendæ autoritatis Airaldus et Hugo Maurianensis et Gratianopolitanus episcopi. E quibus prior, habitu et vita regularis beati Viri in tractandis ecclesiasticis rebus, per triginta ferme comes extitit annos ; posterior vero ex nobis Monachus, ita ei in ecclesiastico munere successit, ut propter diuturnam ac vehementem infirmitatem ipsius, in ejus locum ipso petente vestraque pietate jubente, priusquam

ANNUS 1134

obiret, ipse consecraretur. Et erga eos quidem quos præ longa familiaritate vel convictu latere non poterant, nostra nos imperitia seu verecundia, et quæ forte non minus impediebat carnis infirmitas, sufficienter poterant excusare. Ad tantæ vero pondus autoritatis ne mutire quidem præsumpsimus, ne dum ei non obedimus cui totus commissus est mundus, eum offenderemus a quo factus est mundus, et dum apud homines imperitiæ vitamus confusionem, apud Deum incurreremus damnationem.

« Obsecramus autem eos qui hæc legerint, ne tanti sanctitatem Patris nostra non solum facundia sed et cogitatione longe majorem, ex ista scriptura metiantur, et maxime ne putent nos, ultra quam sua postulant merita, nostris eum sermonibus efferre potuisse. Tantum enim abest ut sanctitatis illius magnitudinem plus æquo valuerimus quasi favorabiliter extollere, ut nec ipsam illam sanctæ conversationis ejus prærogativam, quod sine fictione dicimus, tum propter imperitiam tum propter sermonis inopiam, ut erat dignum, potuerimus explicare. »

AN S. HUGO PRIMUS QUI A SUMMO PONTIFICE SIT CANONIZATUS?

III. Huc usque Guigo ad Innocentium de sancto Hugone; quem quidam diu arbitrati sunt primum fuisse qui a Summo Pontifice Sanctus solemniter pronunciatus sit. At Bellarminus de hoc sacro ritu disserens, id putat ad Leonem tertium referendum, de quo sanctus Ludgerus scribit quod veniens Werdam, ibidem S. Swibertum Sanctorum Confessorum catalogo adscripserit, pridie Nonas Septembris anno Christi octingentesimo quarto, ut vult Baronius. Hanc tamen sancti Ludgeri epistolam omnes eruditi hodie tenent fuisse ab annis quadringentis confictam. Nihilominus constat ex variis quæ quotidie deteguntur exemplis, plures alios Pontifices diu ante Innocentium II canonizationes Sanctorum celebrasse. Quod etiam ex his probatur, quæ de S. Gerardo Potentino episcopo anno 1122 retulimus.

Bellarm. Controv. 7. lib. 1 de Sanctorum beatitudine, cap. 8.

V. præf. Joan. Mabil. sec. 5. SS. Ord. Bened. et to. 1 Annal. ejusd. pag. 6.

QUANDO FESTUM S. HUGONIS APUD NOS CELEBRATUM, ET SUB QUIBUS RITIBUS.

IV. Sancti Hugonis festum statim post illius inter Sanctos relationem, in Majori Cartusia sub duodecim Lectionum ritu celebratum fuit, ut ex hujus temporis Calendario discimus.

ANNUS 1134

Sed per alias Ordinis Domos, tres tantum habuit Lectiones usque ad annum 1258, quo per Capituli generalis Chartam decernitur, ut « duo festa Sanctorum Hugonis et Hugonis, Gratianopolitani scilicet et Lincolnensis, habeant amodo duodecim Lectiones ; » sicque perseveravit ad annum 1586, quo jubetur fieri cum Capitulo quoad Monachos tantum ; sed anno 1597, cum quibusdam aliis Capituli festis ad duodecim Lectiones, ut prius, revocatur. Olim etiam in Majori Cartusia « Revelatio sancti Hugonis Episcopi et Confessoris » cum duodecim Lectionibus, ut in eodem Calendario legimus, ad quartum Nonas Maii celebrabatur ; nec videtur alius a S. Hugone Gratianopolitano, cujus Revelationis festum ad eumdem diem reperitur in Calendario præfixo Missali typis excuso anno 1532 ad usum Ecclesiæ Gratianopolitanæ.

AN AIRALDUS, DE QUO IN VITA S. HUGONIS, FUERIT CARTUSIENSIS ?

V. Airaldus Maurianensis episcopus, de quo fit mentio in præfatis Guigonis ad Innocentium literis, non ex Portarum monacho, ut recentiores Autores scribunt, sed ex Canonico regulari ad hanc sedem evectus est. Vestem siquidem regularium Canonicorum ipsum gessisse etiam episcopum, Guigo eisdem in literis indicat dum sic loquitur : « Airaldus et Hugo Mauriennensis et Gratianopolitanus episcopi, e quibus prior habitu et vita Regularis, beati Viri (scilicet Hugonis) in tractandis ecclesiasticis rebus per triginta ferme comes extitit annos. Posterior vero ex nobis Monachus, etc. » Quis non videat his verbis Regularem distingui a Monacho ? ac proinde Airaldum fuisse Ordinis Canonicorum Regularium, Hugonem vero nostri Instituti Monachum. Certe si uterque fuisset Cartusiensis professionis, cur Guigo « priorem (videlicet Airaldum) dixisset habitu et vita Regularem, posteriorem (nempe Hugonem) ex nobis Monachum ? »

Ex alio loco ejusdem Vitæ S. Hugonis, colligimus eumdem Airaldum ex archipresbytero factum fuisse episcopum. Ibi enim enarrans Guigo quanta cum custodia sanctus Hugo sensus suos cohiberet, de Airaldo sic iterum loquitur : « de qua enim cohibentia sensuum dum vice quadam cum Religiosis quibusdam colloqueretur (Hugo), inter quos erat vir

literis et puritate conspicuus Domnus scilicet Airaldus, archipresbyter tunc ipsius nunc autem Mauriennensis episcopus (nempe anno præsenti 1134), respondit idem vir Domnus Airaldus passim se mulieres aspicere, nec earum sibi nocere contuitum ; est enim castissimus. » Non equidem plane his verbis dicitur Airaldus ex archipresbytero episcopus creatus ; sed id satis innuit Guigo loco prius citato, dicens ipsum ante episcopatum per triginta ferme annos, comitem S. Hugonis extitisse in tractandis ecclesiasticis rebus. Quemdam Aycaldum Maurianensi Ecclesiæ anno 1125 præfuisse Sammarthani dicunt, quem non puto ab Airaldo distinguendum. Quandonam vero obierit hactenus incompertum. Ei vero successisse videtur alter ejusdem nominis, quem constat sedem Maurianensem jam tenuisse anno 1138, quo G. vel potius S. archiepiscopus Viennensis, factam ecclesiæ Maurianensi per nepotem suum Airaldum pontificem donationem confirmavit. Anno quoque 1143, 3 Calendas Aprilis, Amedeus Sabaudiæ comes « laudavit in sacrata manu Airaldi episcopi Maurianensis redditionem Præposituræ Agaunensis ecclesiæ », factam Canonicis Sancti Mauritii. Hunc a nobis ad infulas assumptum fuisse alibi probabimus.

ANNUS 1134

V. an. 1146.

VI. Post Pisani Concilii celebrationem ex infinita Prælatorum et Abbatum, Clericorum et Monachorum legione quæ ex Francia eidem Synodo adfuerat : Remensis, Rothomagensis, Trecensis, Constantiensis, Sagiensis Præsules, Petrus Cluniacensis, Odo S. Remigii Remensis, et plures alii Abbates pariter incedebant, facti viæ usque Cluniacum indissolubiles socii, ut ipse Abbas Cluniacensis loquitur. Hanc illustrem catervam aut saltem aliquot ex præfatis Prælatis, et præcipue Remensem archiepiscopum et Odonem Remigianum abbatem, ad Cartusiam « sive ad concilium eundo sive ab eo redeundo divertisse, et cum nostro Guigone de fundanda Montis Dei eremo egisse, ex epistola colligo quam ipse Cartusiæ Prior, anno sequenti vel biennio post, ad Remensem Præsulem suæ ecclesiæ et Odonis abbatis nominibus, monachos ad incolendam prædictam Montis Dei Domum pe-

PLURES PRÆSULES E CONCILIO AD CARTUSIAM VENIUNT.

Epistol. Pet. Clun. lib. 4. epist. 17.

ANNUS 1134

tentem mitti scribit. In ea enim gratias ipsi agit, quod « lætificavit nos, inquit, præsentia vestræ Charitatis, primum persona deinde literis. »

Vid. inf. ad an. 1136.

BERLIO EPISC. BELLIC. ADFUIT CONCILIO.

VII. Augustinus ab Ecclesia asserit se legisse in quadam S. Benigni Divionensis Charta, nostrum Pontium Bellicensem episcopum eidem Concilio adfuisse, et cum aliis Præsulibus ad propria redeuntibus, a Conradi tyranni satellitibus in Tusciæ Provincia variis injuriis affectum fuisse. Tragicum casum Petrus Cluniacensis unus ex eis deplorans, apud Innocentium Papam omnium nomine conquestus est, scripta epistola in qua recensitis pluribus Episcopis, Bellicensis quoque meminit sed tacito nomine. Hunc vero constat non Pontium fuisse, sed illius successorem Berlionem quem hoc ante Pisanum Concilium jam sedisse reperio ; ac præsentem fuisse concessioni monasterii Charitatis factæ ab Anserico Vesuntino archiepiscopo, paulo post scilicet duodecimo Calendas Maii e vivis erepto, ut legitur apud Sammarthanos. Unde verisimile est citatum autorem in Divionensi Charta legisse tantum Bellicensem Episcopum sine nomine, huncque ad nostrum retulisse Pontium ; quem ideo exeunte anno superiori vel præsenti ineunte abdicasse necesse est, juxta quod ejus in Vita legitur, nempe post sancti Hugonis Gratianopolitani mortem, « licentiam ab Innocentio ad eremum redeundi difficultissime obtinuisse ».

Hist. chronol. Pedemont.

Pet. Clun. lib. 3. epist. 27.

Guichen. in Episc. Bellic.

Sammarth. in Archiepp. Bisunt.

Vita ms. B. Pontii Episc. Bellic.

NOSTRI ORDINIS FAUTOR.

VIII. Præfatus Berlio nostrum se fautorem exhibuit, cum ruralem quamdam ecclesiam a Portarum Cartusia non longe dissitam consecrans, ingressum per ejusdem Domus nostræ terminos mulieribus prohibuit ; cujus prohibitionis literas in hanc formam Nostris concessit :

Ex Portar. Cartular. fol. 56.

« B. Dei gratia Bellicensis Ecclesiæ servus, dilecto ac venerabili fratri B. Portarum Priori ac cæteris ejusdem loci Fratribus salutem. Religionis vestræ fastigium venerantes, et apud Deum vestris meritis et precibus plurimum adjuvari sperantes, quæ ad pacem vestram pertineant libentissime providemus. Quapropter in benedictione ecclesiæ quam apud Arandatum nuper celebravimus, et mulieribus omni-

bus, nisi viam tantum facientibus, finium vestrorum ingressum generaliter interdicimus ; et ne quis per eosdem fines prædam duceret, aut ad prædandum vel malefaciendum armatus iret aut rediret, nihilominus prohibere studuimus. Laudaverunt præterea, petentibus nobis, ibidem audiente toto qui aderat populo, vobis ac successoribus vestris jure perpetuo, terminorum vestrorum plenam et integram libertatem et omnimodam immunitatem, nominatim fratres nostri Lambertus cum tribus filiis suis, et Artaudus* de Langiis, et Hugo de Plumbis, et Sigevertus frater ejus. Similiter etiam Boso nepos noster qui tunc quidem aberat, hoc ipsum postea in manu nostra apud Sanctum Ragnebertum laudavit et confirmavit sub testimonio Artaudi fratris vestri et Guitfredi de Caunant. »

ANNUS 1134

Ingressum finium Portarum mulieribus interdicit.

Qua stirpe genitus.

** Frater ejusdem Lamberti.*

Hanc prohibitionem a Berlione factam fuisse, ad Nostrorum petitionem æquum est credere. Unde patet quam alienum haberent animum ab omni mulierum consuetudine, quarum solum etiam conspectum a se avertere tam accurate studebant. Nec satis inde mirari possumus populorum erga nos pietatem, qua tam facile hujusmodi immunitates nostrorumque terminorum, ut loquitur Episcopus, libertates nobis concedebant.

Populorum in nos pietas.

IX. Hoc eodem anno Rogerius Siciliæ Rex favebat Antipapæ. Quapropter Innocentius Pontifex mox adornat adversus Rogerium ad Lotharium Romanorum Imperatorem legationem. Nihilominus tamen nostri Calabriæ Fratres, quos a sui communione Regis verisimile est abstinuisse, privilegium hoc ipso anno a Maximilla ejusdem Rogerii filia, quæ patris impetus apud se forsan non approbabat, obtinuerunt. Hujus privilegii literas die prima Septembris datas fuisse Surianus asserit, quas utinam nobis integras dedisset. Rogerius ex Albira tertia sua conjuge unicam habuit filiam, quam a Fazello perperam appellari Constantiam scribit Rocchus Pirrus, qui nomen illius hactenus ignotum esse affirmat ; sed fortasse ipsa est Maximilla Nostrorum Benefactrix.

MAXIMILLA FILIA REGIS SICILIÆ BENEFACTRIX DOMUS CALABRIÆ.

Surian. in Annot. in Vitam S. Brunon.

Pirrus in Chronol. Reg. Siciliæ.

JESU CHRISTI

ANNUS 1135.

Innocentii PP. II Ann. 6.	Ordinis Cartus. Ann. 52.	Guigonis Pr. Cart. I Ann. 26.

HUGO GRATIAN. ET AIRALDUS MAURIAN. EPISCOPI IN DOMO PORTAR.

Confirmant donum Richardi de Benuntia.

I. ANNUS Redemptoris millesimus centesimus trigesimus quintus ordine sequitur, Indictione decima tertia, quo noster Hugo Gratianopolitanus et Airaldus Maurianensis episcopi ad Portarum Cartusiam se conferentes, celebrem sua præsentia confirmarunt donationem Monachis ejusdem loci factam per virum nobilissimum Richardum de Benuntia. Hic intimo in Portenses Cartusienses affectu propensus, cunctorum quæ apud quamdam villam eidem Cartusiæ propinquam possidebat bonorum dominium eis cessit, sola fructuum possessione sibi ad tempus reservata; quam tamen præfatæ Domui jussit sine ulla contradictione transcribendam, statim ut ipse « vel moreretur vel sæculum relinqueret vel Jerosolymam non rediturus pergeret, » ut habetur in literis. Et ne dando non dare videretur, duodecim denariis censualibus, quibus pisces ad prandium semel in anno Monachis communiter ministrandum emerentur, erga eamdem sese Cartusiam obligavit. Eum porro vel peregrinationem ad Sancta Loca vel in aliquem religiosum Ordinem transitum, consentiente quæ tunc vivebat uxore, meditatum fuisse conjicimus, quod hujusmodi donationem fecerit, « cunctis monachis et laicis cum magna devotione et lacrymis ab eodem Richardo osculatis », ut literæ inde confectæ, loquuntur, quas in lectoris curiosi gratiam hic subjicimus :

« Notum sit cunctis præsentem Chartam legentibus, Richardum de Benuntia dedisse Deo et B. Mariæ et Portarum Fratribus tam præsentibus quam futuris, pro salute animæ suæ et patris sui et antecessorum suorum, quidquid in villa... et appenditiis ejus habebat immobile, sive de paterna successione, sive de sua emptione vel quacumque acquisitione, absque ulla retentione. Ita scilicet ut quandocumque vel moreretur, vel sæculum relinqueret, vel Jerosolymam non rediturus pergeret, prædicta donatio absque omni dilatione vel contradictione, in dominium præfatorum retinenda vel donanda cuicumque vellent seu etiam vendenda veniret. Interim autem concessione et nomine eorumdem Fratrum possideret, datis duodecim denariis censualibus singulis annis in Pentecoste pro investitura. Promittit autem prædictus Richardus, quod filios suos et uxorem eamdem donationem laudare faceret; et si quid de his quæ infra terminos eorumdem Fratrum habentur, possidentium concessione legitima adquirere possent, ipse Richardus non interdiceret sed magis gratum et ratum haberet. De parte autem consanguineorum suorum, nam et illam sicut cætera donavit, promisit se facturum quod cognoscerent episcopi Hugo Gratianopolitanus et Airaldus Maurianensis ; aut si quolibet modo eorum concessionem per se vel per amicos suos adquirere possent prædicti Fratres, Richardo placeret. Facta est autem prædicta donatio in manu Domni Barnardi Prioris, præsentibus cunctis Monachis, et de Laicis quatuor : Bonopari, Ainardo, Ungrino, Gerardo, in claustro ecclesiæ superioris, III Nonas Maii, anno ab Incarnatione Domini MCXXXV, cunctis Monachis et Laicis cum magna devotione et lacrimis ab eodem Richardo osculatis. Hæc eadem donatio simili modo repetita est, VIII Idus ejusdem mensis, in manu præfati Prioris in Domo inferiori, sub testimonio Monachorum ejusdem loci Barnardi de Porta, Bosonis Procuratoris, Stephani de Calmeto adhuc Novitii ; Conversorum etiam Petri et Ungrini ; monachorum Ambroniacensium Guidonis Prioris de Sasiriaco, Otgerii Prioris de S. Saturnino ; Militum vero

ANNUS 1135

Ex 1. Cartul. Portarum fol. 63.

Peregrinatio Jerosolymitana.

Hugo et Airaldus Episcopi.

Richardus Monachos et Laicos osculatur.

Barn. de Porta.

Steph. de Calm. Novitius.

ANNUS 1135

Odonis de Vallibus, Manassæ Lobardi, et Humberti Ruphi. Repetita est autem ipsa die eadem donatio in campo propriæ Corvatæ ejusdem Richardi, inducto in eum prædicto Priore cum supradictis testibus pro investitura ; ubi etiam duodecim denarii censualiter dandi constituti sunt, de quibus supra dictum est. Nam ante dictum fuerat ut pro ipsis denariis et investitura, pisces semel in anno darentur in refectorio. In eodem itaque anno Antelmus de Benuntia, prædicti Richardi consanguineus, dedit similiter Deo et B. Mariæ et prædictis Fratribus, in manu prænominati Prioris in vestibulo superioris hospitii, quidquid in eadem villa vel appenditiis ejus tam ipse quam frater ejus Petrus juris habebant, libere et absolute sine ulla exceptione. Cujus rei testes sunt Pontius monachus, Boso Procurator, Stephanus de Calmeto Novitius, Bonuspar et Ainardus Conversi ; Petrus Anselmi miles de Aspero monte ipsius Antelmi socius. Postea etiam idem Antelmus in strata publica super Aspero monte, in manu episcoporum Hugonis Gratianopolitani et Airaudi Maurianensis, eamdem donationem cum fratre suo Petro iteravit, et uxorem suam, Sylviam nomine, laudare fecit ; et de laude filiorum suorum, quia ibi non aderant, Humbertum de Benuntia fidejussorem posuit. Aderant autem ibidem cum Episcopo Gratianopolitano : Geraudus decanus S. Andreæ, Guntardus monachus S. Theuderii nepos ipsius Episcopi, et Canonici, Petrus Stephani Regularis et magister Othmarus secularis. Milites quoque Morardus cum duobus filiis suis jam grandiusculis, Guitfredo et Arvino ; Petrus Bruchardi et Falco frater ejus ; Petrus quoque de Meret, Antelmus de Moraco et Petrus Anselmi ; Willelmus quoque Benuntiæ Præpositus, et Ungrinus Portarum Conversus, et plures alii viri pariter et mulieres qui de Aspero monte ad benedictionem Episcoporum convenerant. Fuit etiam ibi inter plures alias Dominas uxor Richardi de Benuntia, et duo filii ejus Willelmus et Guigo. »

Pisces in refectorio ministrandi ex speciali fundatione.

Othmarus canonicus secularis, postea monachus cartusiensis.

Ad benedictionem Episcoporum multi conveniunt.

BERNARDUS DE PORTIS FLORET IN DOMO PORTARUM.

II. Ex his literis, præter superius annotata, discimus tunc floruisse inter Portarum Cartusienses Bernardum, postea

Bellicensem episcopum cognomine de Portis sive de Porta, sic dictum non a præfata suæ Professionis Domo, sed a familia quæ cognomen illud habebat a quopiam ejusdem vocabuli prædio. Jam nostrum Institutum professus fuerat Bernardus, quando sanctus Bernardus, celebris ille abbas Clarevallensis cum sancto viro Petro Cluniacensi abbate ad Portarum accessit cartusiam, Bernardum alterum ejusdem Domus Priorem et fundatorem invisurus. Ibi tunc illustre illud totius Ecclesiæ lumen, inter alios humilem vidit monachum præfatum Bernardum de Portis, « virum, inquit ipse Abbas sanctissimus, dilectum Deo et hominibus », in quo tantam suspexit sanctimoniam, ut ab eo tempore singulari sit eum complexus amicitia. Fuit nempe posthac inter utrumque dulcis et indissolubilis amor, germana societas et suavissimæ vinculum charitatis. Hac fretus sancta familiaritate noster Bernardus, qui beati Abbatis insignem expertus fuerat doctrinam et eloquentiam, ab ipso postea suppliciter et enixe per epistolas petiit ut *Canticum Canticorum* vellet exponere. Sancto acquievit Sanctus, tandemque hoc ipso anno insigne illud opus aggressus est. Quod illi per epistolam significans, suam licet tenuitatem prætenderet tamquam operi tam eximio aliorumque expectationi imparem, primos nihilominus jam a se dictatos sermones ad eum quam citius transmissurum pollicetur, ut ex ejusdem apparet epistolæ tenore, quæ talis est ac talem habet epigraphen :

ANNUS 1135

Histor. ms. Nicolai Molin.

V. supra ad an. 1125.

S. Bernardi abbat. amicus.

Bern. Epist. 155, ad Innocent. II.

A quo obtinet, ut Canticum Canticorum exponat.

Mabil. in Chronol. in Vit. S. Bern.

III. « Ad Bernardum de Portis de Ordine Cartusiensi. Petis instanter, et ego constanter abnuo, sed parcens mihi, non te spernens. O utinam tuo studio ingenioque dignum aliquid elaborare possem ! Lumen oculorum meorum et ipsam quoque animam si fieri posset, partirer tibi, amice carissime, et in Christi visceribus mihi potissimum in omni plenitudine dilectionis spiritualiter* amplectende Frater. Cæterum ubi ingenium aut quando otium mihi sufficiens ad id quod petis ? Neque enim leve quid aut vile, et quod nos possumus postulare videris, minime quippe pro minimis sic instares ; nam voluntatem tuam et curam in hoc satis pro-

AD EUM SCRIBIT S. ABBAS.

Ep. 153 scripta hoc anno.

*Al. specialiter.

ANNUS 1135

dunt crebræ epistolæ tuæ, et vehementior spiritus eas animans. Nimirum proinde quanto id curiosius velle te sentio, tanto, crede mihi, scrupulosius acquiesco. Cur hoc? ne magna videlicet expectanti, ridiculum producam murem. Hoc vereor, et est causa cunctationis meæ. Et quid mirum si vereor dare quod edere verecundor? Invitus, fateor, præbeo quod me existimem non tam edere profuturum, quam prodere contemnendum. Quis sane dare velit, quod dedisse dedeceat, accepisse non prosit? Libens do, invitus perdo. Scimus quoniam speranti grandia, modica minus grata venire solent; quod autem non venit gratum, perditum est, non datum.

CUI VACARE DEBEAT SOLITARIUS.

IV. « Tibi studii est, utpote otioso et vacanti, undecumque perquirere incentiva igni quo ardes, ut ardeas magis et impleas voluntatem Domini tui dicentis: Et quid volo nisi ut ardeat? (Luc. 12.) Laudo, sed si illic ea quæras ubi te frustratum postmodum non queraris; erras si apud nos quæris. Ego potius illa abs te mendicare debuerim, scio quidem dare quam accipere beatius esse, (Act. 20.) sed si detur quod danti honestum, accipienti utile sit; quale utique penes me quicquam esse penitus nescio. Quod autem habeo, vereor si in medium venerit, ne te quoque optasse illud pudeat, pœniteat postulasse. Sed quid? non melius nos apud te tu ipse excusabis. Tui tibi certe fidem oculi faciant. Cedo importunitati tuæ, ut vel exhibitio tollat suspicionem; res est cum amico. Non parco jam verecundiæ, prorsus dum fiat quod tu vis, insipientiæ meæ non memorabor. Sermones paucos in principio Canticorum Salomonis recens dictatos en facio transcribi, et tibi cum necdum ediderim, quam citius mitto. In quo opere, cum accepero tempus (Christo imperante curis) tentabo procedere, si tamen me inde confortes. Domnum et Patrem nostrum Priorem vestrum cum cæteris Fratribus per te devote saluto, et propitios habere apud Deum corde humili supplico. »

QUO TEMPORE CŒPERIT S. BERNARDUS CANTICUM CANTIC. EXPONERE.

V. Hanc epistolam datam, ac proinde illud opus in Cantica a sancto Bernardo susceptum hoc anno fuisse, probari potest ex ejusdem Vita, ubi ejus autor narrat quomodo post suum ex Aquitania reditum, ubi schisma compescuerat, cœpit super

ANNUS 1135

suavissimum illud Canticum meditari. « Tanto igitur, inquit, malo obruto et schismate Gerardi redacto in cineres, vir Dei cum gaudio magno Claram vallem revertitur. » Et post pauca : « èt repente occurrunt ei in diversorio humili, quasi ad præsepe Domini, consistenti amatoria Cantica. » Et sub finem : « multo tempore in harum meditatione rerum animam suam effudit, et multipliciter hæc exponens, etc. » Eum vero in Aquitaniam delendi schismatis gratia perrexisse hoc anno, fuse narrat Baronius.

Bern. Bonæ-val. lib. 2. cap. 6 sub finem.

Juxta promissa in præcedenti epistola nostro Bernardo facta, vehementiori ejus spiritu, ut ait, crebrisque epistolis animatus, præclaram illam explanationem prosecutus est, sermonesque inde editos transmisit, scripta ad eum altera epistola, in qua præterea se excusat quod non steterit promissioni olim factæ, de invisendis iterum Portarum Cartusiensibus. Sic autem se habet :

PRIMOS SERMONES MITTIT AD NOSTRUM BERNARDUM.

Epist. 154 scripta init. an. 1136.

VI. « Dissimulare non valeo tristitiam cordis mei, nec patior ultra latere te cruciatum quem patior, Bernarde carissime ; memor antiquæ meæ promissionis, propositum habui et desiderium magnum transire per vos, revisere quos diligit anima mea, itineri meo solatium, laboribus levamen, peccatis remedium postulare ; et culpis meis exigentibus factum est non ut nollem, sed ut non possem : pœnam siquidem hoc agnosco culparum, non culpam. Certus sis, homo Dei, minime prorsus amici fuisse incuriam, non pigritiam, non negligentiam, sed causam obstitisse plane non negligendam, et causam Dei. Nihilominus tamen vermis iste continue rodit me, et dolor meus in conspectu meo semper. Et quidem alias satis tribulor, sed, ut verum fatear, in nullo æque ; vincit labores itineris, caloris incommodum, curarum anxietates. Ecce aperui vulnus amico. Tua, frater, interest compati mihi, hoc est portare mecum quod patior, ut relever ego. Tuas et per te sanctorum, cum quibus es orationes supplex flagito. Sermones super principia Canticorum, quos tu petiisti et ego promiseram, transmitto tibi ; quibus lectis peto ut quam citius opportune poteris, tuo rescripto

ANNUS 1135

moneamur vel ad procedendum vel ad supersedendum.

QUANTUM EUM DILEXERIT.

VII. Quantum S. Abbas Bernardum nostrum diligeret quantique æstimaret, ex hoc uno liquet, quod in præfata epistola paratum se profitetur tantum opus ad illius nutum vel prosequi vel dimittere. Quanti vero tantum donum fecerit Bernardus Cartusiensis, quamque sibi gratum fuerit, facile dici non potest, cum ejus ad S. Bernardum responsa perierint. Donum sane pretiosissimum, mutui verique inter utrumque amoris pignus immortale; donum denique, quod jugem totius Ecclesiæ gratiam utrique debet merito conciliare : sancto Abbati tamquam tanti tamque divini operis parenti ; nostro vero Bernardo, quod suis illud sollicitationibus meruerit, et, ut ita dicam, autori suo adspiraverit. Dum vero illum ignem, quo totæ ardebant expositiones illæ, in sese accendere et fovere solummodo cogitaret, ecce aliis ipse lucere inopinato cogitur, in Bellicensem Episcopum electus, ut postea dicemus. Hanc posteriorem epistolam scriptam fuisse circa ann. 1136 credimus, licet eam in annum 1137 quidam rejecerit, conjiciens sanctum Bernardum suos sermones ad Portarum Domum tantum misisse, quando eos fuit coactus intermittere, ut ad Summum Pontificem in Italiam se transferret. Paucos enim sermones se missurum promiserat, sed quando ad Romanam Curiam perrexit, viginti tres jam absolverat, ut ex sermone 24 apparet, quem post suum ab Urbe reditum ad suos habuit, anno videlicet 1138.

Bohic. ad an. 1137.

OPUS PROSEQUITUR AD SUORUM MONACHORUM INSTANTIAM.

VIII. Notandum vero obiter quod licet S. Abbas ad tam egregium opus, hortante nostro Bernardo et quasi stimulos admovente sese primum applicuerit, illud tamen postea fuerit prosecutus Clarevallensibus monachis exposcentibus, ut ipse apertissime testatur in citato sermone 24, in quo sic suos alloquitur : « Quod dudum cœpta in Canticis me exequi vultis, libenter quidem accipio, et dignum arbitror interruptum potius resarcire sermonem, quam novi ordiri quippiam, etc. » Et ex sermone primo patet opus illud coram filiis ab ipso expositum et dictatum fuisse, sic enim incipit : « Vobis,

Fratres, alia quam aliis de seculo aut certe obiter dicenda sunt. » Et post pauca : « Item sapientiam loquimur inter perfectos, quales vos nimirum esse confido, nisi frustra forte ex longo studiis estis cœlestibus occupati, exercitati sensibus, et in lege Dei meditati die ac nocte. Itaque parate fauces non lacti sed pani. »

ANNUS 1135

IX. Eodem tempore quo Portarum monachos invisere peroptarat S. Abbas, spem quoque Guigoni nostro fecerat ascensurum se usque ad Cartusiam; at tot Ecclesiæ præpeditus negotiis, invisitatum eum pertransiit. Guigoni inde per literas (quæ perierunt) apud eum conquerenti, respondet se non neglexisse, sed nequivisse animum explere. Missaque ad totum Conventum epistola, orationibus se commendat sic dicens : « Amantissimo Domino et Reverendissimo Patri Guigoni Priori Cartusiensi, et sanctis Fratribus adhærentibus ei, frater Bernardus de Claravalle, modicum id quod est. Primum quod accedens ad partes illas non adjecit pervenire usque ad vos videre facies vestras, rememorari iniquitates et necessitates meas; et si forsitan vobis satisfacere possum, mihi, fateor, non possum. Irascor occupationibus meis, quibus factum est, non ut neglexerim sed ut nequiverim. Hoc frequenter patior, et ideo frequenter irascor, dignus utinam cui omnis sanctus condoleat; alioquin dupliciter miser sum, si nec miserabilis sum. Ego vero fraternæ pietati in me locum ostendo, non meritum. Miseremini mei, non quia dignus, sed quoniam inops et pauper sum ego. Justitia meritum quærit, misericordia miseriam intuetur. Vera misericordia non judicat sed afficit, non nititur discutione, occasione contenta; non enim expectatur ratio, ubi affectio trahit. Lugebat Samuel Saül, miserans non deliberans. Fundebat lacrymas David filio parricidæ, etsi non profuturas, pias tamen ; ita et vos misereminі mei, non quia merui, sed quia egeo. Misereminі tamquam misericordiam consecuti a Domino, ut sine timore a mundi tumultibus liberati serviatis ei. Felices quos abscondit in tabernaculo suo in die malorum, in umbra alarum suarum sperantes donec transeat iniquitas. Cæterum ego infelix,

GUIGONEM ITERUM VISITARE TENTAT.

Ep. 12.

Sed suis occupationibus impeditur.

Veræ misericordiæ officia.

1. Reg. 15.
2. Reg. 18.

ANNUS 1135

pauper et nudus, homo natus ad laborem, implumis avicula pene omni tempore nidulo exulans, vento exposita et turbini, turbatus sum et motus sicut ebrius, et omnis scientia mea devorata est. Miseremini proinde etsi nihil meriti, certe sic affecti. »

Hanc epistolam circa annum 1127 scriptam credit Manriquez, quam tamen ad præsentem potius vel etiam ad sequentem referendam duximus, quod queratur in ea Bernardus se « omni pene tempore nidulo exulare, vento expositum et turbini », quæ quidem non ita conveniunt statui in quo erat ante annum 1130.

B. PONTIUS DE LARAZIO AD CARTUSIAM VENIT.

X. Hoc etiam anno vel circiter, ad Majorem Cartusiam accessit Pontius de Larazio vir sanctissimus, Beati nostri Guigonis consilium exquisiturus de genere vitæ, quod sancte ageret cum aliquot aliis ejusdem pii propositi consciis. Fuerat Pontius quondam in seculo potens et dives, sed violentus et rapax. Hic tandem salubriter compunctus, post publicam suo Episcopo Lodoicensi coram omni populo factam omnium criminum confessionem et pœnitentiam, relictis uxore et liberis, venditisque cunctis facultatibus, quarum pretium tum creditoribus et aliis quibus damnum aliquod intulerat, tum pauperibus distribuit, ac in locum solitarium, Salvanium sive Silvanesium dictum, cum sociis se recepit. « Deinde, inquit Hugo Francigena in ejus Vita, pauco tempore in tantum locus profecit et excrevit, non tantum rebus sed etiam religiosis personis et possessionibus, ut Abbatiæ construendæ et tenendo Ordini idoneus diceretur. Facta est ergo contentio inter eos quis Ordinum videretur esse major, aliis laudantibus Ordinem Cisterciensem, aliis vero Ordinem Cartusiensium, quibusdam etiam sanctimonialium virginum monasterium construere dicentibus dignum. Tunc hanc causam ponere placuit in arbitrio Cartusiensium ; ob quam causam Pontius de Larazio pergens Cartusiam, Priori cæterisque Fratribus causam exposuit. Qui inspecta regula veritatis, præ cæteris cunctis Ordinibus Cisterciensium Ordinem laudaverunt, eumque potius expetendum eidem Pontio man-

Lib. 3. Miscellan. Baluzii

Guigonis et monachorum Cartusiæ modestia et humilitas.

daverunt. Cui consilio insuper addiderunt, ut de illa Abbatia Ordinis quæ loco illi vicinior videretur, Ordo deduceretur; ne in eundo sive redeundo laborem nimium paterentur.

ANNUS 1135

XI. « Tunc Pontius de Larazio valefaciens illis ad Mansum Adæ venit, Capitulum intravit, per manum Domini Petri abbatis, qui tunc eidem loco præerat. Salvaniensem Domum Cisterciensi Ordini reddidit, et Abbati eidem prædictæ Domus curam imposuit. Tunc Domnus Petrus primus Mansiadæ abbas, piæ memoriæ, vir sanctus et Deo dignus, viros quosdam electos illuc direxit, qui officinas et locum Ordini præpararent. Fratres vero Salvanienses ad se venire præcepit, et eos secundum Regulam beati Benedicti per annum probatos et eruditos monachali habitu induit, benedixit atque remisit. Ex quibus unum virum sapientem et bonum, literis eruditum, videlicet Domnum Ademarum illis præposuit et abbatem esse constituit. Tunc primum Salvaniensis ecclesia in Abbatiam surrexit, anno videlicet ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo sexto. Frater autem Pontius de Larazio qui humiliorem locum semper eligere studuit, in habitu laicorum Fratrum conversus permansit, ut omni Domui liberius provideret et servorum Dei servus semper existeret: quod et fecit donec beato fine in Domino quievit; qui mense Augusto, prima die mensis, viam universæ carnis ingrediens, non obiit sed abiit ad Patres suos, de morte ad vitam, de labore ad quietem, de exilio ad patriam. » Hæc ibi. Illa vero Abbatia vocatur Sylvanesium in diœcesi Vaurensi, quam Sammarthani dicunt anno sequenti mense Aprili fundatam, et Ademarum, de quo supra, sexto ab electione mense defunctum. Unde recte colligimus Pontium ad Majorem Cartusiam saltem hoc anno accessisse.

MANSIADÆ ABBATIA ORD. CISTERC. IN DIŒCES. VIVAR.

XII. Circa hunc annum vel saltem sub vitæ Guigonis finem, orta est dissensio inter Cartusiæ monachos et Commune parœcorum villæ ejusdem nominis, qui Nobiles quosdam in Nostros concitantes, donationem olim a Domino de Bellomonte sive de Bellacumba factam, de qua diximus alibi, irritam facere et quemdam montem ab his concessum

DISSIDIUM INTER CARTUSIÆ MONACHOS ET HABITATORES VILLÆ EJUSDEM COGNOMINIS.

ANNUS 1135

eripere conati sunt. At Guigo sciens Christi patrimonium pauperumque non esse cuivis invasori deserendum, quosdam e suis misit, qui usurpatorum audaciam reprimerent, interpositaque Hugonis (hujus nominis secundi episcopi Gratianopolitani) autoritate, totam litem pacifice diremit. Extat vero hujus discordiæ notitia in Cartulario sub his verbis :

Dirimitur autoritate Hugonis II epis. Gratianop.

Cartul. mag. Cart.

« Ad notitiam posterorum nostrorum pervenire volumus, quod Domini de Bellacumba, videlicet Guitfredus et frater ejus Guigo, et eorum avunculus Guitfredus et filii ejus Berlio et Guitfredus, et Hugo Deltoet filius prioris Guitfredi, donaverunt nobis, id est Fratribus eremi Cartusiæ et successoribus nostris, alpem de.... Post multorum vero annorum quietam possessionem, quidam ruricolæ villæ Cartusiæ ascenderunt prædictam alpem, et collegerunt ibi fœnum. Cum autem hoc ad Prioris nostri (Guigonis scilicet) notitiam pervenisset, misit de Fratribus quosdam qui fœnum ibi collectum omnino disperserunt. Quod invasores alpis prædictæ cognoscentes, senioribus* Cartusiæ, videlicet Guigoni, et Ardenco et Ricardo filiis Petri Vaccarii dixerunt sui juris esse alpem illam, non illorum de Bellacumba. Ad cujus rei probationem omnino deficientibus, Domnus Hugo Gratianopolitanus episcopus, ad cujus audientiam convenerant, mandavit ut supradicti Domini, et coloni Cartusiæ ab hac calumnia ulterius cessarent. Et illi benigne suscipientes promiserunt quod super hac querela tam injusta, ipsi vel eorum successores nos ulterius nullo modo inquietarent ; quod nec eorum parentes unquam facere præsumpserant. Hujus diffinitionis testis est Domnus Hugo Gratianopolitanus episcopus, et Franco de Cornillione, et Riccardus Vaccarius et frater ejus Guigo, et Ardencus. »

* *Non Monasterii sed parœciæ.*

At ne occasio nostris deesset ulterius augendæ patientiæ, alios iterum adversarios suscitavit inimicus homo, qui novam de eadem re rixam moverent, ut post tres annos dicemus.

CARTUS. PROPE NANNETAS.

XIII. Circa eadem tempora, Guigone adhuc sedente, quædam cartusia in Britannia minori prope Nannetas inchoata, in ipsis incunabulis extincta est ; de qua in Guigonis eulogio

hæc habentur : « Sed et in Aquitania prope Nannetensem urbem, locus quidam Ajaunus nomine, sub manu Magistri Benedicti circa idem tempus susceperat Ordinem ejusdem Propositi, » nempe Cartusiensis. Cur Nannetes ab hoc autore in Aquitania dicitur, Geographis relinquimus investigandum. Monachos cujusdam alterius Instituti ibidem prius fuisse, non absurde quis posset ex eo conjicere quod locus sive loci habitatores dicantur suscepisse nostri Propositi Ordinem. Hujus mutationis sive erectionis autor, Benedictus nomine, in Majori Cartusia videtur obiisse, nam in ejus vetusto Calendario, ad XVII Calendas Septembris, reperitur « Benedictus sacerdos et monachus » eadem ac obitus nostri Guigonis manu exaratus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1136.

Innocentii PP. II	Ord. Cartus.	Guigonis Pr. Cart. I
Ann. 7.	Ann. 53.	Ann. 27.

CANONICI GRATIANOPOLITANI S. AUGUSTINI REGULAM AMPLECTUNTUR

I. MILLESIMUS centesimus trigesimus sextus agitur Redemptoris annus, Indictione decima quarta, quo Canonici Ecclesiæ primariæ Gratianopolitanæ piis nostri Hugonis sui Præsulis exemplis et adhortationibus commoti, e secularibus Regulares fiunt; initoque uno animorum consensu S. Augustini Instituto, decernunt ut nullus, nisi eamdem Regulam prius professus, eorum corpori adscribatur, nec alius præter Monachum aut Canonicum Regularem possit deinceps in Episcopum Gratianopolitanum assumi. Hujus mutationis præcipuum autorem fuisse nostrum Hugonem constat ex bulla confirmationis, quam ipse ab Innocentio II obtinuit in hanc sententiam :

Suasu Hugonis II episcopi,

Et Summi Pontificis autoritate.

Ex Ecclesiæ Gratian. Tabulario.

« Innocentius, etc. Ven. F. Hugoni Gratianopol. episcopo ejusque successoribus canonice promovendis, in perpetuam memoriam. Quisquis post hujus vitæ terminum cœlestis regni gloriam cupit acquirere; Nos igitur quibus imminet bona studia mutuis suffragiis adjuvare, et piis desideriis assensum pariter adhibere, postulationes tuas, Carissime frater Hugo episcope, admittimus; statuentes ut Ordo, qui secundum beati Augustini Regulam tuo laudabili studio est in Gratianopolitana Ecclesia, Domino gratias, institutus, ibidem futuris temporibus irrefragabiliter observetur, et decedentibus clericis qui impræsentiarum in ea Domino famulantur, nullus eis nisi regularem vitam professus Canonicus subrogetur.

Obeunte quoque te nunc ejusdem loci Episcopo, nemo ibi præterquam religiosus Monachus aut Regularis Canonicus præponatur, etc. Datum Pisis per manum Aymerici S. R. E. diaconi cardinalis et cancellarii, 2 Calendas Junii, Indictione 13*, Incarnationis Dominicæ 1136, Domini Innocentii Papæ II anno 7. »

ANNUS 1136

* 14.

Ab eo tempore, per quadringentos et viginti annos, Religiosam S. Augustini Disciplinam Canonici Gratianopolitani retinuerunt ad annum usque 1557, quo Paulo III Henrici Francorum Regis, Laurentii episcopi, ac totius ejusdem ecclesiæ Capituli rogatu, ad secularem ipsos libuit statum revocare, ut ibi fusius forsan exponemus.

Post 420 annos, ad pristinum statum redeunt.

II. Hoc anno idem Innocentius cartusiæ Portarum terminos confirmat, quos Bernardus ejusdem fundator et Prior illiusque Conventus, juxta celebrem illam renunciationem post editas a Guigone legum Cartusiensium latore Constitutiones factam, nunquam transgrediendos sibi suisque successoribus præscripserant. Hujus confirmationis bullæ talis est tenor :

CARTUSIÆ PORTARUM TERMINI AUTORITATE PAPÆ CONFIRMANTUR.

« Innocentius, etc. Dilectis Filiis Bernardo Priori et Fratribus Portensibus, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Habitantes in Domo Domini in sinceritate dilectionis unanimes conservant unitatem spiritus in vinculo pacis, puræ namque mentis religio indissolubili divini amoris glutino confirmata, vultum clementissimi Creatoris ut terrena cœlestibus conjungantur et una supernis socientur, mundis orationibus ad Dominum incessanter profusis inclinat. Accedit ad hoc quod beatus Paulus Apostolus Doctor et Magister Gentium intonans ait : ubi spiritus Domini ibi libertas. Hoc nimirum intuitu nos qui ad animarum salutem assumpti sumus, et loco beati Petri Apostolorum Principis residemus, quieti vestræ debemus sollicite providere, et res vestro monasterio pertinentes autoritatis Apostolicæ munimine roborare. Statuimus igitur ut quæcumque infra subscriptos terminos canonice et legitime possidetis, firma vobis in perpetuum et illibata serventur. Qui profecto termini his finibus clau-

Ex Tabulario Cartus. Portarum.

2.Cor. 3. 17.

ANNUS 1136

duntur : ex parte occidentali, etc. Infra quos nulli ecclesiasticæ personæ, vobis exceptis, licentia pateat aliquid sibi quocumque titulo aut occasione acquirere ; ne forte inter vos et viros ecclesiasticos hujusmodi obtenta discordia oriatur, et ibi, quod absit, lites locum inveniant, unde pacis debent bona procedere. Nulli ergo hominum fas sit, personas aut bona vestra mobilia sive immobilia aut sese moventia, temere perturbare, aut aliquibus gravaminibus seu exactionibus molestare. Si qua igitur in posterum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem vobis quæ vestra sunt servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. etc. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Willielmus Prænestinus episcopus. Ego Gregorius cardinalis Sanctorum Sergii et Bacchi. Ego Guido cardin. diacon. S. Adriani. Ego Vasallus diacon. S. Eustachii. Ego Hubardus* diacon. card. S. Mariæ in via lata. Ego Crysogonus diacon. S. Mariæ in porticu. Ego Lictifredus* presbyter cardinalis S^tæ Vestinæ. Ego Lucas presbyter cardinalis tituli Sanctorum Joannis et Pauli. Datum Pisis per manum Aymerici S. R. E. card. diaconi et cancellarii, VII Calend. Julii, Indictione XIV, anno Dominic. Incarnationis MCXXXVI, Pontificatus Domini Innoc. Papæ II anno VII. »

*Al. Hubaldus.

*Al. Littifredus.

Terminos præscriptos, etsi ritu tam solemni circumscriptos ac confirmatos, nostri Portenses evidenti necessitate coacti longius latiusque posthac sine ullo scrupulo, sancto Antelmo consentiente et Summi Pontificis autoritate iterum interpellata, protulerunt.

III. Eodem anno Guigo Cartusiæ, Bernardus Portarum, Lazarus Durbonis, Stephanus Majorevi, et quidam alii Ordinis Priores in Majoris Cartusiæ Capitulo congregati, quædam Domorum suarum privata negotia confecerunt, ibi maxime approbata ac confirmata concordia, inita inter Majorevi Cartusienses et Guillelmum et Hugonem* Nantuaci Priores, cum quibus controversia quædam de utriusque monasterii nemoribus et limitibus intercesserat. Hujus concordiæ autores fuerant Ismio Ambroniacensis, Ado sancti Ragniberti abbates, et Bernardus Portarum Prior, quorum transactionem prius laudaverat Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis, et post eum Summus Pontifex Innocentius. Nec solum pro peculiaribus Domorum negotiis, sed et pro communibus totius Ordinis observantiam spectantibus Guigo alios Priores convocabat, ut colligimus ex ejus Consuetudinibus in quibus postquam fassus est, « non ita omnia, ut nihil omnino remanserit, putare se hoc scripto (id est his Consuetudinibus) potuisse concludere, » addit : « sed facile si quid effugit, collocutione præsenti poterit indicari. » Ex quibus ultimis verbis dat intelligere eos simul conventuros, ad tractandum de his quæ poterunt in eisdem Consuetudinibus desiderari. Et hæc quidem fuere quasi præludia Capituli generalis, quod procul dubio ipse Guigo instituisset, si ei licuisset diutius vivere. Ad id enim ab aliis Prioribus invitatum fuisse constabit ex dicendis ad an. 1142.

ANNUS 1136

PRÆLUDIA CAPITULI GENERALIS SUB GUIGONE.

Ex Archivii Majorevi ms.

* *Al.* Petrum.

Guigo in Cons. cap. ultimo.

IV. Alia quoque concordia, hoc anno exeunte, inter S. Sulpitii abbatiam (ubi adhuc morabatur Humbertus monachus ejusdem monasterii quondam Prior) et præfatam Majorevensem cartusiam inita est et confirmata. Ejus autor fuit idem Bernardus Portarum Prior, ab Ainardo abbate et jam nominato Stephano Priore arbitrarius judex electus, qui certos fines inter utrumque monasterium constituerat ; quod vir pacificus cum tanta æquitate perfecit, ut ejus sententia, cujus tenor sequitur, grata partium admurmuratione approbata sit ac uno animo recepta :

CONCORDIA INTER ABBAT. S. SULPIT. ET CART. MAJOREVI.

« Domnis et Fratribus in Christo dilectissimis Ainardo

Ex Cartul. Majorevi fol. 11. et seqq.

ANNUS 1136

S. Sulpitii Abbati et Stephano Majorevi Priori, et universis qui cum eis sunt Fratribus, Frater Bernardus Portarum Prior, salutem et pacem. Christianæ Religionis nullus est fructus, ubi non omni studio charitatis et pacis integritas custoditur. Quocirca terminos qui ad cautelam pacis et concordiæ inter vos conservandæ per partis utriusque consensum designati sunt, juxta condictum vestrum scripto mandavimus, ut cautela præsentium ad notitiam transeat futurorum. Diriguntur ergo hi termini, etc. Sic autem jure perpetuo ad invicem servari debebunt, ut nequaquam propter pastum quorumlibet animalium, vel propter terras acquirendas et jure possessionis retinendas, vel propter quæcumque habitacula construenda transeatur in partem contrariam, nisi forte per legitimæ et voluntariæ concessionis licentiam, etc. Interfuerunt huic definitioni de Domo nostra id est de Portis, Boso monachus, Bonuspar et Hungrinus Conversi ; de S. Sulpitio Domnus Ainardus abbas, Garinus, Humbertus, Bernardus monachi, Hugo Conversus ; de Majorevo Domnus Stephanus Prior, Harbertus, Petrus, Willelmus Conversi ; super hos quoque Pontius et Joannes sacerdotes ; Artoldus clericus de Ambariaco, Guigo miles de Sura. Facta est autem prædicta pactio in campestribus planæ fugiæ, XIIII Calendas Decembris, anno ab Incarnatione Domini MCXXXVI, Pontificatus vero Domni Innocentii Papæ anno septimo. Duas autem Chartas per Alphabetum ab invicem divisas propterea scripsimus, ut altera signata sigillo Majorevi in Domo S. Sulpitii habeatur ; altera quoque signata vicissim sigillo S. Sulpitii in Domo Majorevi servetur. Hæc Charta in Capitulo S. Sulpitii confirmata est. »

GUIDO BERLIO FIT CONVERSU IN CART. MAJOREVI.

V. Quidam nobilis, nostrum in eadem Majorevensi cartusia institutum hoc anno amplectens, facultates suas legavit sanctimonialibus de Blesio apud quas ejus mater et uxor et filia, pietatem illius æmulantes, Deo se consecraverant. Nec dubium quin eorumdem bonorum portionem Nostris quoque obtulisset ac largitus fuisset si hujus fuissent naturæ et generis, quæ sine Propositi Cartusiensis violatione potuissent possideri : quan-

do quidem usum pascuorum, quem prius præfatæ cartusiæ concesserat, a suo legato excepit, ut integer nostris cederet. Sic enim coram Petro Lugdunensi archiepiscopo, singulari Cartusiensium amico et fautore, voluntatem suam ultimam testificatus est : ANNUS 1136

« Ego Guido cognomento vocatus Berlio, seculo abrenuncians, dedi pro timore Dei et salute animæ meæ sanctimonialibus de Blesio, quæ matrem meam et uxorem meam cum filia receperunt, ea quæ hæreditario jure ac paterna successione possederam..... pascuorum usu tantum retento. Dederam enim jam pridem Heremitis de Majorævo usum pascuorum in terra mea, quod et nunc et in perpetuum ratum esse volo. Hanc itaque donationem prædictæ sanctimoniales in Blesiensi Capitulo concesserunt Fratribus de Majorævo.... Porro huic concessioni interfuerunt Ungrinus de Portis et Willelmus de Majorævo Conversi. Hoc vero præsenti scripto confirmatum est, in præsentia domni Petri Lugdunensis archiepiscopi ac Sedis Apostolicæ Legati, qui etiam prædictam terram sub tuitione ac defensione sua et successorum suorum, ut pius Pater orphanorum, judex viduarum, libenter suscepit. Factum est autem hoc, anno ab Incarnatione Domini MCXXXVI, Indictione XIIII. » Ex eodem Cartulario fol. 23 et 24.

Porro hic Guido videtur genus duxisse ex nobilissima Balmensium familia. Nam posthac in Cartulario Majorevi inter testes sæpe occurrit nomen Guidonis de Balma Conversi hujus Domus. Nec obstat quod in præfatis literis cognominetur « Berlio », cum forte non sit ejus familiæ vocabulum, sed alicujus cognomenti singulariter ipsi inditi designatio.

Alter quoque ejusdem generis aliquanto post tempore relictis uxore et filiis, cunctis terrenis possessionibus se exuens Christum induit, factus etiam Conversus in hac Domo; cui quamdam facultatum suarum portionem consentientibus eadem uxore et filiis largitus est, de quo hæc notitia habetur in Cartulario : *Item Guiotus de Balma.*

« Guiot de Balma ad Conversionem Majorevo veniens, dedit habitatoribus Majorevi dimidium massum, laudan- Ex eod. Cartul. folio notato D.

ANNUS 1136

tibus omnibus filiis suis et uxore sua; etiam hoc laudavit Ysardus de Balma frater ejus et nepotes ejus. Postea hoc massum divisum est inter nos, et inter Humbertum et Guicardum fratrem ejus qui cognominantur Malapars. Ipsi concesserunt nobis jure perpetuo quicquid habebant infra terminos..... Et nos dedimus eis terram quam jam possidebamus extra prædictos terminos. De hoc testes sunt Conversi Guigo coquinarius, Willelmus de Brenno, Guido de Balma et Guiot qui hanc terram nobis donavit. Item testes sunt Richelmus de Casiriaco, Latoldus de Balmeto, Willelmus Genevois et alii. »

CARTUSIA MONTIS DEI FUNDATUR AB ODONE SANCTI REMIGII ABBATE.

Ex mss. ejusd. Cart.

Fundationis origo.

Vid. 1112, 1113, 1118 et 1130.

Vita S. Gaudef. l. 3. c. 10.

VI. Cartusia Montis Dei in Campania et diœcesi Remensi duabus a Sedano leucis, quindecim vero ab ipsa urbe metropolitana distans, in loco dicto tunc Mons Bosonis, qui veteri abolito nomine Mons Dei, jubente Guigone Cartusiæ Majoris Priore, appellatus est, hoc anno fundatur sive potius ab incolis Cartusiensibus incipit habitari. Odo Sancti Remigii Remensis abbas illius fundator, audita jam prius Cartusiensium sanctitate, tum ex ore S. Godefridi Ambianensis episcopi sibi amici, quem in Matre Cartusia velut unum ex nostris per aliquot menses vixisse diximus, quemque ad eam redeuntem et in procinctu itineris in SS. Crispini et Crispiniani apud Suessiones abbatia, cui tunc ipse Odo præerat, defunctum sepelierat; tum ex eorumdem Patrum bona fama apud omnes in dies crescente, tanti nostrum apud se Institutum habuit, ut illud quantumvis asperum libenter, si licuisset, amplexum fuisse credendus est. Mercedem namque monachi Cartusiensis quandoque a Deo recipere cupiens, Majorem adiit Cartusiam ibique per aliquot dies sanctissime, ut legitur in Vita S. Godefridi, inter Fratres conversatus, exquisito tandem S. Hugonis Gratianopolitani consilio, novam in diœcesi Remensi cartusiam construere penitus decrevit, ut ipse in fundationis Charta fatetur. « Hoc totum, inquit, factum est consilio Domini Hugonis felicis memoriæ Gratianopolitani episcopi. » Reversus in patriam, suum Raynaldo Remensi archiepiscopo animum patefecit. Laudavit

Raynaldus Abbatis propositum, et negotii promovendi ac perficiendi socium et adjutorem illi se præstitit, ut ex eadem Charta his verbis probatur : « Venerabilis etiam Raynaldus secundus Remorum archiepiscopus in hoc opere strenuus cooperator extitit, et ejus voluntate et consilio, evocatio Cartusiensium Fratrum facta est et constitutio loci. » Primum igitur, data occasione, idem archiepiscopus desertum Cartusiæ ipso Odone comitatus petens, a Guigone consensum erigendæ cartusiæ obtinuit. Loco itaque ab Abbate et illius Conventu oblato, inchoantur ædificia anno videlicet superiori, ut colligere est ex Anselmo Gemblacensi autore coætaneo, ad illud tempus constructionem cartusiæ referente. Paulo post rebus magis necessariis aptatis, jamque quibusdam viris ad Cartusianam disciplinam animum adjicientibus, Hugonem quondam Marchianensem* abbatem tunc suum Priorem Odo cum literis Archiepiscopi ad Guigonem allegat, qui monachos tum ad novam Eremum colendam, tum ad novos tirones nostris erudiendos institutis peteret. Postulatis statim annuit Cartusiæ Prior. « Mittimus, inquit in sua epistola, dignationi vestræ, qui, quod desideratis, de nostris exequantur instruantque consuetudinibus. » Et ipse Odo in citata Fundationis Charta, declarat Guigonem primos sacræ hujus Institutionis magistros ad eum misisse; sed integram libet exscribere Guigonis epistolam, quam præfato Hugoni cum quibusdam Cartusiæ monachis Remos revertenti ad Archiepiscopum dedit, cujus autographum sive vetustum illius exemplum apud Coloniensem cartusiam repertum, hunc habet tenorem :

ANNUS 1136

Raynald. archiep. Rem. illius adjutor.

In addit. ad Sigebert. Ex mss. ejusd. cart. Mont. Dei.

* *Marchiennes in diœcesi Atrebat.*

« Sanctæ Remensis Ecclesiæ matris suæ, Raynaldo Dei gratia Remensi archiepiscopo, paupercula Cartusiensis filia perpetuam salutem et pacem a Domino. Lætificavit nos præsentia vestræ Charitatis primum persona deinde literis ; lætificet eam Deus verbis ...... tibus suis, dicens : Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini. Nos itaque bonis respondentes initiis, sanctam Matrem nostram in sanctis

Monachos a Guigone obtinet.

Matth. 25.

ANNUS 1136

desideriis suis adjuvamus mittimusque dignationi vestræ, qui, quod desideratis de nostris exequantur instruantque consuetudinibus; precamurque quatenus eos benigne suscipiatis, benignius foveatis, et in nostro proposito ædificando ac conservando pro possibilitate juvetis. Longas literas nec nostris infirmitatibus, nec sacris vestris occupationibus utiles esse credimus. Valete et orate pro nobis. »

Hanc epistolam ex allegatis a Guigone infirmitatibus datam colligimus circa mensem Julium præsentis anni, quo decurrebat ultimus vitæ illius annus. Et id quidem convenire cum elogio paulo post mortem illius composito videbimus infra. Porro Guigo in hac epistola Remensem Ecclesiam, e cujus sinu sanctus Bruno Ordinis nostri parens et autor prodierat, *Cartusiæ matrem,* Cartusiam vero *Remensis Ecclesiæ filiam* recte appellat.

PRIMI PRIORES EJUSD. DOMUS.

Gaufridus primus Prior.

VII. Duorum tantum monachorum, ad tradendas novis tyronibus consuetudines nostras delegatorum, nomina ad nostram venerunt notitiam: Gaufridi videlicet in primum Priorem instituti, et Haymonis qui munus idem post eum executus est. Regularis disciplina sub utriusque regimine adeo viguit, ut multi præclari viri per eam sunt Domini viam ingressi; inter quos non minimum locum obtinet Stephanus ex Benedictino Cartusiensis factus, cujus occasione ad præfatum Haymonem et ad ipsum Stephanum, celebrem illum Tractatum de vita solitaria ad Fratres de Monte Dei scripsit Guillelmus de Sancto Theodorico, non S. Bernardus ut fusius suo loco ostendemus. Mortuo Haymoni vel ad Cartusiam revocato successit Gervasius, cujus pietate et prudentia ac saluberrimis documentis, gentem Cartusianam Deus apud montem suum multiplicavit, simulque magnificavit lætitiam, cum quosdam ex hujus Domus monachis ad reconciliandos cum Ecclesia Reges, et ad episcopatus regendos elegit, alios ad remotiores nationes Cartusiensis germinis apud eas transplantandi gratia misit. Sed de his fusius suis locis acturi, seriem fundationis resumamus. Cum præfatis Gaufrido et Haymone, ex Cartusiæ Conversis missus est fra-

Aymo, 2 Prior.

Gervasius, 3 Prior.

Othmarus primus Conversus.

ter Othmarus de Vallebona, vir carne et spiritu nobilis ac Petro Cluniacensi amicus. Hos spiritualis ædificii fundatores, quod idcirco fundationis Charta « primos sacræ hujus Institutionis apud Montem Dei magistros » optime vocat, hos inquam, Odo cum gaudio suscipiens operi perficiendo totis viribus incubuit. Cumque Nostri juxta quod per Guigonis Consuetudines præcipitur, terminos, intra quos necessariæ possessiones forent acquirendæ, pio fundatori designassent, eos ipse adjuvante et hortante Archiepiscopo a possessoribus gratis obtinuit.

ANNUS 1136

Epistol. Pet. Cluniac.

VIII. Inter hos largitores eminent Richardus et Ursio Mosomensis et Sancti Dionysii abbates, quorum munificentiam Odo in suis jam citatis literis sic prædicat : « similiter de omnibus quæ ibi Richardus Mosomensis abbas cum suis Fratribus, et Domnus Ursio S. Dionysii abbas et ejus congregatio habebant..... prompta devotione obtulerunt et dederunt. » Horum etiam successores donum confirmarunt, ut ex Richardi literis discimus quæ etiamnum extant in hæc verba : « Omnibus tam præsentibus quam futuris notum esse volumus quod ego Richardus Mosomensis abbas consentiente Capitulo nostro, pauperibus Montis Dei campum intra terminos eorum situm, et quidquid ecclesia nostra intra terminos eorum possidebat, liberum et ab omni querela absolutum, annuente Domino Rainaldo Remorum archiepiscopo in præsentia ejusdem et totius Curiæ tum præsentis, prompta devotione obtulimus et dedimus. Hoc idem postea confirmatum est Mosomi, præsente et annuente Domino archiepiscopo Samsone, etc. Testes Goslenus Suessionensis episcopus, Ursio abbas S. Dionysii, Hellinus abbas Sancti Theodorici, archidiaconi Willelmus et Rodulfus, Guiterius comes Registensis et tota Curia tunc præsens. » Viri quoque primæ nobilitatis, Willelmus de Setonia, Nicolaus de Burgo et Guido de Altreio « quicquid ibi tenebant et quod usibus pauperum Christi, ut loquitur eadem Charta, utile ac necessarium visum est, » pari liberalitate dederunt, donationem confirmante Guiterio Registensi comite, velut horum locorum beneficiario Domino.

PRIMI BENEFACTORES.

Charta fundat. Montis Dei.

ANNUS
1136

Innocent. II fundation. confirmat.

His ita transactis novi Montis Dei Cartusienses ad Innocentium Papam Pisis tunc agentem mittunt, a quo fundationem Odonis et prædictorum benefactorum largitiones confirmari petunt, et facile obtinent cum eisdem immunitatibus quas ipse jam ante aliquot annos Majori Cartusiæ impertierat. Pontificium Diploma tale est :

« Innocentius, etc. Dilectis Fratribus in monasterio Sanctæ Mariæ Montis Dei divino famulatui mancipatis, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Ad hoc universalis Ecclesiæ cura a provisore omnium bonorum Deo commissa est, ut religiosas diligamus personas et beneplacentem Deo Religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim gratus aliquando Deo famulatus impenditur, nisi radice charitatis procedens, a puritate Religionis fuerit conservatus. Ideoque dilecti in Deo filii, vestris justis desideriis clementer annuimus, et beatæ Dei Genitricis monasterium in quo divino vacatis servitio, Apostolicæ Sedis privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut Ordo monasticus, qui secundum normam et institutionem Fratrum Cartusiensium in eodem loco noscitur institutus, perpetuis futuris temporibus ibidem irrefragabiliter observetur. Sanximus etiam ut nulli omnino liceat Ordinem Cartusiæ in eodem monasterio stabilitum infringere, minuere vel mutare, et libertatem quam Cartusia (principale scilicet caput hujus Ordinis) habet, vestrum nihilominus cœnobium obtineat, nec alicui eam liceat ullatenus violare. Ut autem mente et corpore omnipotenti Deo servire liberius valeatis, simili modo vos decernimus ab omni inquietudine cujuslibet rei vel placiti quietos ac liberos remanere, nec de iis quæ in terris, sylvis, pascuis aut agricultura vobis collata sunt, nullam vos injuriam vel molestiam sustinere. Terminos autem loci vestri propriis terminis duximus exprimendos, etc. Adjicientes etiam quod nulla fœmina fines vestros introeat, nisi forte id fiat propter transitum, qui per loca vestra viatoribus communis esse debet. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones

auferre, vel ablatas retinere, minuere seu aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus omnibus profutura, salva nimirum diœcesani Episcopi debita justitia et reverentia. Si qua ergo in posterum, etc. Datum Pisis per manum Aymerici S. R. E. diaconi cardinalis et cancellarii, nono Calendas Decembris, Indictione quarta decima, Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVI, Pontificatus Domini Innocentii Papæ II anno septimo. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Guillelmus Prænestinus episcopus. Ego Theodeuvinus Rufinensis episcopus. Ego Gregorius diaconus cardinalis SS. Sergii et Bacchi. Ego Guido diaconus cardinalis S. Adriani. Ego Chrysogonus diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in porticu. Ego Lucas presbyter cardinalis tituli SS. Joannis et Pauli. »

ANNUS 1136

Idem fecere ejus successores.

Etsi hæc Innocentii bulla potuisset ad confirmationem tum possessionum tum terminorum Domus sufficere, attamen quia munificus fundator quædam a prænominatis largitoribus anno sequenti obtinuit, ac propterea suæ diploma fundationis, quod ibidem dabimus, tunc tantum confecit, ut solemnius certiusque cuncta firmarentur, eadem prisci Patres curaverunt rata haberi per Innocentii Papæ ac Rainaldi Remensis archiepiscopi, Odonisque fundatoris et aliorum Donatorum successores. Horum omnium bullis et diplomatibus carthophilacium Montis Dei ditatur, simul et Regum præceptis seu patentibus literis, ut vocant, quibus hæc Domus speciali privilegio a decimis, aliisque subventionibus pro Regni negotiis per Ecclesiasticos solvi solitis eximitur. Cui non ita pridem, inquit Marlotus, Clerus Remensis in sanctissimi Brunonis Patriarchæ, quondam prædictæ Ecclesiæ alumni gratiam lubens ac gratanter consensit, et eo quidem lubentius quod a Guigone Legislatore nostro Matris domus Cartusiæ titulum, ut supra vidimus, merito habuerit. Porro qualis semper et quæ etiamnum sit hujus Domus apud omnes existimatio, his verbis citatus autor exprimit : « Cartusia Montis Dei ab exordio suæ institutionis ad nostram

Mons Dei a decimis liber.

Guill. Marl. in Metrop. Rem. Hist. tom. 2.

In eo semper viguit observantia.

ANNUS 1136

hanc ætatem incolarum sanctitate, jugi observantia et ædificiorum cultu excelluit...... Hujus initia et progressus cum miraculi aliquid præ se ferant, mirum non est quod cito coaluerit, sitque aliis felicior in hoc quod temporum detrimenta vix sensit, tam regiminis sagacitate quam absoluta æmulandæ Religionis forma, quæ in hac rerum quam patimur mobilitate et fluxu (quod omnium pene cartusiarum commune est) annorum vices penitus ignorat. Famosissima igitur hæc solitudo hanc sibi imprimis gloriam vendicare potest, quod totius Ordinis primariam Gratianopolitanam matrem agnoscat ; quod ipsa ut mox adolevit, Montem* S. Petri in diœcesi Laudunensi, et Vallem Dei in Pertico pepererit ; quod in Regno Franciæ prima lucem viderit, si limites spectemus quibus Regnum hoc seculo continebatur... quæ cum versus Mosam, instar spiritualis sit propugnaculi adversus aerias potestates ac principes hujus seculi, æternum sibi devinctos habebit accolas quamdiu, Deo volente, steterit incolumis. » Hæc ille ; cujus verborum veritatem utinam Nostri vita honesta et innocente ac vere Cartusiana magis ac magis in dies confirment.

* *Vallem.*

GUIGONIS OBITUS.

IX. Vix inchoata Montis Dei fundatione, contigit nostrum Guigonem hujus nominis primum, Cartusiæ vero Priorem quintum, meritis auctum, pœnitentiæ laboribus magis quam ætate fractum, de hac valle lacrymarum in cœlum evocari, relicta sanctitatis opinione cum Ordini Cartusiensi multa cum sapientia, fructu, et omnium tum domesticorum tum externorum ædificatione per viginti fere septem annos præfuisset. Plerique rerum nostrarum Scriptores Chronici Cartusiæ autoritate suffulti, obitum ejus ad annum sequentem, quidam etiam ad 1138 rejiciunt ; sed potius fides habenda est autori qui ejus Elogium paulo post illius mortem addidit Catalogo, quem ipse Guigo de quatuor suis antecessoribus contexuerat. Sic igitur tempus quo mortuus est ibidem designatur : « Anno itaque a nativitate sua quinquagesimo circiter quarto, a conversione vero XXX, et a prioratu XXVII, cum ab exordio Cartusiensis Eremi annus quinquagesimus

tertius ageretur, VI. Kal. Augusti, prædictus Prior beatorum studiorum et piorum actuum finem faciens, sanctum Domino spiritum commendavit. » Et superius, agens de domibus ejus tempore fundatis : « Heremus, inquit, Montis Dei, anno vitæ ejus ultimo, ipsius ordinatione et consilio, per manum viri valde venerabilis Odonis S. Remigii abbatis in archiepiscopatu Remensi cœperat habitari. » Quæ quidem omnia huic anno recte conveniunt, nam revera quinquagesimus tertius fundati Ordinis agitur, et vigesimus septimus regiminis Guigonis jam fere completus erat, quippe qui electus fuerat anno 1109 mense Octobri. Denique Montem Dei jam cœpisse habitari ex supradictis satis liquet. Quod spectat diem obitus illius ad VI. Kal. Augusti, ubique reperitur et præsertim in vetustis Majoris Cartusiæ, Montis Dei et abbatiæ S. Remigii Calendariis. ANNUS 1136

X. Qualis porro fuerit accipe ex citato encomii illius autore coævo : « Fuit literis secularibus et divinis admodum eruditus, acer ingenio, memoria tenax, facundiæ admirabilis, exhortator efficacissimus, in tantum ut nullus eum antecessorum suorum fama vel autoritate præcesserit. Hic Cartusiensis Propositi institutione et scripto digessit, et exemplo monstravit, et divina favente gratia in eadem institutione sequaces multos habere promeruit ; sub eo siquidem Domus Portarum, Excubiarum, Durbonis, Silvæ, Majorevi, Alveriæ et exordium acceperunt et incrementum non modicum, tam in personis quam in ædificiis, Deo miserante, consecutæ sunt. » Quantæ apud Summos Pontifices, Episcopos, virosque ejusdem temporis sanctimonia et scientia conspicuos existimationis fuerit, ob peractam in omni sanctitate conversationem, licet ex his quæ superioribus annis narravimus satis appareat, quædam tamen hic retexere, et alia in ejus laudem a clarioribus hujus seculi viris scripta congerere abs re non erit. Itaque sanctus abbas Cluniacensis Petrus ad Guigonis successorem scribens, piæ sanctæque memoriæ titulis eum cohonestare non dubitat : « Non sic, inquit, piæ sanctæque memoriæ Domnus Guigo VIRTUTES EJUS.

ANNUS 1136

Sanctus inscribitur.

scribebat, sed epistolari more, salutatione præmissa, affectum benigni cordis verbis subsequentibus indicabat. » Et in quadam ad S. Bernardum epistola, de qua infra, « sanctum » absolute vocat. Et in alia ad Milonem Tarvanensem episcopum, Guigonis autoritatem S. Augustini autoritati æquiparare audet, sic dicens : « Non ita episcopus Augustinus vera vel falsa fratrum mala populo prædicavit, vel in scriptis suis prædicari mandavit, cum dixit : ubi oritur peccatum, ibi moriatur; nec ad plures ejus correctio quam notitia extendatur. Non ita Patres priores et Magistri Ecclesiarum Dei. Non ita, ut de nostri temporis singularibus viris loquar, Domnus Guigo Prior Cartusiensis, qui hoc de fonte veræ non fictæ charitatis hauserat, ut mala cujusque autori suo tantum nota faceret : bona cujuslibet, non ipsi, sed eo absente omnibus divulgaret. » Quamobrem ipse Guigo ad Aymericum cardinalem scribens, et hujus temporis Ecclesiasticorum maxime vitia sancta libertate indicans et corripiens, suum zelum sua statim humilitate sic excusat : « Hæc non Doctoris aut reprehensoris autoritate, sed dolentis et lamentantis affectu fuderimus ; zelo Domus Dei cujus diligimus decorem rodente viscera nostra, rogantes et obsecrantes, si non in cæteris, in vobis saltem nonnihil præferant fructus. »

Viris clarioribus comparatur.

Ejus charitas in arguendis defectibus.

EJUS MODESTIA ET HUMILITAS.

XI. Ejus modestiam humilitatemque jam citatus Abbas ad sanctum Bernardum scribens, mirum in modum memorat, dum eum rogat ut a titulis Reverendissimi et Patris ad eum scribens abstineret se ; utitur exemplo modestiæ et humilitatis nostri Guigonis qui hujusmodi nominum pompam respuebat ; « Ut enim, inquit, de Reverendissimi et amici carissimi nominibus taceam, quorum, ut dixi, alterum nescio alterum agnosco ; de Patris interim nomine hoc tibi, Reverende frater, scribo, quod singularis suo tempore et præclarissimus Religionis flos, Domnus Guigo Prior Cartusiensis mihi quondam scripsit. Scribebam ei frequenter, et sæpe cum eo vel verbis ad invicem collatis, vel literis familiaribus delectabar, et eum in epistolis meis Patrem nominabam ; toleravit hoc primum putans me finem factu-

Flos dicitur Religionis.

rum scribendi. At postquam me persistere vidit et frequentibus literis Patris nomen iterare, in hæc verba Sanctus ille tandem prorupit. Scripsit namque mihi epistolam in qua inter cætera hoc inseruit : Unde petimus per eam, qua in nos indignos vestra fervent viscera, dilectionem, ut quando nostræ exiguitati vestra scribere dignatur Serenitas, ita de propria cogitetis ædificatione, ut infirmitatem nostram periculosa non infletis elatione. Ac statim : Et illud, inquit, præ omnibus et super omnia quæsumus, et defixis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram Patris nomine dignam ulterius æstimetis ; satis et super satis est si frater, si amicus, si filius appelletur, qui nec servi nomine dignus habetur. Scripsit hoc ille mihi ; scribo et ego hoc idem tibi : sufficit et multum sufficit si fratris, si amici, si cari vel carissimi nomine de te vel apud te glorier ; vel si quid tale aut te decet mittere, aut me decet suscipere. »

ANNUS 1136

Hæc verba, quæ de nostro Guigone citat Petrus, reperiuntur in epistola quam habes alibi integram. Harum virtutum, modestiæ scilicet et humilitatis, odore omnes ejus epistolæ perfundebantur, in quibus nomen suum tacebat vel qualitatem sæpius se appellans : Cartusiensium Pauperum inutilem servum. In eis etiam easdem semper virtutes commendans, vel vitium contrarium condemnans : « Duo sunt, inquit, ad Aymericum cardinalem, adversus quæ nobis totis est viribus dimicandum : elatio in mente, voluptas in corpore, etc. » Et ad Hugonem Templariorum Magistrum : « in hoc bello tanto erit quisque robustior tantoque, regente et protegente Deo, numerosis prostratis hostibus triumpho gloriosiore sublimior, quanto per omnia sategerit esse humilior ; tantoque e contra ad omnia bona infirmior et inconstantior, quanto voluerit esse superbior, etc. » Scintillam quoque hujus prædilectæ sibi humilitatis emittit in Cartusiæ Consuetudinum prologo, quas summa tantum instantia et importunitate victus digesserat dum dicit : « nos qui tale aliquid facere possemus vel deberemus, dignos minime putabamus. Huc accedebat, quod doceri magis quam docere

Utramque virtutem verbo et exemplo prædicat.

Inter opera S. Bernardi.

ANNUS 1136

ad humilitatis nostræ propositum pertinere noveramus, tutiusque esse aliena bona potius quam sua prædicare. » Hinc fuit quod in eisdem Consuetudinibus de Prioris officio agens, jubet ut « sedes Prioris ubilibet, vel vestitus nulla quasi dignitate vel pretiositate differant a cæteris, nec quicquam ipse gestet unde quod sit Prior appareat. » Et ut posteris etiam hanc virtutem velut Superiorum Cartusiensium veram possessionem, ac decentissimum eorum dignitatis ornamentum suggereret relinqueretque, statim subdit : « Quod idcirco scribimus, ne quis forte posterorum cornua velit sibi assumere, vel nomen suum quacumque gloria vel eminentia celebrare. »

De Ordinat. Prioris, cap. 15 n. 4.

Ubi sup. n.

PAUPERTATIS ET FRUGALITATIS AMOR.

XII. Cum humilitate paupertatem ac moderatum rerum omnium usum conjungebat, hæcque tria suos docebat velut totius observantiæ fundamenta, et quæ viam muniunt ad mundi contemptum et Dei amorem, in quibus versatur omnis monasticæ perfectionis consummatio. Asserebat enim sive putabat, ut verbis illius utar, parvum monachorum numerum quem Cartusiæ constituerat, ibidem « vivere posse si tamen humilitatis, paupertatis, sobrietatis in victu et vestitu et cæteris ad usum pertinentibus rebus, idem quod hucusque apud se et suos fuerat studium, perseveraret ; et si postremo mundi contemptus et Dei amor, propter quæ ferre et fieri omnia debent, profectum in dies acciperet. » Quam accurate paupertatem amaverit ac servaverit illustri ostendit facinore quo munera a Comite Nivernensi ad Cartusiam missa respuit et suo largitori statim remisit.

Ubi sup. c. 79. num. 3.

Vid. sup. ad an. 1124.

Ejus ignitum eloquium.

De ejus fervore ignitoque eloquio ac doctrina (quæ in præfatis Consuetudinibus et in ejus Epistolis et Scriptis ubique elucent), satis sit recensere illa quæ habent citatus Petrus Venerabilis et S. Bernardus. Ille in quadam epistola ad Basilium, unum ex illius in Cartusiæ Prioratu successoribus : « Decreveram renovare tecum antiquas illas et sanctas felicis memoriæ D. Guigonis prædecessoris tui mecum sæpe habitas collationes, quibus velut scintillis ab ejus ore prodeuntibus accendebar, et omnium pene humanarum rerum

oblivisci cogebar. » Sanctus vero Abbas Clarevallensis illo igne totum se inflammatum ex Beati Guigonis literarum lectione fatetur : « Sanctitatis vestræ, inquit, literas tam lætus accepi quam avidus et olim desideraveram ; legi eas, et quas volvebam in ore literas, scintillas sentiebam in pectore : quibus et concaluit cor meum intra me, tamquam ex illo igne quem Dominus misit in terram. O quantus in illis meditationibus exardescit ignis, e quibus hujusmodi evolant scintillæ ! »

ANNUS 1136

Autor coævus in S. Antelmi Vita de ejus in Cartusiæ Priorem electione agens, nostrum quoque Guigonem et miram illius eloquii suavitatem his verbis commendat. « Fuerat hujus loci Prior sempiterna memoria dignus Guigo, vir venerabilis, qui pro divinitus ipsi collata gratia mellifluæ doctrinæ, hanc obtinet prærogativam ut bonus Prior vocetur ab illis qui de illo loquuntur. » Nicolaus Monachus qui sancti Godefridi Vitam non multo post Guigonis obitum scripsit, eum vocat « virum egregie doctum et vitæ integritate conspicuum, omnium ore prædicandum, etc. » Ab autore Vitæ S. Hugonis Lincolniensis dicitur « vir prudentissimus » ; quam prudentiæ virtutem in eo etiam laudat citatus Monachus Nicolaus, narrans quam caute Episcopum receperit, quantaque cum sapientia illius humilitatem fuerit expertus. Omnes denique qui de illo scripsere, virum sanctitate et doctrina celebrem uno ore dixerunt ; ut videre est apud nostros Dorlandum et Sutorem, sicut et apud extraneos Trithemium, Possevinum, Bellarminum et alios passim.

Vita S.Antel. Mss. et apud Sur.

Melliflua doctrina.

Vitæ integritas, prudentia.

XIII. De Scriptis ejus hæc ad nostram devenerunt notitiam :

SCRIPTA ILLIUS.

1. *Vita sancti Hugonis Gratianopolitani,* quam nitido stylo ab eo descriptam et Innocentio II dicatam, diversis horum Annalium locis fere integram dedimus.

2. *De Consuetudinibus Cartusiæ,* nobili et præclaro sanctumque virum redolente calamo digestis, plura suo loco diximus.

ANNUS 1136

3. De Epistolis sancti Hieronymi ab eo emaculatiores redditis alibi quoque egimus.

4. Varias et graves scripsit *Meditationes* quæ diversis temporibus diversisque in locis sæpissime prodierunt. Sed apographum earum antiquissimum in Majori asservantur Cartusia, multo fusius quam in editionibus.

Possevin. in Apparat. sacr. Tom. I.

Bohic. in Chron. mss. an. 1137 num. 5.

5. Tractatum *de Contemplatione* ab eodem fuisse compositum testatur Possevinus, quem asserit asservatum fuisse ms. suo tempore in Majori Cartusia, ubi tamen modo non comparet, forsan et in cineribus sepultus. Noster Bohicius unum ejusdem Tractatus exemplar ms. in Vallis Dei cartusia se vidisse affirmat.

Guido de Ponte alius a nostro Guigone.

Petreius in Biblioth. Cart. Lit. G.

Ex Mss. dom. Montis Dei.

Vid. an. 1297.

Sed et alterum extat in Montis Dei bibliotheca ejusdem tituli, sub Guidonis de Ponte nomine; utrum vero sit idem vel aliud similis materiæ, dicere non possum cum neutrum viderim. Putat Bunderius apud Petreium, hunc Guidonem de Ponte eumdem esse cum nostro Guigone quinto Cartusiæ Priore ; qui tamen nusquam reperitur cognominatus de Ponte, sed de Castro Sancti Romani. Præterea liquido constat Tractatum hunc qui juxta bibliothecæ Montis Dei exemplar sic inscribitur : « Incipit Tractatus de Contemplatione Domni Guidonis de Ponte monachi Cartusiæ ; » constat, inquam, hunc multo Guigone magno posteriorem esse, cum in eo citetur (ut asserit Ganneronius Montis Dei monachus) nomine Bernardi Clarevallensis, epistola de vita solitaria ad Fratres de Monte Dei post Guigonis mortem a suo autore edita. Citantur etiam ibidem et Richardus de S. Victore, Magister Sententiarum, Albertus Magnus et Guillelmus Antissiodorensis, qui longe post nostrum Guigonem claruere. Verus igitur operis hujus autor est Guido de Ponte Majoris Cartusiæ monachus, de quo dicemus suo loco : nisi liber iste de Contemplatione Guigoni adscriptus alius sit ab eo quem composuit Guido de Ponte, et idem forsan cum Scala Claustralium cujus epistola dedicatoria ad Gervasium inscribitur de Vita contemplativa. Tractatus vero de Veritate et Pace quem Bunderius attribuit Guidoni de Ponte, non est

illius fœtus sed ejusdem nostri Guigonis, estque ipse liber Meditationum de quo supra, cujus et primum capitulum inscribitur : « de Veritate et Pace. »

De aliis ejus operibus.

6. Scripsit et Tractatum *de Laude Vitæ solitariæ,* quem reperiri in Coloniensi cartusia cum aliquot epistolis asserit noster Petreius in sua *Bibliotheca.* De ejus Scriptis hæc tantum in universum habentur in citato elogio : « libris quoque autenticis perquirendis, scribendis et emendandis studium infatigabile præbuit ; Vitamque Beati Hugonis Gratianopolitani episcopi, jubente Innocentio Papa, nobili stilo conscripsit. » Quod hic de Guigonis studio in perquirendis et scribendis libris dicitur, concordat cum his quæ alibi ex Guiberto abbate de Novigento retulimus. Denique præstat annotare quosdam allucinari, qui nostrum Guigonem cum altero ejusdem nominis, Tractatus *de Quadripartito cellæ exercitio* autore, confundunt.

HUGO GUIGONI SUCCEDIT.

XIV. Mortuo Guigoni successit in prioratu Cartusiæ Hugo monachus ejusdem. Hic circa Priorum Cartusiæ chronologiam cæcutire incipimus. Qui Chronicon quinque Primorum Priorum primus produxit, postquam mortem Guigonis ad annum 1137 retulit, successoris institutionem ad annum 1138 rejicit ; sed etsi daremus Guigonem eo anno obiisse, non est putandum totis quinque mensibus Domum Cartusiæ Priore caruisse. Cum itaque præfatus Chronici continuator, qui tantum vixit seculo quarto decimo medio, fateatur non omnium Priorum nomina ad ejus notitiam pervenisse, nec propterea potuerit unicuique certum prioratus tempus assignare, ejus chronologiæ nullam rationem in his Annalibus habebimus, justa tamen in aliis fide ei servata.

In præfat. Chron. ms. Cart.

Defuncto igitur Guigone, hoc quem agimus anno, mense Julio exeunte, Hugonis successoris ejus regimen a mense Augusto auspicari necesse est. Quidam existimant eum esse Hugonem illum S. Brunonis socium et Capellanum, quibus plane contradicere non audemus quandoquidem eum adhuc vixisse anno 1129 ibidem vidimus : nec sententia conti-

Chron. ms. Cart. cap. 6.

ANNUS
1136

nuatoris Chronici præferenda est scribentis hunc Hugonem fuisse Guigonis discipulum.

S. GUARINUS ALPEN. ABBAS BERNARDUM PRIOR. PORTAR. VISITAT.

Manr. in Annal. Cister. ad an. 1136.

Cartul. 2. Cart. Port.

XV. Hoc denique anno S. Guarinus, abbas B. Mariæ de Alpibus in Sabaudia, cum toto suo conventu Cisterciense amplectitur institutum, factusque S. Bernardo Clarevallensi amicus voluit et cum altero Bernardo Portensis Cartusiæ Priore necessitudinem contrahere ; quem propterea circa hoc tempus Portenses Cartusienses invisisse colligo ex ejusdem Domus Cartulario, ubi nomen ejus inter testes in Charta cujusdam donationis sive venditionis reperitur, quæ inter cætera hæc habet : « Adalbertus et fratres ejus et sorores eorum et mater Eldebors, dederunt et vendiderunt Deo et B. Mariæ et Fratribus Portarum XI solidos.... Testes sunt abbas Alpensis Varinus, Andreas monachus ejus, Barnardus Prior et Boso monachus, Odo et Sigisbodus fratres ejus de Exuldon, et alii multi et venditores. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1137.

Innocentii PP. II Ann. 8.	Ord. Cartus. Ann. 54.	Hugonis Pr. Cart. I Ann. 1.

I. REDEMPTORIS annus agitur trigesimus septimus supra millesimum atque centesimum, Indictione quinta decima, quo venerabilis Odo Sancti Remigii abbas absoluta suis sumptibus, quantum in se fuit, cartusiæ Montis Dei fundatione, suam suique conventus erga Ordinem Cartusiensem benevolentiam volens posteritati commendare, donationes tam a se quam ab aliis ejusdem novæ plantationis Benefactoribus jam factas confirmavit, pluribus tum Episcopis tum Abbatibus ejus liberalitatem approbantibus et suis sigillis corroborantibus, ut ex subjecto diplomate apparet :

FUNDATIO MONT. DEI CONFIRMATUR.

« Universorum Domino, qui est summa Sanctitas, famulantibus et in sacro Religionis proposito perseverantibus, maxime iis qui abjectis secularium negotiorum sarcinis jam prægustant in tranquillitate vitæ quam suavis est Dominus, nos benignos esse convenit; et non solum eorum necessitatibus aliquod levamen impendere, verum etiam si quid eis devotio Fidelium contulit, ut illæsum ad eorum usus permaneat sollicite curare. Idcirco memoriæ cunctorum tam præsentium quam futurorum fixum esse volumus, quod ego Odo humilis minister ecclesiæ Beati Remigii totumque Capitulum ejusdem monasterii, communicato mecum labore, prompta voluntate et pia devotione benignum præbentes assensum, cœnobium in quo usus et sacras con-

Ex mss. ejusd. Cart. et ex Sammart. in Arch. Rem.

ANNUS 1137

suetudines Cartusiensium honestis moribus Fratres teneant et custodiant, in fundo ecclesiæ nostræ, videlicet in loco qui nunc Mons Dei vocatur (nam antiquitus vocabatur Mons Bosonis), in honore Beatæ Mariæ Virginis et S. Joannis Baptistæ construximus. Hoc autem totum factum est consilio Domini Hugonis felicis memoriæ Gratianopolitani episcopi, necnon et assensu Reverendi Guigonis Cartusiensium Pauperum Prioris, qui et primos sacræ hujus institutionis magistros ad nos misit, et ut locus ille *Mons Dei* vocaretur præcepit et statuit. Venerabilis etiam Raynaldus secundus Remorum archiepiscopus in hoc opere strenuus cooperator extitit, et ejus voluntate et consilio evocatio Cartusiensium Fratrum facta est et constitutio loci. In hoc siquidem monte Fratribus ibidem in Ordine Cartusiensi Deo militantibus, et secundum sacras ipsius Ordinis institutiones a sanctis eorum prædecessoribus datas, degentibus, prædictum cœnobium et quidquid ecclesia nostra in procinctu ejusdem cœnobii infra subscriptos terminos possidebat, communi totius Capituli nostri consensu gratanter et ab omni censu et exactione liberum dedimus. Concessimus etiam ut terras quas rustici infra eosdem terminos possidebant, si dono vel pretio prædicti Fratres acquirere potuerint, libere et absque ullo censu in perpetuum habeant. Similiter de his omnibus quæ ibi Richardus Mosomensis abbas cum suis Fratribus, et Domnus Ursio S. Dionysii abbas et ejus congregatio habebant, liberam donationem, et ab omni querela absolutam prompta devotione obtulerunt et dederunt. Willelmus etiam de Setonia et Nicolaus de Burgo et Guido de Altrego, quidquid ibi tenebant et quod usibus Pauperum Christi utile ac necessarium visum est, pro remedio animarum suarum jam dictis Fratribus simili modo pari libertate dederunt. Hi sunt autem termini quibus prædicta loca terminantur ab orientali plaga, etc. Ut autem hæc munificentia nostra in perpetuum vires obtineat, et inconvulsa illibataque permaneat, et in omne tempus conservetur, autoritate Privilegii Domini Innocentii Papæ secundi muniri fecimus. Sed

ANNUS 1137

et nos sigilli Beati Remigii impressione et honorabilium attestatione personarum ac testium roboramus et confirmamus, et quicumque hanc infringere tentaverit, anathematis sententia percutimus. Signum Gaufredi Catalaunensis episcopi. Signum Alvisi Atrebatensis episcopi. Signum Odonis abbatis S. Remigii. Signum Ingelramni abbatis Altovillarensis. Signum Richardi Mosomensis abbatis. Signum Hellini abbatis S. Theodorici. Signum Jordamni abbatis S. Nicasii. Signum Alberici abbatis S. Basoli. Signum Ursionis abbatis S. Dionysii. Signum Fulconis abbatis Sparnacensis. Signum Willelmi abbatis de Maurimonte. Signum Alberici et Hugonis archidiaconorum. Signum Leonis decani. Signum Gervasii cantoris. Signum Henrici, Gregorii, Rogerii presbyterorum. Signum Bosonis, Rainerii, Bernardi diaconorum. Testes etiam hujus rei sunt Josselinus tunc Prior, Hugo Supprior, Rainaldus Præpositus, Sigibertus, Mocharius, Hugo capellanus, Galterus Atreiensis, Arnulfus Præpositus, Christianus cantor, Haidericus cellerarius, Otho, Gervasius, Lambertus, Benedictus; item Lambertus, Balduinus, sed et omnis Conventus. Testes etiam hujus decreti et institutionis sunt : de Clericis, Drogo decanus Sancti Timothei, Letardus, Thomas, Constantius, Nicolaus; de Militibus, Petrus et frater ejus Thomas; de Laicis, Thomas villicus, Simon decanus, Walterus, Lambertus, Guido scabini et multi alii. Actum Remis anno Incarnati Verbi millesimo CXXXVII, regnante Ludovico Francorum Rege an. XXX. archiepiscopatus autem Domini Rainaldi anno XII, ordinationis vero nostræ anno octavo decimo. »

Testes qui adfuerunt donationi.

Quidam ex præfata Odonis Charta hoc anno data, Montis Dei fundationem eidem tempori assignarunt; aliis citius, aliis etiam serius ipsam referentibus : sed satis apparet ex his quæ superiori anno retulimus, illius epocham ibidem esse necessario statuendam : Idem ex domesticis instrumentis adstruitur, nam in ejus Carthophilacio hæc verba leguntur : « Domus Montis Dei cœpit anno MCXXXVI, post cujus inchoationem Sanctus Bernardus vixit annos septemdecim. »

Ad quem annum referenda Montis Dei fundatio.

Sammarth. in Abbat. S. Rem.

Rob. de Monte ad an. 1139.

Ex mss. Montis Dei.

ANNUS 1137

Ponsardus* de Stenaco monachus et Vicarius ejusdem Domus eumdem annum his verbis exprimit :

* *Vivebat ann. 1380.*

Montis prima Dei CLaM fundamenta revelat,
Bis septem demas si tamen inde prius.
Hanc tibi, Christe, Domum sancti venerabilis Abbas
Remigii extruxit, nomine dictus Odo.
Quem faciunt celebrem Bernardi cella, etc.

Vox illa *clam,* literas numerales continet MC et L, quæ juxta supputationem faciunt mille centum quinquaginta, ex quibus si demas quatuordecim remanet dictus annus 1136. Quidam Monachus ejusdem Domus professus, qui ante aliquot annos hujus celeberrimæ Eremi monumenta magno labore collecta in tres tomos crassissimos distribuit docteque digessit, benigne conciliare volens autorum circa Domus suæ fundationis tempus dissonantiam, satis subtiliter ait : « allucinationem nullam esse, si qui annum 1136, alii sequentem adstruant : idem enim esse, cum hi ab Incarnatione, illi a Nativitate priores novem mensibus sequendo, annos enumeraverint. » Verum quidem est hunc usum aliquando his temporibus in diœcesi Remensi receptum fuisse, sed ut nos nuper monuit antiquitatis acutissimus indagator Mabillonius, instrumenta hujusmodi in quibus calculus novem mensibus nostrum communem calculum antecedebat, hanc semper clausulam habebant « secundum cursum Remensis Ecclesiæ. » Cum igitur nihil simile in Chartis Montis Dei fundationem spectantibus adhibeatur, hanc nostri Confratris argutiorem distinctionem non admittimus. Notandum denique est in literis dotalibus supra insertis mentionem de nostro Guigone licet diu ante defuncto, fieri tanquam adhuc vivente quod ex his verbis colligimus : « Hoc totum factum est consilio Domini Hugonis felicis memoriæ Gratianop. episcopi, necnon assensu Reverendi Guigonis Cartusiensium Pauperum Prioris, qui et primos sacræ hujus institutionis magistros ad nos misit, » anno videlicet superiori, ut ibidem videre est. Sanctus itaque Hugo jam ante sex annos mortuus

Fr. Ganner. in Hist. mss. Montis Dei.

Ex literis Mabill. ad nos datis.

ANNUS 1137

cum adjectione felicis memoriæ, quæ solis mortuis tribuitur, commemoratur. Guigo vero, quia in vivis adhuc esse forsan putabatur, Reverendi tantum nomine solis viventibus congruo designatur. Sed Montis Dei fundationem prosequamur.

MONS DEI ABSOLVITUR ELEEMOSYNIS AD S. GIBRIAN. EROGATIS.

II. Etsi Abbas Fundator nullis parceret sumptibus ad perficiendam suæ Cartusiæ et præsertim templi illius fabricam necessariis, attamen Deus piis illius conatibus obsecundans « modum instituit (ut Dorlandus post antiquum Montis Dei Chronicon narrat) quo denuo copiosa pecunia coacervari, quæ quicquid supererat struendum, in integrum consummavit. » Et hic quidem modus plenus fuit miraculi. Narrat enim Marlotus, ex Chronico a Dorlando citato (quod equidem non vidi) tantam, miraculorum vim per id tempus patratam fuisse sanctissimi Confessoris* meritis, ut ex remotissimis regionibus advolarent ægroti ad ejus tumulum sanitatem divinitus recepturi. Videns autem Abbas suis Deum cœptis favere, peregrinorum oblationes pro sublevanda Cartusiensium suorum paupertate libens designavit, tantaque ex tunc confluxit multitudo, ut eos ne burgum quidem sancti Remigii capere posset ; et quod omnem admirationem superat, « tamdiu, inquit Chronicon, patrandis miraculis apud Sanctum Remigium incubuit Sanctus Gibrianus, donec ecclesia Montis Dei consummaretur, » quam octo post fundationem annis Samson archiepiscopus Remensis solemniori apparatu consecravit, ut ante non ita plures annos, fracto altari, ex sequenti innotuit inscriptione :

Dorland. in Chron. Ord. Cart.

Ubi sup. cap. 42.

* S. Gibrianus, *de quo infra.*

Ex mss. ejusd. Dom. et apud Sammarth. in Archiep. Rem.

Anno Domini MCXLIV dicata est
Ecclesia ista a Samsone archiepiscopo
Gosleno Suessionensi episcopo et Milone
Tarvanensi episcopo.

Vitæ S. Gibriani sriptores.

Sancti Gibriani vitam et miracula, ex abbatiæ S. Remigii Remensis codice, et historiam ejus translationis ex Catalaunensi diœcesi ad vicum Balbiacum et inde Remos ad jam dictum monasterium, edidere Bollandi Continuatores. Hi

Boll. ad diem 8 maii.

ANNUS 1137

* Melius MCLXV.

præterea dicunt aliam esse sacri corporis in novam capsam anno MCXIV* translati historiam, quam alibi se daturos promiserunt. Eamdem vitam Ganneronius jam citatus composuit iisdem usus autoribus et codicibus, et maxime ejusdem miraculorum historia, quam dicit hactenus asservatam penes Confraternitatem S. Gibriani apud S. Remigii archimonasterium, quam eamdem esse puto quæ præfatorum Bollandi Continuatorum curis prodiit. Multa etiam laudatus monachus fatetur se desumpsisse ex Historia tertia translationis ejus, quæ videtur eadem esse pro qua impetranda nominati scriptores multam operam incassum posuere. Joannes Dagoneau Montis Dei etiam monachus sancti Gibriani gesta gallico idiomate conscripsit. Porro ut ejusdem Cartusiæ accolæ S. Confessoris benignitati ac benevolentiæ responderent, ipsum in suæ domus patronum sibi adsciverunt, ejusque festum quotannis celebrandum sub trium lectionum officio primum decreverant. Sed cum hoc non satis condignum videretur tantis ab eo acceptis beneficiis, a Patribus Capituli generalis obtinuerunt ut eum cum ritu *Capituli,* ut vocamus, deinceps venerarentur. Denique haud ita pridem sacellum ad memoriam SS. Remigii et Gibriani ibidem erectum est, a Gabriele a S. Maria Remorum archipræsule dicatum.

Ejusd. festum apud Mont. Dei celebratur.

Act. Cap. gen. an. 1571.

Circa an. 1629.

PETRUS VENERABILIS AD PRIOR. CARTUSIÆ SCRIBIT.

III. Hoc anno, vel sequenti, quantum assequi conjectura possum, Petrus Venerabilis subjectam ad Hugonem Cartusiæ Priorem et cæteros Fratres scripsit epistolam amicitiæ sinceræ argumentis refertam, in qua benigne conqueritur quod intimum amoris sensum quem in Guigone fuerat expertus, in eo non reperiat.

Epist. Petr. Clun. Lib. 5. Ep. 35.

« Venerandis et Carissimis nostris Domno Priori Cartusiæ et Fratribus cæteris, Frater Petrus humilis Cluniacensium abbas eamdem quam sibi salutem. Agnosco quid vobis debeam, agnosco quod præ cunctis mortalibus Religioni deditis nec ecclesiæ nostræ voto professionis astrictis, vos semper in Domino carius dilexi, colui, veneratus sum. Feci hoc hucusque, facio adhuc, faciam quamdiu fuerit spiritus in naribus meis. Causa hujus mei erga vos amoris Christus

est, quem, quia in ipso personaliter non possum, in vasis ejus, hoc est in vobis in quibus habitat, ipsum diligo, amplector, honoro. Scripsit mihi veneranda Charitas vestra ut quosdam Ambrosianos libros vobis mitterem. Dulce fuit quod mandastis homini expectanti sæpe a vobis literis vel nuntiis visitari. Concupiscit quidem hoc semper, sed raro quod desiderat assequitur. Facio quod scripsistis, mitto quod mandastis. Sed quibus ? Literæ quas misistis libros tantum sonabant, sed quibus mitterentur tacebant. Non sic (ut aliquid querelæ familiaris apud familiares deponam), non sic piæ sanctæque memoriæ Domnus Guigo Prior scribebat ; sed epistolari more salutatione præmissa, affectum benigni cordis congruenter verbis subsequentibus indicabat. Sed fortasse verbosi apud nos esse timuistis ; vel ne ipsi verbosi essemus, brevitate tanta monuistis ? Cogitastis forte, etsi non dixistis, quod sanctus Job amicis suis : verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus. Sed ut aliquid vel figurate vel in veritate loquar, ad utrumque respondeo : quia quantum ad animi mei affectum attinet, si semper loqueremini, taciturni esse videremini ; si semper vobis loquerer, mutus mihi viderer. Mittite per præsentium latorem vel quemlibet alium, fidum tamen, vadimonia librorum quos misi ; non quod inde major conservandi eos securitas detur, sed ut jussio sancti Patris nostri Hugonis de talibus facta servetur. Valete memores nostri semper in Domino. »

ANNUS 1137

Nec Majoris Cartusiæ solum, sed et Portarum monachorum amicitiam Petrus ambiebat, quos etiam beneficiis temporalibus sibi devinciens, quemdam redditum suis a nostris debitum gratis remisit scripto brevi hoc instrumento :

Idem Abbas erga Portens. beneficus.

« Noverint universi tam præsentes quam posteri, quod ego F. Petrus Cluniacensis abbas, Dominis et Fratribus nostris Portensibus in perpetuum dimitto.... obolos quos pro censu reddebant........ Quatenus deinceps pro hac re non possint ab aliquo inquietari. Dignum enim est ut quanto circa Domini servitium sunt intenti, tanto circa eorum perpetuam quietem, quantum ad nos pertinet, simus solliciti. »

Ex Cartul. Portar. fol. 48.

54

ANNUS 1137

PORTENSES CARTUS. BONA EXTRA TERM. POSITA SUO LARGITORI REDDUNT.

IV. A biennio vidimus virum nobilissimum Richardum de Benuncia, præfatis Portarum monachis quemdam locum post certum tempus præfinitum, et sub quibusdam solum conditionibus ab eis possidendum dedisse. Hunc vero cum postea eisdem absolute dimisisset cum potestate eum cuilibet distrahendi; hi ne terminos, extra quos situs erat locus, sibi et suis successoribus tam religiose et libere constitutos transgrederentur, aut nimis viderentur rerum terrenarum cupidi; donum suo benefico largitori satius restituendum decreverunt; ac reipsa sancta magnanimitate, ac omni veneratione et imitatione digna, restituerunt scriptis hujusmodi literis :

Ex eod. Cartul. fol. 19.

« Notum sit, etc.; quod Richardus de Benuncia, concedente uxore sua Loreta et filiis suis Guillelmo et Guigone, consobrini quoque ejus Nantelmus et Petrus cum uxore prædicti Nantelmi, per manum Domni Hugonis Gratianop. episcopi et Domni Airaldi Maurian. episcopi, multis tam clericis quam laicis ac fœminis, partim dederunt partim vendiderunt : Ricardus ducentis et sexaginta solidis et uno mulo, Nantelmus et frater ejus centum et novem solidis, Deo et B. Mariæ et Fratribus Portarum pro remedio animarum suarum et parentum quidquid possidere videbantur in.... Hunc autem locum quem prædictæ Domui pro sui Ordinis consuetudine retinere et possidere minime licuit, attendentes jam dicti Fratres Ricardi devotam largitatem ac benignissimam familiaritatem, habito consilio dignum adjudicaverunt ei potius, qui tam largus tamque munificus sibi extiterat, eumdem locum reddere, quam multo inde accepto pretio in jus alienum eum transfundere. Dederunt igitur prædicto Ricardo et successoribus ejus quidquid dono vel pretio in.... videbantur habere pro investitura XII nummorum, quos semel jam censualiter in Pentecoste læto corde et plena fide prædictus Ricardus Fratribus Portarum persolverat; retenta terra de..... ad concambium faciendum his qui infra terminos eorum prata vel terras possidebant. Hanc tamen largitionem sub tali sponsione atque conditione fecerunt, ne ipse Ricardus vel successores ejus in perpetuum, alicui Ecclesiæ

vel cuilibet affinitissimo vel cuiquam personæ dare, vendere, pignorare, commutare, seu quoquo modo alio, absque eorum provida consideratione et exquisita concessione, ab eis alienare possint. Quod ut firmum esset Ricardus et Guillelmus filius ejus super sanctum Evangelium, ante Corpus Dominicum, superque multorum Sanctorum Reliquias solemniter ac devotissime confirmarunt. Sic de manu B. Prioris, præsentibus aliquibus Fratribus cum nonnullis aliis alacriter donum susceperunt : Boso procurator, Pontius et Stephanus de Calmeto et Nantelmus tunc Novitius; Bonuspar, Ainardus, Ungrinus, Gerardus, Fratres laici. Boso presbyter de Benuncia, Guillelmus præpositus Benunciæ, Andreas de Onglatis, et Borno de Chinins armiger tunc prædicti Ricardi. »

ANNUS 1137

QUIDAM CONVERSUS SANCTITATE FLORET.

Sutor lib. 2. tr. 3. cap. 5.

Dorland. l. 4. c. 3.

V. Eodem tempore (ut asserit continuator Chronici Cartusiæ) fuit quidam Conversus qui juxta nomen suum morum conversioni diligenter incumbens, obedientiæ, humilitati cæterisque virtutibus tanto studio dabat operam, ut præter Christum Jesum et hunc crucifixum, ipsiusque Crucifixi Matrem benedictam (cui devotissimus erat) nihil scire vel sapere putaretur. Sed devotam hujus Conversi historiam Petri Cluniacensis, qui eum cognoverat, verbis referamus. Ait igitur :

Petr. Cluniac. lib. 2. Miracul. cap. 29.

« Fuit ex eorum numero, non quidem Monachorum sed Conversorum, Conversus quidam humilis genere, juvenis ætate, sed moribus generosus et vitæ sanctitate provectus. Hic toto studio obedientiæ, humilitati, mortificationi omnem quam poterat operam adhibens, mundum sibi seque mundo non solum crucifixerat sed etiam sepelierat. Amori divino et specialiter memoriæ Matris Domini ita se totum devoverat, ut a bonis viris ipsum vitamque ejus cognoscentibus, nihil scire judicaretur nisi Christum Jesum et hunc crucifixum, sacramque ipsius Crucifixi Matrem ac perpetuam Virginem, humanæ salutis singularem post Domini amatricem, Mariam. His studiis a conversionis suæ principio cœptis magis ac magis insistens, et in hac nostra, juxta psalmum, lacrymarum valle de virtute in virtutem proficiendo, ascen-

ANNUS 1137

siones in corde suo disponens, antiqui et communis hostis invidiam contra se velut novam ac specialem concitavit. Nec jam occulte sed palam quantum perditus ille perditionis humanæ sit avidus ex seipso monstravit.

A dæmonibus infestatur.

« Jacebat quadam nocte in cella sibi, ut talium mos est, ad laboris solamen et orationis secretum designata. Et ecce in multo jam processu noctis, ipsi adhuc vigilanti et cœlestia meditanti, dæmonum turba in specie porcorum agrestium apparuit. Furebant ubique per totam cellam, et discursu insano, rictu horrendo, dentibus longissimis ac velut in necem ejus exacutis, pavefactum ac trementem hominem circumstabant. Sudabat ille, ut mihi relatum est, præ timore et quasi jam jamque a bestiis discerpendus nil nisi mortem ultimam præstolabatur. Talia eo patiente adauctus est metus, et quemdam enormis magnitudinis hominem, ut ex cordis sui judicio sibi videbatur, dæmonum Principem, cellam illam in qua ista fiebant conspicit intrantem. Qui primo ingressu suo ad porcos : Quid, ait, segnes facitis ? cur jam hunc non rapuistis ? cur non discerpsistis ? Quod dicis, inquiunt porci, magno conatu facere nisi sumus; sed cuncta tentantes, nihil facere potuimus. Ego, inquit, jam faciam quod vos desides facere non potuistis. Quo dicto, uncum ferreum longis ac recurvis ungulis terribilem manu minaci prætendens, atque ad virum Dei rapiendum immo ad discerpendum adaptans, eum nimio terrore pene mente excedere coegit. Sed Deus, cui bonus vir ille supplicando dicebat : Ne nos inducas in tentationem sed libera nos a malo, tentationem tam duram non est passus ultra procedere; sed multa misericordia, qua semper suis providet, eduxit eum a tentatione et liberavit a malo.

Recreatur visione B. Mariæ Virginis.

« Mox enim ut nequam ille manum ut dictum est ad eum rapiendum, et uncum, ut videbatur, ferreum ad eum discerpendum extendit; statim omnipotentis Filii Mater vere, ut dicimus, misericordiæ, in qua ille, sicut dictum est, totam spem suam post Deum posuerat, visibiliter adfuit ac virga levi manu prætensa : Quomodo, inquit, huc detestandi venire ausi fuistis? non est, non est hic vester; nec jam contra eum

in aliquo prævalere poteritis. Dixit, ac dicto velocius totum illud infandum collegium ut fumus evanuit. Perstitit illa post dæmonum fugam cum homine adhuc tremente, eumque his verbis consolata est : Placet, inquit, quod facis, tuique animi devotionem Deo mihique gratam esse noveris. Fac ergo quod facis, et de his ad meliora perseveranter proficere stude. Et ut tibi aliquid singulare in mandatis tradam, stude vilibus escis, complectere abjectas vestes, operi manuum devotus insiste. His animatum hominem Virgo relinquens, cœlos repetiit. Istud de hoc bono viro miraculum. Aliud isto non inferius sequitur.

ANNUS 1137

VI. « Rusticus quidam pauper, sed paupertate devotionem fidei ejus non impediente, se bonis illis viris de quibus sermo præmissus est in amicitia junxerat, eisque non minimum familiaris erat. Diligebant enim illi in ipso non solam, quæ quantum ad animæ salutem spectat nihil prodest, rerum pauperiem, sed beatam spiritus paupertatem de qua Dominus : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. Ea de causa eum quanto erga Deum devotiorem sentiebant, tanto ut magis familiarem sibi associabant. Inde contigit ut duos ejus filios et parvulos susciperent et in Religione sancta, patris post Deum maxime causa, educarent. Horum unus non multo post tempore elapso defunctus alterum superstitem dereliquit, quem religiose educare et instituere volentes, supra dicto bono viro, cui mira quæ præscripsi ostensa fuerant, ejus curam committunt. Nec segnis ille mandatorum executor puerum commendatum suscipit, enutrit ac sacro Religionis lacte, quo ipse educatus in viriles annos evaserat, eum imbuens, nihil rerum terrestrium sapere, nihil eorum quæ in terris sunt diligere, brevi edocuit. Cœlum mente conspicere, cœlestibus inhiare, ad Christum cœli et terræ Deum et Dominum totis animi viribus anhelare, quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram, ubi Christus est in dextera Dei sedens, juvenem sibi creditum bonus doctor edocuit. Edoctus ille ab eo, non in vanum laborasse doctorem suum, ut quidam indisciplinati faciunt, ostendit. Sed ut

PARVULI PAUPERES IN CARTUSIA.

Præfati Conversi curæ committunt.

ANNUS 1137

a quodam satis noto dictum est, recens testa semel cœlesti sapore imbuta, odorem inde contractum, non diu tantum, ut ille ait, sed semper quoad vixit servavit.

Unus eorum pie moritur.

« Sed placuit Deo ne puer tam bene educatus, tam sancte edoctus diu particeps mortalium fieret, vel aliquem de ipsorum diuturno consortio nævum contraheret. Raptus est igitur ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio (quæ quibusdam etiam religiosis quandoque familiaris esse solet) deciperet animam ipsius. Præveniens ergo in moriendo discipulus magistrum, bonam quidem spem salutis suæ, sed cum eadem spe magnum illi ac pene intolerabilem de morte sua dolorem reliquit. Acceperat quippe illum a Priore suo, ut jam dictum est, ad educandum; sed ejus bonos mores sanctamque intentionem intuens, admirans et amplectens, eum non solum ut commendatum sed ut filium unice diligebat : atque idcirco ejus tam celerem, imo quasi furtivum de mundo recessum pene assidue dolendo deflebat. Eo tractus affectu, orabat continue pro ipso; psalmorum quidquid noverat, Deo quotidie profundebat, nec satiari orando, psallendo, mœrendo pro ipsius anima poterat. Cumque hæc tam devoti animi sui tam pia studia, nullo fere tempore intermitteret, nec ab his quantum facultas dabatur cessaret; volens Deus hominem suum aut a tam duro labore relevare, aut cujus meriti vel ipse vel puer illius esset ostendere, dignum fecit eum visione cœlesti qua et ipse consolaretur, et quid de ipso vel puero sentiendum esset legentibus sive audientibus proderetur.

Magistro apparet conscendens in cœlum.

« Pernoctabat aliquando sub dio bonus vir, ut sæpe consueverat, ac spiritum cœlo intentum ab orationis labore vel studio, ut de magno Martino legitur, non relaxabat. Cumque defixis non solum mentis sed et corporis oculis in cœlum, Deum, ut homini erat possibile, super æthera quæ visui corporali obstabant, contemplaretur : ecce subito per medium, velut per medium discissi aeris, lux longe omni corporea luce clarior ei de supernis infulsit, eumque ac loca sibi circumposita splendore immenso perfudit. Et ut servi sui votis ille qui voluntatem timentium se facit satisfaceret, conspicit

ANNUS 1137

dilectum puerum, imo in Deo filium suum, de cœlis cum eadem luce descendere, atque usque ad se lætum et radiantem venire; et in insueta visione gaudio simul et timore turbatus hærebat. Atque is qui apparuerat puer : Quid, inquit, turbaris ? An non cognoscis filium tuum ? Redi ad animum, et mecum, ut solitus eras, loquere. Sed ut ea quæ circa me aguntur tibi aperiam, noveris multum profuisse mihi, quod me tam tenere Dei causa dilexisti, quod morti meæ tam benigne compassus es, quod pro me tam sollicitas et continuas Deo preces fudisti. Amodo per Dei gratiam noveris me ad illum statum pervenisse, ut sicut tu hactenus mihi profuisti, sic ego tibi amodo apud ipsum prodesse valeam. Dixit hoc et statim unde venerat paulatim eo conspiciente regredi cœpit. Referebat autem ille hujus visionis inspector, quod dum a se discederet cœlumque conscenderet, non aversa facie, vel huc vel illuc conversa ut valefacientes solent, recessit; sed sicut ei collocutus facie ad faciem fuerat, sic semper ad se converso vultu ad superna tendens tamdiu permansit, quousque, ut de Martino jam dicto legitur, patente cœlo receptus, videri ultra non potuit. Quæ visio in hoc forte visioni illi præponderat, quod Severus Sulpitius illam sicut ipse perhibet, licet matutinis horis leviter dormiens, tamen dormiens vidit : hanc autem iste non dormiens sed vigilans, sub dio positus atque orationi toto corde intentus, conspexit. »

Hactenus Petrus Venerabilis. « Hæc porro historia, ut habet citatus Chronici continuator, in eadem Domo publice reperitur per scripturam » ; ita ut ex utrovis eam recentiores acceperint, Dorlandus scilicet, Sutor et alii.

TERMINI DOM. MONTIS RIVI CONSTITUUNTUR.

VII. Hoc pariter anno Cartusienses Montis Rivi juxta Guigonis Consuetudines, quas paulo ante velut sui Propositi regulam admiserant, terminos extra quos nec sibi nec suis successoribus quidpiam acquirere liceret, suæ Eremo præscribi et ab Episcopo Massiliensi approbari curaverunt. Quod ille in hunc modum præstitit : « Quoniam, totius bonitatis autore et bene agendi inspiratore subveniente, Fratres in Monterivo conversantes, ad perfectionis culmen de die in diem non me-

Ex tabular. ejusd. dom.

ANNUS 1137

diocriter insudantes, omnibus seculi hujus illecebris posthabitis pervenire indesinenter nituntur; ipsa ratio videtur exigere, ut quæ ad ipsorum institutiones congrua fuerint ab eis petita, nullam eos pati repulsam, nec tam excellenti frustrari petitione. Ego igitur Raymundus Ecclesiæ Massiliensis episcopus ac præpositus necnon alii ejusdem Ecclesiæ Canonici, Petro Guiraldi prædictorum Fratrum Priori aliisque Fratribus et eorum successoribus secundum consuetudines Cartusiensium degentibus, quæ petunt et impetrare desiderant donamus, scilicet ab omni censuali actione facimus immunes.... Et ea quæ infra terminos eorum continentur, hujusmodi terminis ambiuntur, videlicet a Ragio, etc. Actum est istud memoriale in Massilia civitate, et collaudatum a præfato Massiliensi Episcopo totaque Synodo, secundo nonas Februarii, luna octava, anno Domini MCXXXVI » ab Incarnatione inchoato, ut ex luna conjicimus.

S. BERNARDUS EXEMPLUM CARTUSIENSIUM ET ALIORUM OPPONIT SCHISMATICO.

VIII. Hoc ipso anno S. Bernardus ab Innocentio accersitus, ad Rogerium Siciliæ regem Anacleti Pseudo-Pontificis fautorem mittitur, institutaque disputatione cum Petro Pisano cardinali schismatico de legitima Innocentii electione, Cardinalem ipsum convictum persuasit schismati renunciare, Rege in errore licet obfirmato. Hoc in colloquio sanctus Abbas suorum non est Cartusiensium oblitus, quorum et aliorum Ordinum exempla schismaticis opposuit dicens : « Arca quam regit Petrus (videlicet Anacletus, prius vocatus Petrus) si ex Deo est, necesse est ut arca quam regit Innocentius obruatur. Peribit ergo Orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus ! » Et paulo post : « Religio Camaldulensis et Cartusiensis, et Cluniacensis et Grandimontensis, et Cisterciensis et Præmonstratensis, aliaque innumerabilia servorum et ancillarum Dei collegia, necesse est ut sub uno turbine corruant in abyssum ! »

Vita S. Bernard. lib. 2 cap. 7.

JESU CHRISTI

ANNUS 1138.

Innocentii PP. II	Ordinis Cartus.	Hugonis Pr. Cart. I
Ann. 9.	Ann. 55.	Ann. 2.

I. SEQUITUR annus humanæ salutis millesimus centesimus trigesimus octavus, Indictione prima, quo Hugo Prior Cartusiæ, ne suum regimen quod brevi deserere meditabatur sterile foret, Cartusiam unam suscepit. Hæc est Domus Valonis in Focunatio*, olim sita inter Clausulas* primarium ejusdem Tractus oppidum, et aliud dictum *Vaux-d'aux,* ab utroque duabus vel tribus leucis distans, in diœcesi Genevensi. Ejus fundationem ad hunc annum referunt omnes Domorum Ordinis indices ms. et ex eis noster Alfaura, et quidam alii. Ejus Fundatores dicuntur Domini de Longino, de Servanco, et Balansone sive Valansone. Hos præter, alius etiam fundator putabatur Aymo de Fossiniaco, cui tantum benefactoris titulum censemus tribuendum, quod ex Domus Repausatorii Fundationis literis (quam ipse postea fundavit), apertissime constet illum ante præfatum annum nullam construxisse cartusiam. Sic enim ibi legitur: « Notum sit omnibus quod ego Aymo de Fulciniaco, multum desiderium et promptam jam a multo tempore habens voluntatem, quatenus pro animæ meæ salute......... Domum Cartusiensis Ordinis in meo ædificarem et construerem territorio, tandem a Domino exauditus......... ad optatum hujus rei effectum perveni, etc. »

DOMUS VALONIS FUNDATUR.

Alfaura in Orig. Cart.

* *Fossigny.*

* *Cluses.*

Fundatores.

Benefactores.

Rodolphus de Thoria, filius Raymundi de Fossiniaco fratris germani præfati Aymonis, fuit etiam Benefactor hujus

ANNUS 1138

Domus, cui sequentem fecit donationem cujus instrumentum extat in *Bibliotheca Sebusiana* sub sequenti forma :

Biblioth. Sebusiana Centur. 1. cap. 21.

« Ego Rodolphus de Thoria, pro remedio animæ meæ et pro anima patris mei Raymundi de Fulciniaco, dedi et concessi unam caballatam [id est, quantum equus vehere potest] vini puri in vinea mea de Mouvant, Domui de Valone annuatim persolvendam, ut inde celebrentur Missæ in Domo Valonis. Actum anno MCCXXXIV, apud Bossie, mense Decembri. »

Ex notis Guicheno.

Præfatus Rodolphus in his literis alio cognomine designatur quam paterno, ex corruptela sive ex consuetudine seculi, qua filii ditionum suarum nomina ut plurimum usurpabant. Ejusdem Rodolphi de Thoria nobilis posteritas adhuc hodie durat in Fusciniacensi agro, in dynastis de Boussy, Bellecombe et Arbasenier.

Donationum confirmationes et concessiones factæ sunt huic Domui a multis, præsertim a Sabaudiæ Ducibus (quibus nunc Fulciniacum subest), inter quos Philippus Sabaudiæ et Burgundiæ comes, datis literis anno 1278, tertio decimo Calendas Augusti ; Amedeus comes Sabaudiæ dux Chablasii, anno 1410 ; Ludovicus dux Sabaudiæ, Chablasii et Augustæ, anno 1446. Petrus quoque Sabaudiæ comes, testamento suo scripto anno 1268 in festo S. Joannis Evangelistæ ante portam Latinam, reliquit Valonis Domui viginti libras decessitque eodem anno ; de quo postea plura dicturi sumus.

Ab hæreticis occupatur.

Stetit hæc montana Domus et floruit per quatuor secula et amplius, non tam divitiis quam virtutibus affluens, ad annum 1543 quo penitus ab hæreticis Bernensibus eversa est. Postea sub initium seculi decimi septimi, autoritate serenissimi Principis Caroli Emmanuelis ducis Sabaudiæ, Ordini restituta, anno videlicet 1607 apud Ripaliam translata est, ut suis dicemus locis.

CARTUSIA MOLESTATUR A VICINIS.

II. Circa hæc tempora quidam erga Matris Cartusiæ monachos male affecti, cum fodinam ferrariam in quadam rupe investigassent, Guigoni de Bellacumba uni ex donato-

ribus ejusdem rupis suggesserunt illius fodinam hanc esse debere, obtentaque ab eo licentia, eam aperire cœperunt. Quo audito Cartusiæ Prior ita viriliter tuitus est rupis omniumque ad eam pertinentium possessionem, ut fere eodem tempore fodina ingesta humo completa est. Horum omnium fidem facit Charta inde confecta, quæ in Cartusiæ Tabulario extat sub sequenti tenore : ANNUS 1138

« Guitfredus Vetus, et nepotes ejus Guitfredus Pinnatus et Guigo frater ejus cum uxoribus et filiis suis, alpes de ..... dederunt Fratribus habitantibus et servientibus in eremo Cartusiæ. Postea autem pluribus transactis temporibus, exorti sunt quidam pestilentes viri, et spiritu cupiditatis inflammati adierunt præfatum Guigonem, et tantum ei insibilaverunt tantumque eum instigaverunt quoadusque dedit eis licentiam quærendi menam ferri in præfata alpe. Qui statim quærentes et invenientes foderunt, et quod desiderabant repererunt. Quod cum cognovisset Prior cæterique Fratres Cartusiæ, continuo Prior, licet prægravatum nimia senectute et corporali infirmitate, ad prædictum Guigonem, Stephanum cum socio misit; quem cum non invenissent, apud Bellamcumbam descenderunt et per planitiem inferius prosequentes, lassi et jam pene defecti tandem prope Gratianopolim eum invenerunt. Qui objurgatus a Stephano et reatus sui conscientia, pœnitentia ductus damnavit quæ fecerat, et promisit et contestatus est si pro mena ferri inveniretur mena auri, non se ulterius hoc concessurum.

« Audiens autem hoc quidam ministralis illius nomine Lodovicus, assumptis secum robustissimis viris ad fossam venit, et grandibus et immensis rupibus eam implevit et omnino obstruxit. Deinde vero Domnus Hugo Gratianopolitanus episcopus, facto magno conventu multarum parrochiarum apud Cartusiam, illos laudavit ac benedixit qui hoc destruxerant. Eos autem qui hoc fecerant, ductos pœnitentia nudos verberavit, et ne quisquam ulterius existeret qui hoc præsumeret, excommunicavit. »

Quo anno data est Charta.

Nec dies nec annus signantur in prædicta Charta, quam

ANNUS 1138

tantum constat datam fuisse, Hugone Gratianopolitano episcopo, sive ille fuerit sanctus promotor noster, sive illius successor; sed certum datæ Chartæ tempus penitus est difficillimum astruere. Rupis donatio a pluribus annis jam facta fuerat; postea sub Guigone Priore Cartusiæ, orta est dissensio inter incolas villæ Cartusiæ, ut alibi diximus : unde patet quod ultima hæc dissensio mota sit temporibus ejusdem Guigonis vel Hugonis ejus successoris, aut etiam S. Antelmi, non vero serius; quandoquidem Hugo secundus Gratianopolitanus antistes ad Sedem Viennensem translatus est, eodem Antelmo in Cartusia præsidente. Notandum vero Stephanum qui in eisdem literis dicitur « prægravatus nimia senectute », forsan unum esse ex duobus Stephanis S. Brunonis sociis; nihil enim huic conjecturæ contrarium objici potest. Stephanum Burgensem obiisse anno 1118 ibidem diximus; ac propterea ad Stephanum Diensem referenda essent quæ in præfato instrumento leguntur.

BERNARDUS CARDINALIS ORD. CART. MORITUR.

Hist. mss. Ord. cartus.

III. Moritur hoc anno Bernardus cardinalis tituli S. Chrysogoni, Majoris Cartusiæ olim monachus, ad hanc dignitatem ab Innocentio II promotus. Patris hujus purpurati meminit noster Molinus in sua Historia his verbis : « In variis Ordinis monimentis asservatis in bibliotheca Cartusiæ, floruisse dicitur Bernardus cardinalis, monachus dictæ Cartusiæ, summa sanctitate vitæ et probata doctrina, quem Innocentius Papa II ideo ad tam altum honoris locum evexerat, sed spem tanti Pontificis et universalis Ecclesiæ fefellit præproperæ mortis eventus, quinto Idus Augusti ut refert vetustissimum Calendarium cartusiæ Portarum, sub his verbis : Bernardus presbyter tituli Sancti Chrysogoni, nostræ Congregationis monachus, obiit in vigilia S. Laurentii anno 1138; cujus corpus Romæ magnifice conditum quietem accepit. »

Theophyl. Rayn. in Brunon. stylita, punct. 10. § 8.

Post Molinum et ex eo mutuatus, Theophylus Raynaudus ejusdem Bernardi habet mentionem in suo *Brunone Stylita*. Horstius in Notis in epistolas sancti Bernardi, de Bernardo Cartusiensi et Cardinali commemorat, ex manuscripto codice in quo hæc de eo legisse testatur : « sciendum est duos

extitisse Bernardos in Domo Portarum, unum Priorem, alterum sub Priore qui et postea Cardinalis fuit, etc. » Sed nostrum Bernardum Cartusiæ professum confundit cum Bernardo Portarum professo, de quo annis superioribus diximus quemque nusquam legimus fuisse ad Cardinalis dignitatem promotum. Istum Bernardum cardinalem Ciaconius non novit, apud quem duos reperio tituli S. Chrysogoni Cardinales his temporibus : Joannem Cremensem a Paschali II creatum et sub Innocentio II defunctum post annum 1133, quo subscripsit bullæ in Attonis episcopi Pistoriensis gratiam 12 Calendas Januarii concessæ. Nec posthac nomen ejus, nec cujuspiam Cardinalis tituli S. Chrysogoni in aliis bullis habetur usque ad præsentem, quo Guido Bellagius ab Innocentio cardinalis nominatus titulum eumdem est assecutus, juxta citatum Ciaconium. Unde verisimile est nostrum Bernardum ad hanc dignitatem post mortem Joannis Cremensis evectum paulo post obiisse, in ejusque locum Guidonem Bellagium statim fuisse cooptatum.

Ciacon. in Pasch. II et Innoc. II.

Tom. 10 Concil. Labb. Epist. 3. Innoc. II.

IV. Aliquot post mensibus, die videlicet vigesima prima Novembris obiit Secherius sive Sicherius Magister Eremi sancti Brunonis in Calabria ; cui successisse probatur Andreas, qui ab Innocentio II confirmationem obtinuit Privilegiorum Urbani, Paschalis et Calisti ejus antecessorum. Hujus Confirmationis bullarum exordium sic se habet : « Innocentius servus servorum Dei, dilecto filio Andreæ Magistro et Dispensatori sanctæ Mariæ de Turre, etc. Datum anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIX (alibi legitur MCXL et quidem melius), Indictione tertia, quinto Idus Januarii. » Idemque Andreas anno 1144, 5 Novembris, impetravit amplissimum privilegium a Rogerio Siciliæ Rege, comitis Rogerii filio, quo patris sui privilegia approbat et rata habet. Obiit Andreas anno 1150.

ITEM SECHERIUS CALABRIÆ MAGISTER.

Constantii ms.

Surianus in Annot. in vitam S. Brunonis.

V. Hoc pariter anno decessit Gaufridus Carnotensis episcopus, magnum Ecclesiæ lumen, a sanctis Bernardo Clarevallensi et Petro Cluniacensi abbatibus aliisque hujus temporis viris illustribus, præclarissimis celebratus præconiis.

ET GAUFRIDUS EPISC. CARNOT.

ANNUS 1138

S. Hugoni carus.

Vita ms. Hug. Ep. Grat. et apud Sur.

Sancto Hugoni Gratianopolitano quondam episcopo carissimum fuisse constat, ex his quæ noster Guigo in hujus Beati viri Vita narrat, ad Innocentium Papam sic scribens : « Carnotinus etiam episcopus Dominus Gaufridus, servo Dei ex quo notus singulariter etiam carus, post visitationem (quam ei tanto gratiorem quanto magis desideratam exhibuerat) Valentiam ubi tunc eratis ad vestri præsentiam reversurus, cum quid ex sua vobis parte dici præciperet quæreret, ait ille ut pro se vestra Benignitas Dei clementiam exoraret. Sed et hic cum quæreret quid pro se vellet orari ; ut Deus, inquit, in me mundanum extinguat et suum accendat amorem. » Ubi Gratianopolim accessit Gaufridus, audito postridie quod sanctus Præsul animam efflaverat, statim revertit ex itinere, ut illius interesset exequiis, ut suo diximus loco. Nec dubium quin aliquando ad Majorem ascenderit Cartusiam, Guigonem cæterosque Monachos invisurus, quorum viam austeram et sanctam omnes mirabantur ; nec ipse minus admiratus fuerat quando eorum litteras, sedente Concilio Remensi ac præsente Summo Pontifice Innocentio, magna cum veneratione legerat : quorum et sanctæ ac liberalis audaciæ testis fuerat, qua Patrum Concilii Jotrensis animos, cui ipse præsidebat, ad vindicandum B. Thomæ sanguinem per suas literas excitaverant.

V. sup. ad an. 1132.

Et Cartusiensium admirator.

V. sup. ad an. 1131 et 1133.

BERNARDUS DE PORTA FIT EPISC. BELLICENSIS.

VI. Circa hunc vel sequentem annum Bernardus cognomine de Portis cartusiæ Portarum Monachus, de quo jam alias diximus, in Episcopum Bellicensem eligitur et consecratur. Hic primum ab Innocentio II ad cujus aures virtus ejus et pietas, industria et charitate viri sui amici S. Bernardi Clarevallensis pervenerant, ad episcopatum quemdam in Lombardia vocatus, onus abs se deflexerat, Summum Pontificem ad illius preces dehortante eodem sancto Abbate per epistolam, in qua fatetur quidem nostrum Bernardum tali esse honore dignum, sed tali loco minus idoneum ; ideoque rogat ut alteri convenientius reservetur. « Dilectum, inquit, Deo et hominibus Bernardum de Portis, Pater venerande, vocatione vestra ad opus et onus episcopale cogi audivimus. Probabilis

res ac digna plane vestro Apostolatu, ponere in lumine lumen absconditum, nec sibi soli vivat qui et alios ad vitam trahere possit. Usquequo namque latet et ardet tantummodo qui et lucere valet? Levetur, si placet, super candelabrum ut sit lucerna ardens et lucens; sed sane ubi non prævaleat vis ventorum, ne forte, quod absit, extinguatur. Siquidem insolentia Lombardorum et inquietudo eorum cui non est nota? aut cui magis quam vobis? nobis melius nostis quam sit ille episcopatus dissipatus quamque domus exasperans. Quid putamus esse facturum juvenem viribus corporis fractum et quieti eremi assuetum, in populo barbaro, tumultuoso, procelloso? Quando poterit convenire tantæ sanctitati et tantæ perversitati, tantæ simplicitati et tantæ dolositati? Reservetur, si placet, congruentiori loco atque alteri populo; cui sic præsit ut prosit, et festinatione non pereat fructus quem poterit dare in tempore suo. »

ANNUS 1138

Cui vero Ecclesiæ Innocentius Bernardum tunc voluerit præficere, hactenus manet reconditum. Monet Ughellus in Papiensium Præsulum Catalogo posse fieri ut ad eamdem Ecclesiam regendam postulatus fuerit, post Bernardum Lunatum qui ab anno circiter MCX ad annum MCXXX ibidem sederat; siquidem Bossius ab Ughello citatus eidem Bernardo alterum ejusdem nominis dat successorem. Verum quia Bossius suum Bernardum cognominat Curtium, recte hinc concludit Ughellus non posse sine aliqua temeritatis nota asseri nostrum Bernardum eum fuisse qui Bernardo Lunato successerit. Idem cum Ughello sentio, sed verisimillimum est electionem de Bernardo de Portis in Papiensem episcopum fuisse tantum factam circa præsentem annum, post Petri mortem quem Ughellus anno MCXXXIII Lunato vel Curtio probat successisse. Hanc electionem suo consilio sanctus Bernardus, ut ex dictis patet, inanem reddidit. Nec diutius posthac sub modio latuit ardens hæc et adeo lucens lucerna. Eodem quippe tempore, ex placido suo secessu, in quo hactenus noster Bernardus privatus vixerat, abstractus, in pontificale Bellicensis Ecclesiæ solium evectus est.

Tom. 2 Italiæ Sacræ.

ANNUS 1138

Diximus eodem tempore, nam ante præsentem annum non potuit (ut quidam credunt) eidem Ecclesiæ præfici quam per id tempus adhuc regebat Berlio, ut ex Guichenone et Sammarthanis sic probatur. Ait ille Berlionem cum Petro Lugdunensi et Humberto Bisuntino archiepiscopis controversiam inter Widonem Lausannensem præsulem et Priorem Lustriacensem motam sedasse. Hujus compositionis literæ die et anno carent ; sed Girardo episcopo Lausannensi, anno MCXXXVII juxta Sammarthanos adhuc sedenti, videtur Wido tantum successisse anno præsenti, quo revera subscriptus legitur quibusdam Bisonticensium Ecclesiarum tabulis. Ac proinde sequitur Berlionem non obiisse aut abdicasse, nec nostrum Bernardum eidem successisse ante præsentem annum. Nec diu honorem sustinuit Bernardus; ad claustri namque quietem eum jam rediisse anno MCXLI videbimus ex literis Falconis Lugdunensis archiepiscopi eodem anno datis, in quibus Guillelmus illius successor nominatur. Sed qui sublimes dignitates præ humilitate fugerat, inferiores ex obedientia non recusavit suscipere. Electus enim in Portarum Priorem, eo in munere non detrectavit per tempus aliquod perseverare, ut suo dicemus loco. Guicheno et ex eo Sammarthani dictum Bernardum scribunt, non Berlioni sed cuidam Nantelio sive Nantellino ejusdem Domus Portarum post Berlionem episcopo successisse; sed hunc Nantelium sive potius Nantelmum, alium non esse a sancto Antelmo anno tantum 1163 electo tunc ostendemus.

Sammarth. in Episc. Lausan.

JESU CHRISTI

ANNUS 1139.

Innocentii PP. II	Ord. Cartus.	S. Antelmi Pr. Cart. I
Ann. 10.	Ann. 56.	Ann. 1.

I. ANNUS Redemptoris sequitur millesimus centesimus trigesimus nonus, Indictione secunda, quo Hugo Cartusiæ Prioratu quem duobus circiter annis rexerat deposito, ad amicam cellæ quietem rediit, ubi et aliquot post annis sancte obiit. De cujus abdicatione hæc habet Veteris Chronici continuator : « Cum Hugo circa duos annos gregem sibi creditum laudabiliter gubernasset, amore quietis et contemplationis, pondus prælationis atque sollicitudinem graviter ferens, misericordiam petiit et accepit; ac virum admirabilis sanctitatis et vitæ Domnum Antelmum monachum suum loco sui subrogari procuravit, circa annum 1139. » Ex his corriguntur qui sanctum Antelmum Guigoni scribunt successisse; cum revera successerit Hugoni, uti Hugo Guigoni.

HUGO PRIOR CARTUSIÆ ABDICAT.

Dorland. et alii.

Porro Hugonis abdicationem et Antelmi in ejus munus successionem uberius narrant in hunc modum Acta S. Antelmi : « Cum autem tempus adesset a Deo dispositum, quo non tam de se quam de aliis quamplurimis copiosiorem Deo redderet fructum vir devotissimus, cedente, imo cogente qui tunc erat Priore cum Fratribus, Prior assumitur. Fuerat Cartusiæ Prior, memoria dignus æterna, Guigo vir venerandus qui ob divinitus sibi collatam mellifluæ doctrinæ gratiam, hanc obtinet prærogativam ut *bonus Prior* nominetur ab eis qui de ipso loquuntur. Is Cartusiensis Ordinis

S. Antelmus succedit.

Vita Ms. Sancti Antelmi, et apud Surium.

ANNUS 1139

Religioni modum certosque statuit terminos ; nam Regulam ipse scripsit quam Consuetudines vocavit. Subditos instruxit verbo docens et exemplo. Solerti ac vigilanti cura cum sobrietate, honestate, religione, ad se pertinentia disposuit ; omnibus quoque se consulentibus utiliter consulens. Erat quoque vir prudens et ingenii velocitate mirabilis. Hujus memorandi ac nominandi viri ideo mentionem facimus, quia Dei famulus Antelmus Prior factus hunc imitari studuit, et secundum ipsius institutum subditos fecit conversari, et lapsa reædificare curavit ; intepuerat enim Ordo post decessum memorati Prioris. » Hujus teporis causam, quasi necessario et fere inevitabiliter ex luctuoso illo nivium et rupium casu, quo plerique et hi sanctiores a Cartusiæ conventu uno periere momento, emanasse narrat idem autor cum subjungit :

« Nec erat is qui fuerat fervor religionis seu rigor disciplinæ, quia deerant viri animo fortes ex quo beatus ille sanctorum conventus, paucissimis superstitibus, una similiter die sive hora præmium percipere meruere laboris : nivium cum terra et rupibus de altissimis montibus super cellas ruentium mole oppressi. »

STATUS CARTUSIÆ SPIRITUALIS IMMINUTUS.

II. Ecce jam per quinquaginta quinque et amplius annorum cursum, magnum nostrum horologium (ut comparatione verbisque utar nostri Reverendi Patris*) continuo, prosperoque ac regulari motu ad finem suum tetendisse vidimus, a recto non aberrasse nec ullam crassitudinem contraxisse aut æruginem. Unde non mirum si aliquando, ruentibus ex tanta et inopinata clade tum spiritualibus tum temporalibus ædificiis, aliquam passum sit remoram, et inde aliquantisper ipsa etiam nutaret observantia. Quod certe divinam permisisse Providentiam credimus, ut Antelmi industria, constantia, et in tuenda ac fovenda disciplina, animi firmitas patefierent. Ubi enim Cartusiæ regimen sibi creditum vidit, statim operam dedit tam ædificiis quam moribus instaurandis, ut habent eadem acta his verbis :

**R.P.D. Le Masson.*

A S. Antelmo restituitur.

« Studuit igitur novus Prior vetera morum magis quam ædificiorum renovare ; si quid sancti Ordinis pristina Religio

passa fuerit detrimenti, ad pridem institutam Regulam restaurare. Si quem factum negligentem vidisset ac contumacem, monitis, blanditiis, præceptis, minis, correptionibus emendare satagebat; incorrigibiles vero de medio auferre non dubitabat. Quidam etenim sanam doctrinam non sustinentes, qui sibi magni videbantur, malignæ mentis, rixosi, ausi sunt illi resistere, quorum non ferens arrogantiam, ne pacem quietemque turbarent, expellere non distulit. » Hunc Antelmi animum inexpugnabilem adhuc alibi experiemur. ANNUS 1139

Sed aliquid modo disseramus de pravorum monachorum expulsione inter nos his temporibus usitata et permissa, ut ex Guigonis Consuetudinibus apparet et ex similibus exemplis in his Annalibus aliquando patebit. Canon enim Apostolicus manifeste jubet « ut subtrahamus nos ab omni fratre qui inordinate vivit, nec illi commisceamur ut pudefiat. Omnibus quidem modis oportet infirmum curare et satagere ut luxatum membrum suo loco restituatur ; si vero in malitia permanserit, quæcumque illa sit, dimittendus est tanquam alienus. » Unde S. Hieronymus apud Gratianum docet malos ab Ecclesia esse eliminandos : « Resecandæ sunt, inquit, putridæ carnes et scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. » Sanctus quoque Augustinus in sua Regula vult ut qui correctionem ferre recusaverit, « etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur. » Non enim et hoc fit crudeliter sed misericorditer, ne contagione pestifera multos perdat. Sancti Benedicti Regula concordat S. Augustini Regulæ : « Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro abscissionis, ut ait Apostolus : auferte malum ex vobis. Et iterum : infidelis, si discedit, discedat; ne una ovis morbida totum gregem contaminet. » Hunc Regulæ rigorem omnes omnium Regularum scriptores secuti sunt, præter solum sanctum Isidorum Hispalensem, qui prohibet tales a monasterio projici, sed eos jubet juxta delicti qualitatem coerceri; hancque affert rationem : « ne forte qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari, dum projici-

Ab eo jure expelluntur contumaces.

Cons. Guig. c. 77.

Can. 24. quæst. 3. Can. Resecandæ.

August. in Reg. ad servos Dei.

Reg. S. Bened. cap. 28.

Reg. S. Isidovi. c. 16.

ANNUS 1139

tur, ore Diaboli devoretur. » At Sanctus Bernardus Regulæ adhærens, cuidam Abbati autor est ut postquam viis omnibus monachi cujusdam dyscoli emendationem tentaverit nihilque profecerit, ad Apostoli consilium confugiat dicentis auferte malum ex vobis. « Auferatur ergo malus, inquit, ne malos generet....... abscindatur ut ovis morbida a grege, ut putridum membrum a corpore ;...... et ne timeas esse contra charitatem si unius scandalum multorum recompensaveris pace. » In hoc S. Bernardus sanctum Eustasium abbatem Luxoviensem imitatus est, qui postquam salutaribus monitis et salubri antidoto Agrestini rebellis monachi mentem peste corruptam curare nequivit, a suo ac suorum contubernio eum segregavit.

Jonas in vita S. Eustasii apud Surium tom. 2. 29 Martii.

Tantam etiam vim habet sacra cellæ solitudo, ut Guillelmus sancti Theodorici Abbas, Epistolæ ad Fratres de Monte Dei autor, inter cellæ commoda recenseat quod reprobum ferre non possit ad finem usque, sed citius eum ejiciat. « Ideo, inquit, sicut dictum est, alienum qui non est filius citius a se projicit quasi abortivum, evomit tanquam inutilem ac noxium cibum, nec diu talem pati potest in visceribus suis officina pietatis, etc. »

Epistol. ad Fratres de Monte Dei cap. 4.

Honorius III scribens Abbatibus et monachis in Lombardia et Marchia Tervisina constitutis, sic statuit : « ipsi etiam Visitatores monachos quos contumaces invenerint et rebelles..... non parcendo rebellibus, ob suam pertinaciam vel potentiam amicorum, quin ovem morbidam ejicient ab ovili ne inficiat sanas oves. » Juxta quod S. Bonaventura docet quod « si Frater aliter vivit quam licet in Ordine, et sæpius correctus se non sufficienter correxerit ; si excessus occultus sit, toleretur....... Si vero excessus ejus graves fuerint et notorii...... debet ejici prævaricator voti et pacti sui ; » et cætera quæ prudenter ac eleganter tractat super hac materia. Nec ei contrarius est S. Thomas, cum dicit nullum esse nisi propter contumaciam expellendum.

Bonavent. quæst. 14. super Regul. Fratrum minor.

S. Thomas quodlib. 12. art. ultim.

Nihil igitur reprehensione dignum egit sanctus Antelmus, cum oves scabiosas ac viles a Christi grege, ne cæteras infice-

rent, dimovit. Habet enim facti sui vindices sanctos Patres Basilium, Augustinum, Benedictum et alios. Imo et Deus ipsius zelo ita favit, ut sub ejus regimine, non solum in Majori Cartusia sed etiam in cæteris Ordinis Domibus, accuratissima vigeret Cartusiensium constitutionum observantia, ut ex Vitæ illius autore discemus. Hunc S. Antelmi zelum successores ejus in expellendo dyscolos imitati sunt, quorum et animi firmitatem approbat et laudat Jacobus de Vitriaco cardinalis. « Hujus Religionis, inquit, rigor districtionis et districtio rigoris, tanquam fornax Spiritus Sancti aurum purgans et scoriam ex argento separans, falsos fratres diu retinere non potest. Non solum enim inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, qui in aliis Congregationibus aliquanto tempore valent subsistere et eorum observantias in angaria portare, arida cella et aspera conversatio cito evomit; sed quoscumque alios qui in veritate non ambulant, Regulæ severitas tanquam paleam citius exsufflat et abjicit; neque inter sanctos fratres, velut inter Paradisi arbores, abscondi seu latere longo tempore possunt. »

ANNUS 1139

Hinc Ordo Cartus. floret sub S. Antelmo.

Ejus zelum imitantur successores.

Jacob. de Vitriaco Hist. occid. c. 18.

IV. Causæ vero expulsionis, præter scelerata facinora, duæ præcipuæ exprimuntur in Decretorum Capituli generalis compilationibus sub Basilio et Jancelino factis. Prima est præfracta obedientiæ recusatio : « Quandocumque Procurator alicui Converso præceperit aliquid, et responderit non faciam, et admonitus noluerit se emendare, Procurator interdicat ei ecclesiam; et si sic non resipuerit, Prior de Ordine eum expellat. Idem de Monacho dicimus, si dicto modo Priori responderit et se noluerit emendare. » Sed paulo post additur : « Caveant tamen Priores nimis leviter expellere Monachos vel Conversos. » Altera causa erat, quando quis sine Capituli generalis licentia literas a Curia Romana emendicabat, de qua alibi plura dicemus. Has causas leviores existimans Humbertus quintus Prædicatorum Generalis Magister, postquam multa in Cartusiensibus laudavit, eos tamen arguit quod pro « minoribus excessibus quam alii Religiosi expellant de Ordine suo delinquentes. » Unde vult ut admo-

EXPULSIONIS CAUSÆ.

V. an. 1155.

ANNUS 1139

neantur rigorem disciplinæ temperare misericordiæ exhibitione.

An hodie liceat contumaces expellere?

Can. Impudicas 27. q. 1.

Cap. ne Religiosi de Regul. et trans.

Non parva tamen est hodie inter Doctores dissentio, an liceat Ordini inemendabilem monachum e gremio suo ejicere. Qui negant, suam tuentur sententiam ex Concilio Triburiensi quod statuit : impudicas personas monachorum atque monacharum a monasteriorum cœtu non quidem eliminandas esse, sed in suis ergastulis retrudendas. Et ex Gregorio IX qui decrevit Religiosos fugitivos et inobedientes esse requirendos et cogendos, ut ad sua monasteria revertantur. Ad hæc alii qui contrarium sentiunt, respondent monasteria non esse gravanda dyscolis et incorrigibilibus monachis, quibus incarceratio nihil prodest. At quidquid sit de hujusmodi responsionibus, standum est modo Urbani Papæ VIII Decreto pro Religiosorum incorrigibilium expulsione edito, in quo explicatur quis vere incorrigibilis censendus est. Quæ vero de hac materia nostris in Statutis occurrunt tum Antiquis tum Novis, consulat lector quæ passim habentur lib. 1. horum Annalium. Hanc autem paulo fusius persecuti sumus, quia in eumdem iterum lapidem inferius impingemus.

NOVITII NON PERSEVERANTES AD ALIUM TRANSIRE ORDINEM TENEBANTUR.

Consuet. Guig. c. 22 et 77.

V. Sed antequam ulterius progrediamur, juvat aliquid satis peculiare observare tum de Novitiis nostri Ordinis, tum de expulsis et fugitivis, quos post expulsionem et fugam redeuntes iterum recipere, nec ipsis nec Cartusiæ utile Guigo judicabat. Licentia quidem dabatur « ad aliquam aliam religiosam eundi domum in qua suam animam possent salvare »; sed non ita de Novitiis quibus non solum licebat ad Religionem aliam transire, si nostram post aliquod probationis tempus ferre non possent; sed etiam non vult admitti ad probationem « nisi sub tali sponsione, ut si forte nostrum nequiverit aut noluerit tolerare Propositum, ad seculum nequaquam redeat, sed aliquod potius aliud Religionis genus quod ferre possit accipiat. » Hic tamen erga Novitios rigor quibusdam posset videri votum aliquod supponere prius editum nostrum Institutum profitendi ; idque conjici potest ex Vita cujusdam Anonymi Domus Bellilarici professi monachi. Hic enim cum vovisset vitam

amplecti Cartusiensem, jamque terminus a Priore sibi fuisset assignatus quo habitum indueret, cœpit diversarum agitari tentationum tumultibus, et inter cætera hæc ipsi suggerebat tentator : « Certe uxorem de cætero ducere non poteris, hujuscemodi sponsione voti irrevocabiliter obligatus ; quin imo ad aliam, si non potueris istam sustinere, oportet te ex inevitabili necessitate transire religionem quamlibet mitiorem. Statimque subdit Vitæ illius autor : Tunc profecto temporis erat mos Religionis celebris, ut quicumque se voto intraturum Religionem astringeret, si nimis sibi durus Ordo videretur, ad alium saltem Ordinem leviorem descendere teneretur. » Sed forsan « votum » latius autor ille accipit, et pro simplici sponsione quam candidati sive Postulantes, ut vocamus, facere tenebantur juxta Guigonis Consuetudines, antequam habitum induerent. « Novitio itaque, inquiunt præfatæ Consuetudines loco citato, misericordiam postulanti dura proponuntur et aspera..... ad quæ si imperterritus manserit et immotus...... promptissime spondens, propter verba labiorum Domini, paratum se custodire vias duras, tunc ei suadetur....... et certus ei usque ad quem venire debeat, datur terminus...... » Spondebat igitur et ex tali sponsione, quam autor Chronici Bellilarici videtur designare voti appellatione, tenebatur ad Ordinem mitiorem transire, si propter tum virium tum voluntatis defectum inter nos non posset perseverare.

ANNUS 1139

Chron. Ms. Cart. Bellilar.

Hinc est quod Innocentius III consultus : « utrum is qui monasterium ingressus est habitum sumendo Novitii, si ante professionem emissam infra tempus probationis exire voluerit, licite possit absque apostasiæ nota vel noxa. » Respondet Papa : « distinguendum utrum is qui convertitur proposuerit absolute vitam mutare, ut sub habitu regulari omnipotenti Deo de cætero famuletur ; an conditionaliter experiri observantiam regularem ut ita demum, si infra annum sibi placuerit, moribus emendatis ad statum pristinum revertatur. In primo casu (inquit Innocentius) debet Novitius ut regulariter vivat ad laxiorem saltem Regulam pertransire ; in secundo,

Tit. 31. de Regularib. c. Consulti.

ANNUS 1139

potest ad seculum, non tamen ut vivat seculariter, remeare. » Cum igitur Novitii apud nos non reciperentur nisi sub sponsione ad aliam Religionem transeundi, non poterat juxta primum casum ab Innocentio distinctum, ad seculum redire. Quamobrem hunc Statuti articulum cum tanta severitate antiqui Patres curabant observari, ut etiam requirerent Novitios qui post suum discessum ad alium Ordinem non se conferebant, eosque cogerent etiam interpellata autoritate Apostolica ad sponsionem hujusmodi exequendam. Id probabimus ex Bulla Honorii III nostris Domus de Trisulto Cartusiensibus ad hoc concessa, quam suo loco integram dabimus.

V. an. 1217.

De Regul. cap. 23. Statuimus.

Postea tamen, quia Gregorius IX præfati Honorii successor statuit sine ulla distinctione, quod Novitii in probatione positi libere possent ad priorem statum redire ante professionem; ideo hæc Statuti severitas in generalibus anni 1249 Comitiis rescissa est, ubi Patres congregati statuerunt ut : « Novitii non compellantur de cætero promittere ut eant ad aliam Religionem, si non possunt sustinere Ordinem nostrum; et si infra annum inveniantur perniciosi vel inutiles, possunt expelli. » Et hoc quidem sapientissime sancitum est, tum propter Gregorii Decretum, tum propter graves alias rationes, et maxime quia Novitii tanto terrore territi ab Ordinis ingressu arcebantur.

Qui voverant nostrum ingredi Ordinem requirebantur.

Sed quod magis mirere : quando quis etiam adhuc in seculo positus votum emiserat nostrum Institutum amplectendi, ubi id nostri audierant, voventem cogebant ad votum suum complendum. Ita enim sancitum reperio sub Jancelino post annum 1222. « Qui fecit in infirmitate positus votum veniendi ad nostrum Ordinem, recuperata sanitate, per suum Majorem cogi poterit ad complendum votum suum. » Hæc iterum declarantur apertius tam de sanis quam de infirmis in Rifferii Statutis : « Si quis sanus aut infirmus votum fecerit intrandi Ordinem et intrare noluerit, Prior Domus si vult faciat eum compelli per Majorem suum ad votum complendum. » Sed hæc etiam postea revocata sunt, nam nulla de his mentio habetur in Raynaldi Statutis.

Stat. ant. P. 2. c. 23. n. 36.

ANNUS 1139

VI. Hoc anno decessit Raynaldus de Martiniaco Remensis archiepiscopus, primum Andegavensis præsul, præcipuus, post Odonem S. Remigii abbatem, cartusiæ Montis Dei promotor; qui consulto Majorem adiens Cartusiam, monachos ad novam Eremum incolendam suis precibus præsens et suis literis absens a Guigone obtinuit. Unde merito in ipso fundationis diplomate dicitur « in hoc opere strenuus cooperator; » qui licet fundum ullum ad illud contulisse non legatur, censetur tamen aliquid ad nova ædificia largitus fuisse. Unde et merito Anniversarium habuit in hac Domo in cujus et Sancti Mauritii Andegavensis Calendariis, nomen ejus ad 19 Calendas Februarii reperitur. Sed Igniacensis, quam fundavit, abbatiæ martyrologium signat 19 Calendas Januarii, Remense vero Idus Januarii. Quoad obitus annum dissentiunt quidem autores, sed ex inscriptione apud Marlotum videtur præsens juxta nostrum calculum designandus. Samson Raynaldi successor Montis Dei fundationem approbavit, scriptis literis quas habes apud Sammarthanos. Templum quoque ejusdem cartusiæ, anno hujus seculi quadragesimo quarto, solemni apparatu dedicavit. Eo mortuo Henricus, Ludovici Crassi Regis filius, illius successor, Montis Dei privilegia propriis firmavit codicillis, quod et post eum fecere multi Præsules Remenses, inter quos annumerantur Guillelmus dictus Albas manus, Guido Paré, Guillelmus Jovillaris et alii eorum successores, quorum quidam novi Cartusiensis cœnobii erectionem attentare videbimus.

RAYNALDUS BENEF. MONT. DEI MORITUR.

Ex literis Fundation. ad an. 1137.

Sirmond. in notis ad Godefrid. Vindocin.

Marlot. t. 2. Hist. Rem. lib. 2. c. 44.

Sammarth. in Arch. Rem.

V. an. 1337.

VII. Hoc etiam anno, vel certe post Beati Guigonis Cartusiæ Prioris mortem, initium habuit Domus Vallis clusæ in Burgundiæ comitatu et Vesontionensi diœcesi, in loco prius dicto « Mala vallis », una leuca a loco dicto Clara valle ad Idani fluvii ripam distans. Hanc fundavit nobilissimus Hugo de Cuisello ex antiqua Ducum Burgundiæ stirpe natus, ad instantiam Hugonis Majoris fortasse Cartusiæ Prioris, sed certe illius tunc monachi illuc a suo Priore missi. Id habent literæ donationis loci, quarum hic libet fragmentum subjicere: « In Dei nomine, ego Hugo de Cuisello, pro salute animæ et

DOMUS VALLIS CLUSÆ FUNDATUR AB HUGONE DE CUISELLO.

Ex. ms. Domus.

ANNUS 1139

parentum meorum, dono Deo et Ordini Cartosæ et Hugoni cuidam Fratri illius Ordinis, Priori donati loci, ea conditione ut ibi Ordo Cartosæ teneatur, nec alii Ordini detur, nec alius Ordo ibi mittatur, terram quæ prius Mala vallis, nunc Clusa vallis vocatur, et terram quam emi a Petro de Maisos et a Petro de Nancusi nepote illius, etc. et terram quam a sancti Eugendi acquisivi ecclesia, etc. » Nec dies nec annus in præfatis literis notantur. Hanc vero fundationem inchoatam post nostri Guigonis mortem tantummodo fuisse colligimus, ex elogio paulo post illius mortem concinnato in quo accurate recensentur Domus sub ejus regimine fundatæ, nulla facta Domus Vallis clusæ mentione. Ejus tamen initia censemus non esse serius hoc anno rejicienda, quod eam constet eodem ferme tempore ac Vallonis Domum de qua superiori anno diximus, fundatam fuisse. Id patet ex societatis, quam utraque Domus anno 1180 iniit, instrumento, in quo ambæ dicuntur matres et filiæ et utraque ex altera processisse. Est autem sequentis tenoris :

Inter utramque Domum Societas.

« Quoniam volubilitate temporum et decessione mortalium res bene gestæ nonnunquam oblivioni traduntur, præsenti scripto memoriter in perpetuum retineri volumus, quanta et qualis unitas et communio sit inter Domum Valonis et Domum Vallis clusæ. Hæ enim Domus ambæ, matres et filiæ fuerunt, et utraque ex altera processit ; et idcirco tam in temporalibus quam in spiritualibus unum esse decreverunt. Anno igitur ab Incarnatione Domini 1180, Hugo Prior Valonis et Galvannus Prior Vallis clusæ, laudantibus ecclesiarum suarum Conventibus et petentibus, statuerunt et sigillis et scriptis ratum esse voluerunt ut si aliqua Domus harum, vel incendio, vel tempestate, seu peste, id est mortalitate animalium vel pecorum ultra modum gravata fuerit, ab altera quantum possibilitas fuerit sublevetur, ut secundum Apostolum sancta communione fiat æqualitas ; ut qui multum, non abundavit, et qui modicum, non minoravit. Hæc de temporalibus. De spiritualibus autem similiter statuerunt, ut si in una prædictarum Domorum Prior vel Monachus seu

Conversus defunctus fuerit, quidquid beneficii in propria Domo ei persolvitur, totum ex integro beneficium in altera Domo ei persolvatur. Si quis simplici vel livido oculo hanc unitatem charitatis voluerit reprehendere, timeat et intelligat quia in uno charitatis bono offendere, est omnium se reum facere. »

ANNUS 1139

PONTIUS DE CUISELLO PATRIS FUNDATIONEM CONFIRMAT.

VIII. Mortuo Fundatore vitam ibi maxima in egestate Nostri diu degerunt, donec anno circiter 1187 Pontius de Cuisello, Hugonis filius, fundationem patris confirmavit auxitque, ut fidem facit instrumentum sequens :

« Ne malitia posterorum bene gesta priorum depravari valeant, literarum apicibus a prudentibus viris solent hæc æternari. Unde et nos in hac Charta præsenti exarare curavimus, quod Hugo Dominus de Cuisel Domus Vallis clusæ fundator extitit, et in possessionibus ei multa largitus est; quæ omnia laudavit Dominus Pontius filius ejus, qui post mortem patris ætate virili provectus, et bono spiritu duplicique pietatis affectu qua pater ornatus, donis paternis alia multum necessaria præfatæ Domus habitatoribus adjunxit. Pater enim dedit eis territorium quod habebat infra terminos, scilicet a semita qua tenditur, etc. Filius vero, scilicet Dominus Pontius dedit eis stagnum et grangiam quæ dicitur, ... et quidquid juris habebat in territorio ejus; et sicut tenditur, etc. Dedit quoque eis quidquid a quocumque homine prædicti Fratres infra terminos suos adepti sunt, vel in futurum poterunt adipisci, quod videlicet ad ejus dominium pertinebat. Adhuc etiam dedit eis pascua in omni terra sua. Peracto vero multo tempore, post donavit eis apud Cuisel, etc. in manu Stephani Prioris Vallis clusæ, ad opus Domus ejusdem nec non et Domus Portarum et Domus Majorævi et Sellionis*... prædictarum Domorum Fratres vel nuncii ad Domum ejus diverterint, ipse et hæres ejus post eum, æquitaturas eorum annona et fœno, Fratres vero vel nuntios pane tantum procuret. Dedit autem Dominus Pontius in hac hospitalitate pro singulis præfatis Domibus singulas carrattas fœni, in Domo Boniloci annuatim mittendas. Hoc donum

* *Deest aliquid.*

ANNUS 1139

factum est apud Cuisel in domo Rotgerii Alveier, coram Prioribus Ordinis Cartusiæ Guitfredo Majorævi et Converso ejus Sigiboldo, Stephano Vallis clusæ et Converso ejus Sigiboldo; Bosone Sellionis et Converso ejus Giraldo; Barnardo Boniloci. Adfuerunt etiam Garinus capellanus de Cuisel et Aymo presbyter de Donmartin et Hugo præfectus de Cuisel. Hæc omnia fecit laudare uxorem suam et filium suum Pontium, et Ulricum Balgiacum et filias suas et maritos earum, Amedeum de Gebenna scilicet et uxorem ejus, Formondum Dramela* et uxorem ejus, Hugonem de l'Albespin et uxorem ejus. Dedit etiam et concessit quidquid Fratres præfatæ Domus acquirere potuerint ultra rivulum de Foysia usque ad caminum, etc. Testes sunt isti: Petrus abbas de Grantval et Guichard canonicus suus, Abbas de Balerna et Prior, et Hugo monachus Miratorii. Milites fuerunt isti: Willelmus de Altrisit, Guido de Gieldes, Hugo de Gieldes, Hugo de la Rochetta et multi alii. »

Dramelay.

Has literas circa annum 1187 datas fuisse conjicimus quod in eis nominetur Boso Prior Sellionis, quem constat ex ejusdem Domus instrumentis præfuisse eodem anno, et desiisse ante annum 1193. Præterea Stephanus Prior Vallis clusæ, in præfatis literis designatus, clavum tenebat anno 1185 quo interfuit confirmationi statutorum Lugdunensis Ecclesiæ cum duobus aliis Stephanis Portarum et Majorævi Prioribus, ut eodem anno fusius dicemus.

ITEM ALTER PONTIUS.

IX. Pontius dictus Dunos præfati Pontii filius multa etiam dedit, cunctaque a patre et avo concessa confirmavit, volens ac præcipiens quod suus hæres futurus nihil juris in suam hæreditatem habeat, nisi eadem laudaverit et concesserit; sic enim loquitur: « Sciant omnes tam præsentes quam futuri, quod ego Pontius Dominus de Cuisello, filius Domini Pontii, dono et concedo Domui Vallis clusæ quidquid omne quod Hugo pater patris mei Pontii, et quidquid Pontius pater meus eidem Domui pro salute animarum suarum dederunt et concesserunt. Meo autem futuro hæredi præcipio, quod nihil juris in mea terra habeat nisi hoc laudaverit et

concesserit, etc. Hoc autem factum est in domo Garini capellani de Cusel, istis audientibus Haymone presbytero de Dammartin, Guidone de Moise, Petro de Moise, etc.; in manu Bernardi Prioris Vallis clusæ, Geraldo Priore Boniloci audiente, et Joanne Converso Vallis clusæ, et Willelmo Normant qui istam Chartulam conscripsit. » Geraldus Prior Boniloci in præfatis literis nominatus præerat anno 1200.

ANNUS 1139

Petrus itaque dictus etiam Dunos Dominus de Cuisello, ejusdem Pontii filius et hæres, bona fide et sine ulla retentione recognovit ac confirmavit omnes donationes patris sui Pontii Dunos, et suas quas pater illius et ipse fecerant Deo et Beatæ Mariæ de Valle clusa, scilicet omnem terram et prata et decimam et tachiam, etc.; cunctaque jura terræ illius, cum terris, pratis, decimis, aquis, etc. Instrumentum datum est anno ab Incarnatione Domini 1208.

Successores Fundatorum.

Ex Cartulario Domus Vallis clusæ.

De successoribus aut hæredibus Petri nihil habemus usque ad annum 1253, quo Joannes de Cuisello Domui Vallis clusæ dat duas « Treillias » ex utraque parte januæ dictæ de Nolens apud oppidum de Cuisello; et anno 1267, mense Martio, confirmavit cuncta quæ a suis antecessoribus tradita fuerant Domui Vallis clusæ.

Joannes de Chalon filius Catharinæ de Cuisello, sub cujus tutela vivebat anno 1274, quædam privilegia Nostris concessit anno 1294. Idem vel ejus filius Dominus de Cuisello quoddam pratum anno 1308 largitus est. Post eum Ludovicus de Chalon fuit Dominus de Cuisello, quem Nostri juxta Tabularium suum dicunt fuisse maritum Beatricis de Vienna Humberti Delphini monialium Saletarum fundatoris filiæ; quam tamen Historiæ Delphinatus scriptores dicunt Hugoni de Chalon Domino d'Arlay nupsisse. Hæc ad vestiarium Monachorum quosdam reditus assignavit quos Joannes filius ejus, Dominus de Cuisello et d'Arlay, suis literis confirmavit anno 1354; et post illius mortem, Hugo et Ludovicus ejusdem filii et hæredes, anno 1361. Joannes, utriusque videlicet Hugonis et Ludovici frater, dominium de Cuisello possidebat anno 1386, et post eum Ludovicus Hugonis filius

Chor. lib. XI. tom. I.

ANNUS 1139

anno 1388, cui videtur successisse Joannes, primus hujus familiæ Princeps Arausionensis.

BENEFACTORES VALLIS CLUSÆ.

Ex ms. Dom. ejusdem.

X. Præillustres Domini de Moyrons, anno 1199, dederunt Guidoni Priori et aliis Vallis clusæ Fratribus, totum jus quod habebant intra terminos ejusdem Domus.

Reginaldus de Dramelay circa annum 1213 pascua concessit, sicut et Dominus Hugo de Cotterel anno 1231.

Joannes comes Burgundiæ anno 1234 donat pontanagium apud Condé, et anno 1241 duodecim libras Stephanenses pro suo Anniversario.

Hugo de Dramelay miles confirmat augetque donationes patris sui Joannis comitis Burgundiæ, datis literis anno 1244.

Hugo comes Palatinus Burgundiæ et Alix ejus uxor, anno 1252, tres largiuntur summatas salis.

Joannes de Chalon, Joannis comitis Burgundiæ filius, patris donationes approbat et amplificat anno 1303. Idem vel alter ejusdem nominis, anno 1335, quamdam cum Cleyrio Priore commutationem facit.

Prænobilis Domina Anna de Vaux singularis Benefactricis nomen habet in Domus Tabulario. Vivebat annis 1375 et 1382.

Ex Chartis Cap. gener.

In Capituli generalis Chartis duo reperiuntur hujus Domus Benefactores, nempe nobilis vir Dominus Joannes de Geyres, cujus obitus legitur in anni 1514 Charta. Fuit ille Dominus Montis acuti qui anno 1510 multas pecunias Nostris legavit. Et in Charta anni 1529 legitur : « Nobilis ac potens Joannes de Geres, Dominus Montis acuti habens Anniversarium perpetuum per totum Ordinem sub die obitus sui qui fuit 3 Novembris » ; prioris, ut videtur, filius.

Hanc Domum incaute quidam acceperunt pro Clausa Valle a Petrarcha celebrata. Quidam etiam ipsam cum oppido Vallis clusæ (nisi sit idem cum Clausa Valle) Cavallionensi vicino confuderunt. Est Prioratus quidam Beatæ Mariæ de Valle clusa dictus, in Cavallionensi diœcesi, a Clemente episcopo anno 1040 donatus Isarno S. Victoris Massiliensis

abbati ; cujus Prioratus, non vero hujus cartusiæ (ut incaute quidam scribit), meminerunt Sammarthani in Episcoporum Cavallionensium catalogo. ANNUS 1139

XI. Hoc anno noster Hugo præsul Gratianopolitanus, pacem inter Cartusienses Excubienses et quosdam Nobiles ejusdem Domus vicinos, ab aliquot annis turbatam restituit, novumque templum consecravit scripto instrumento ex quo veri ejusdem cartusiæ Fundatores innotescunt.

HUGO II GRAT. EP. PACEM INTER EXCUB. ET NOBILES RESTITUIT.

« Notum sit præsentibus et futuris, mihi Hugoni II episcopo Gratianopolitano et Soffredo Priori et Fratribus qui secum sunt et successoribus eorum in perpetuum, donum loci qui vocatur Excubias laudatum et confirmatum esse ab omnibus qui ibi justam calumniandi videbantur habere causam. Verum ne nostra posteritas rursus ex improviso nimis valeat perturbari, si quando (quod absit) emersi falsi fuerint calumniatores, æquum est literis hujus confirmationis ordinem pandere. Igitur Franco et Mallenus filii Guigonis Desiderii, Rainaldus quoque Lancigena cum Guilisio filio ejus, qui acquisitor et possessor extiterat loci Excubiarum, insuper dator, concessor et fidelis patronus usque in hodiernam diem, cum vidissent et condoluissent contra nos insurrexisse calumniatores quorum ista sunt nomina : *Ardericus de Yserone, Guigo de Cassenatico gener ejus, W. de Rancurello, Arnaldus de Aurena, Baudoinus frater ejus, Raynerius, Guigo quoque Geliferii et Ardencius frater ejus ; contra hos omnes hi quatuor supradicti sese fideliter opposuerunt pro muro, alii jura patribus concessa rationabiliter defensuri. Alter vero, videlicet Raynaldus de Lancio cum filio, ipsos terminos quos præfati calumniatores transgredi temere conabantur, clypeo juramenti parabant protegere. At illi obmutescentes protinus cum reliqua multitudine circumstantium populorum, silentium præstiterunt. Unde ego secundus Hugo Gratianopolitanus episcopus, successor sancti Hugonis, et Domnus Oldricus Diensis venerabilis episcopus, de specula ubi aderamus constituti (nam ipsa die qua tunc Pentecostes octava illuxerat, altare prædictæ Eremi consecratum est per

Notitia Fundationis.

* *Al.* Ardentius.

ANNUS 1139

manus nostras quamvis indignas, in honorem Dei et beatæ semper Virginis Mariæ et sancti Joannis Baptistæ), post cœlestis verbi administrationem, ut dicere cœperam, nunc persuadere nunc deprecari cœpimus sæpe dictos calumniatores, ut infra hos terminos quos Raynaldus de Lancis asserebat esse verissimos, id est a fonte Drevenis cujus aquæ ad interiora eremi defluunt, et a summitatibus montium qui ex utroque latere ejus in directo apparent, qui et usque Facibellam et usque ad Folles Dalchinale in longitudine se extendunt, situm loci intercludentes; quidquid juris habere, si quid habere videbantur, totum pro animabus suis et parentum suorum ex bona voluntate guerpirent atque concederent habitatoribus loci, præsentibus scilicet et futuris. Qui tandem precibus et persuasionibus aliorum multorum devicti, piis petitionibus nostris voluntarie et amicabiliter universi pariter consenserunt; laudantes et concedentes in perpetuum Domum Excubiarum ad utilitatem hanc eremum habitantium, sicut nos ipsi Episcopi et astantium multitudo melius intelligere potuimus. Itaque calumnia undique sopita, donoque confirmato coram ipsa multitudine trium ferme millium hominum utriusque sexus qui astabant, misimus in excommunicationem universos qui infra istos terminos, supradictos servos Dei ulterius inquietare præsumpserint. Insuper et istam Chartam impressione bullarum nostrarum assignari præcepimus. Hoc autem factum est anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo nono, Pontificatus vero Innocentii Romani Pontificis anno octavo*, Hugonis Gratianopolitani episcopi anno septimo. Præsentes fuerunt Raynaldus Francigena, Ismido de Casta, Ubaldus, Franco, Guiffredus fratres ejus, Guntardus et Guilisius frater ejus, Lantelmus de Sancto Heleuterio et Desiderius de Cassenatico, Bermandus et Reynerius frater ejus, ambo Paschasienses. »

* *Al.* nono.

BERNARDUS CALES. BULLAM AB INNOC. OBTINET.

XII. Hoc etiam anno Bernardus Calesiensis abbas bullam tutelarem ab Innocentio obtinuit, cujus initium tale est : « Innocentius dilecto in Christo filio Bernardo abbati Calesiensi. Ad hoc universalis Ecclesiæ cura est a Provisore omnium

bonorum Deo commissa, ut religiosas diligamus personas, et beneplacentem Dei Religionem studeamus modis omnibus propagare. Et quidem si pastorale quod autore Deo amministramus officium, mentis integritate pensamus, sicut Patres in nomine dicimur ita per Dei gratiam comprobari debemus in opere. Cujus rei gratia, dilecte in Christo fili Bernarde abbas, tuis justis desideriis Apostolica benignitate impertimur assensum, et Calesiensem ecclesiam cui præstante Domino præesse cognosceris, cum omnibus ad eam pertinentibus sub B. Petri et nostra protectione suscipimus. Statuentes, etc. Subscripserunt Cardinales qui sequuntur: Ego Gerardus presbyt. card. tt. S. Crucis in Jerusalem. Lucas presbyt. card. tt. SS. Joannis et Pauli. Guido S. R. E. indignus sacerdos. Boetius presb. card. tt. S. Clementis. Yvo presb. card. S. Laurentii et Damasis. Grisogonus presb. card. tt. S. Praxedis. Gregorius diac. card. SS. Sergii et Bacchi. Otto diac. card. S. Georgii ad velum aureum. Guido diacon. card. SS. Cosmæ et Damiani juxta templum Romuli. Vassallus diac. card. S. Eustachii juxta templum Agrippæ. Hubaldus diac. card. S. Mariæ in via lata. Gerardus diac. card. S. Mariæ in Domnica. Hubaldus diac. card. S. Adriani. Datum Laterani per manum Aymerici S. Rom. Eccl. diac. card. et cancellarii, Idibus Febru. Indict. II. Incarn. Dom. anno MCXXXVIII, Pontificatus vero Domni Innoc. III Papæ anno VIII. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1140.

Innocentii PP. II Ann. 11.	Ord. Cartus. Ann. 57.	S. Antelmi Pr. Cart. I Ann. 2.

INNOCENTIUS PORTARUM DOMUM IN PROTECTIONE APOSTOLICA SUSCIPIT.

I. SEQUITUR quadragesimus post centesimum atque millesimum annum, Indictione tertia, quo Innocentius Papa efflagitatu Bernardi Portarum Prioris eamdem Domum in clientelam S. Petri adsciscit, prohibetque ne ullus audeat intra terminos ab annis quatuor ejusdem Bernardi cura dilatatos (quos recenset), domum sine Patrum licentia construere. Estque Bulla sequentis tenoris :

Ex Cartul. ejusd. Cart.

« Innocentius, etc. Dilectis filiis Bernardo Priori et Fratribus Portensibus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Fratres cum Maria sedentes ad pedes Domini audientes verbum illius, a curis et sollicitudinibus hujus seculi debent esse vacui ; contemplatio siquidem diligit requiem. Expedit enim Fratribus qui orationibus et laudibus Dei instare desiderant, a turbis et perturbationibus hujus mundi vacare. Eapropter, dilecti in Domino filii, paterna sollicitudine volentes locum ipsum de Portis, in quo divino mancipati estis obsequio, cum omnibus quæcumque impræsentiarum juste ac legitime possidetis aut in futurum vobis providere, largiente Domino, rationabilibus modis poteritis adipisci, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti Privilegio communimus. Præterea paci et tranquillitati vestræ in posterum providentes, prohibemus ut nullus omnino hominum secularis sive religiosus intra ter-

minos vestros, videlicet a Portu Rhodani usque ad...... absque vera libera licentia, pascua habere vel construere domum præsumat, ne occasione pastorum dissidentium inter majores oriatur divisio, uti inter Abraham et Loth contigisse legitur. Si quis autem contra hæc nostra statuta ausu temerario venire tentaverit, sciat se iram Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus indignationem et anathematis sententiam incursurum. Cunctis hanc nostram Constitutionem servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi. Quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ episcopus. Ego Conradus Sabinensis episcopus. Ego Anselmus presbyter card. tit. S. Laurentii in Lucina. Ego Albertus Albanensis episcop. Ego Albericus Hostiensis episcopus. Ego Hubaldus diacon. card. S. Mariæ in via lata. Ego Chrysogonus presbyt. cardinalis tituli S. Praxedis. Ego GG. presbyter cardinalis tituli Calixti. Ego Presbyter tituli Pastoris card. presbyter. Ego Goizo presbyter cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ. Ego Thomas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis. Ego Guido S. R. E. diacon. card. Datum Laterani per manum Haymerici S. R. E. diaconi cardinalis et cancellarii, XVI mensis Junii, Indictione III, Incarnationis Dominicæ anno MCXL, Pontificatus vero Domini Innocentii P. II, an. XI. » ANNUS 1140

II. Hoc præsenti anno, die 13 Decembris, Pontius de Balmeto olim ex Cartusiensi Bellicensis episcopus et ex episcopo iterum factus Cartusiensis, de quo sæpe superioribus annis egimus, sancte moritur in Majorævi solitudine; cujus vitam ab Anonymo conscriptam ex variis codicibus hic subjicimus : PONTIUS DE BALMETO QUONDAM EPIS. BELLIC. MORITUR.

« Beatus ac gloriosus Dei Pontifex D. Pontius de Balmeto, in Lugdunensi diœcesi pago qui Balmetum dicitur, patre Northoldo ejusdem pagi Domino oriundus, generis nobilitatem moribus et vitæ sanctimonia præclare illustravit. Cum igitur ab ipsius infantiæ rudimentis studiis liberalibus adhi- *Ejus vita.*

ANNUS 1140

bitus, magna ingenii ubertate, brevi summum eruditionis gradum conscendisset, et multiplicibus adornatus gratiis maximo suis honori esset adeo ut nihil literarum in eo desiderari posset, Lugdunum profectus, primæ Ecclesiæ Canonicos adiit ut reciperetur, quod et obtinuit : inter quos ita profecit ut brevi tempore, propter singularem morum ac animi prudentiam eximiamque facundiam et doctrinam, Magister atque Pœnitentialis extiterit, omnem in orationibus et exhortationibus operam ponens, ut animas Deo lucrifaceret.

Fit Canonicus Lugdunensis.

« Sed quoniam exempla magis sonant quam verba, factis demonstravit quod verbis docuit. Ipse enim prius Christi præco, plene informatus de vita quam in eremo Cartusiæ Monachi anachoretice viventes sanctam ducebant, anno Domini MCXVI de consensu et voluntate nobilium fratrum suorum Garnerii Domini de Balmeto et Willelmi Domini de Dorchia, vallem Majorævi (alias a congerie arborum modo Mariacum dictam) sicut hæreditario jure parentum possederat, cum omnimoda proprietate et jurisdictione ac omnibus appenditiis in ea et ex ea emergentibus, Fratribus Ordinis dictæ Cartusiæ, Fratri scilicet Stephano patrio sibi carissimo, uni ex septem primis eremitis Cartusiæ pro Priore ibi misso, cum duobus Conversis Bonofilio et Gaufrido, ad cœnobium construendum contulit et concessit coram toto Capitulo Lugdunensis Ecclesiæ, nihil sibi vel suis retinens.

Fundat Domum Majorævi.

« Interea cum hoc construeretur ædificium, Pontius rerum humanarum pertæsus totusque cœlestis vitæ desiderio accensus, Cartusiam petiit ut ibi sub Religionis habitu soli Deo vacaret, maturo prius habito consilio cum Domino Willelmo Lugdunensis Ecclesiæ Decano. Præerat id temporis Cartusiæ vir potens opere et sermone Guigo magnus, qui magistrum Pontium ad se venientem perquam benigne excepit, et convocatis Monachis, de licentia R. Præsulis Lugdunensis Gauceranni ipsum novitiali cuculla induit, cellæque ac silentii observantiam in remissionem peccatorum injunxit. Tum ille qui summa quæque animo suo proposuerat, ne umbras virtutum potius, per imprudentiam, quam veram lucem soli-

Fit ipse Majoris Cartusiæ monachus.

dasque virtutes sectaretur, ante omnia indefesso studio regularibus disciplinis et exercitiis imbutus, usque adeo profecit ut non solum ejus Eremi Fratribus quamvis sanctitate conspicuis, sed etiam exteris præclarum de se ipso vivendi exemplar præberet.

ANNUS 1140

« Factum est ut eo tempore, anno scilicet MCXVIII, quarto Januarii, Domno Stephano Burgensi Protopriore Majorævi e vivis sublato et ad Beatorum consortium translato, Fulcodus Vicarius* ac cæteri Fratres a magno Guigone sibi dare in Priorem Fundatorem suum, etsi noviter professum, postularent. Guigo eorum desideriis et postulationibus annuens D. Pontium Prioris officium suscipere cogit, et a se non sine lacrymarum imbre ad patrios lares dimittit. Quanta cum charitatis et lætitiæ significatione a Fratribus fuerit exceptus, dicere nemo potest; quibus ipse tanta discretione salutaria animarum fercula administrabat, ut cuncti se talem nactos esse Priorem maximopere gratularentur. Aderat omnibus ipsius conatibus misericors Dominus, ejusque verbis tantam vim efficaciamque præstabat ut non modo præsentes eum obsequenter audirent sed multi. . . . . (Hic multa desunt). . . . . perfusus illico langore convaluit, sanusque ac incolumis ad Rubeum montem rediit.

Deinde Prior Majorævi.

* *Potius Procurator.*

III. « Contigit vero post biennium*, Bellicensium Antistitem humanis rebus excedere; mœrens itaque grex Pastore orbatus, Pastorem quærit et invenit. Quidam enim virtutis fulgor ex Majorævi montibus, S. videlicet Pontius ei apparet, quo illuminati Clerus et populus hunc eligunt et deposcunt instanter; sed eo renuente magnum Guigonem Cartusiæ Priorem adeunt, electionem D. Pontii exponunt, consensum efflagitant et obtinent : quibus ad Majorævum reversis, Pontium invitum et plane reluctantem secum abducunt, et in Cathedra episcopali collocant.

ELIGITUR EPISCOPUS BELLICENSIS.

* *Circa an. 1120.*

« Itaque volens nolensque pontificali infula decoratus, ecclesiæ Bellicensis gubernacula suscepit, seseque non modo normam et specimen recte faciendi cunctis exhibuit, et omnibus amabilem ac reverendum, suavem ac mire jucundum;

Invitus annuit electioni.

ANNUS 1140

quod fecit ut subditorum animos ad quævis pietatis opera subeunda promptos paratosque haberet. Quod enim aliis pompæ et fastus fomenta subministrare solet, huic majoris abjectionis studium attulit prorsus, ut pontificio fastu posthabito, nobilium spreta frequentia, famulorum obsequiis postpositis, pauperum et Monachorum consortiis semper delectaretur. Cæterum cum alios ad peccati fugam hortaretur, tum corpus proprium rigore Cartusiano domabat : duro ad carnem cilicio utebatur, renes cannabina reste constringebat, lectus non mollibus plumis pictisve tapetis, sed vili stramine et grossioribus pannis patriæ stratus, corpus vigiliis et jejuniis defatigatum excipiebat. Ipse enim feriis secunda, quarta et sexta pane, sale et aqua contentus erat : cæteris vero legumina vel aliquid ejusmodi, et aliquando caseum, et vinum bene lymphatum sumebat ; semper tamen tam infirmus quam sanus ab omni esu carnium abstinebat : et quidem cum tanta severitate in suum ipse corpus sæviret, alios stupenda benignitate fovebat, nam nihil ei erat carius quam ut egenis et miseris consuleret, piave omnibus viscera misericordiæ aperiret.

Plures ad Christum convertit.

« Igitur bonus egregiusque Pastor commissis sibi ovibus adhibita duplici cura, exhortationibus et exemplis iter ad æternam vitam quærendam, et spiritualium morborum diram pestem vitandam demonstrans, eximium ex eis lucrum acquisivit ; multos enim ab iniquitate, multos a vanitate convertit ac rectitudini vitæ restituit, quorum unus, Nanthelmus Bellicensis Ecclesiæ Secretarius, dignitates respuens et vias duras Cartusiæ apud Eremum Portarum sequens (qui et in eodem episcopatu successit et miraculis claruit), ostendit quantum incrementi Ecclesiæ Dei attulerit.

« Porro erga superbos tumidosque peccatores justitiæ severitate, lapsos tamen quamquam gravissime nequaquam despiciebat ; sed in spiritu lenitatis corripiens, summa ope ad rectam legis semitam reducere conabatur. Ordines vero sacros beneficiaque ecclesiastica ita conferebat, ut nulla conditionis favoris vel precum habita ratione, solos mores scientiamque

discuteret, eosque solos Ordinibus initiaret et beneficiis ornaret, qui cæteris et gravitate morum et prudentia ac operum pietate præstarent. »

ANNUS 1140

QUALIS FUERIT IN LUSTRANDA DIŒCESI.

IV. « Haud exiguæ ei suberant curæ de reparandis ecclesiæ divi Joannis muris, et sacerdotum ac pauperum reædificandis ædibus, sub suis antecessoribus aut nimia vetustate collapsis aut igne consumptis. Hinc suæ diœceseos vigilanter terminos lustrabat, summisque viribus perniciosissimas consuetudines profligabat, multos a dæmonum castris ad Christi stipendia perducebat, opes pauperibus distribuebat, eorumque miseriam et verbis leniebat et factis sublevabat. Quot et quanta operatus fuerit miracula nullus sermo ad integrum explicare valebit ; nam infirmarias omnes infirmis vacuabat, claudos erigebat, myopes ac cæcos illuminabat, surdos et elingues curabat, cunctisque energumenis sanitatem conferebat ; visitationibus peractis ad suam Civitatem revertebatur, in qua cum gaudio et honore a suis clericis et civibus peramanter excipiebatur, quibus vicissim panem verbi Dei quotidie frangebat.

Adest Dedicationi Templi Domus Portarum.

« Anno autem 1128, a Reverendissimo Apostolicæ Sedis Legato Humbaldo, Lugdunensi archiepiscopo, ad Domum Portarum vocatur Præsul noster Pontius, ut ei una cum sancto Hugone Gratianopolitano episcopo in consecratione ecclesiæ inferioris dictæ Domus assisteret ; qua peracta et exhortatione ad plebem per Humbaldum habita, Eulogias hi sancti Præsules largiuntur Domumque superiorem repetunt de æternitate confabulantes ; tum capta occasione Pontius propositum de abdicando episcopatu venerandis senibus aperit ; cui respondens Hugo, ait : Memento frater carissime, quomodo olim a Magistro Brunone, quando talia petractarem, correptus fuerim, ut sæpe sæpius tibi dixi. Cave ergo, cave, ne hoc facias ovesque quas Dominus custodiendas tibi tradidit ne derelinquas, sed usque ad mortem sta super gregem tuum ne fiat præda leoni rugienti. Rachelis amore hæc ita loqueris. Sermonem suscipiens Humbaldus : Sed scito quia susceptum semel gregem tuum non potes impune dimittere, ut multis

ANNUS 1140

Scripturæ sententiis patet. At Pontius: O Patres amantissimi, eo ne me redire ibique manere consulatis ubi fructum animarum faciam nullum, detrimenta vero salutis meæ capiam maxima.

EPISCOPATUM ABDICAT, ET IN SOLITUDINEM REDIT.

Circa annum MCXXXIII.

V. « Attamen post mortem istorum sanctorum Pontificum, ab Innocentio Summo Pontifice, quamquam difficultissime, licentiam ad eremum redeundi obtinuit. Qua facultate adepta, ne commissum sibi gregem sine Pastore relinqueret, annuente Pontifice maximo, Berlionem vita venerabilem ac cunctis virtutibus mirifice ornatum, clero populoque eligente, successorem sibi Pontificem pronuntiavit, omnibusque amabiliter valedicens post diuturnam concionem, populo luctu ac lacrymis discessum ejus deploranti, Berlionem commendavit. Ipse vero gaudens conscenso equo Majorævum revisit, et quasi post pericula maris quassa navis optatum portum occupavit. Sicque secretos monasterii sinus, charam requiem intravit. Ibi pulchram et sibi dilectam Rachel amplexabatur, sacrisque deliciis animam esurientem noctu diuque sedulus pascebat; ibi spreto episcopalis dignitatis supercilio, posthabitoque propinquorum et Nobilium consortio, totum se cœlesti magisterio subdebat, et ad exequenda Cartusianæ vitæ instituta mira animi promptitudine et alacritate, non solum D. Stephano quarto Majorævi Domus Priori miræ patientiæ et admirandæ simplicitatis viro, sed etiam Fratribus sese subjiciebat; tantaque inter eos virtute ac sanctitate versabatur, ut facile in quovis pietatis humilitatisque studio primas sibi vendicaret; unde et factum est ut multi Nobiles donis amplissimis Domum ampliarent, et eremitice cum ipso vivere felicitatem suam æstimarent.

Fratrem suum e seculo ad claustrum attrahit.

« Cum autem frater ipsius Pontii, nobilis Garnerius de Balmeto Dominus, cerneret in dies magis magisque pietatem ab hominum malitia præfocari, nihilque amplius sanctum, nihil sincerum in hominum moribus inveniri; statuit exemplo carissimi fratris, relictis omnibus hujus turbulentæ vitæ negotiis, in tranquillum Religionis portum secedere; quod animo statuit, opere complevit, et Majorævi habitum Conversorum

induens in ea Domo plusquam centenarius sanctissime vixit et obiit. Interea vir angelicus Pontius peracto jam militiæ certamine, cum se ad alteram vocari a Domino intelligeret, præclara admodum pietatis monita monachis dedit. Monuit enim ut antiqui hostis insidias devitarent, et bonis semper operibus intenti ad bravium æternæ gloriæ viriliter aspirarent, ac in vocatione sua usque ad finem patienter perseverarent; et sic demum munitus Ecclesiæ sacramentis felicem animam in manus Creatoris, cantantibus Angelis ac monachis flentibus, tradidit Idibus Decembris anni 1140 sub Innocentio II Summo Pontifice, tota regione illius obitu consternata et afflicta. Quantis autem post mortem Dominus Sanctum suum miraculorum insigniis glorificaverit non est meæ parvitatis, ob nimiam prolixitatem, singulatim hic explanare. Ego autem ipse expertus sum in meis continuis afflictionibus et infirmitatibus, et in quodam negotio maximi momenti hujus Domus, quanti meriti sit apud Dominum ejus intercessio. Opera quædam scripsit et pia et docta, quæ asservantur in thesauro Bellicensis Ecclesiæ: *De Æternitate, de vitandis Schismaticis, de Pace concilianda,* et *de Contemptu vanitatis seculi.* Præpositus Bellicensis Joannes ejus laudes eloquenter in Oratione ad Petrum Lugdunensem contexuit, et se Pontii precibus a cæcitate sanatum asserit. »

ANNUS 1140

Tandem obiit.

Hactenus Vita Pontii, cujus autor antiquus quidem est licet Pontii non coævus, sed quidam exscriptor recentior quasdam motu proprio dictiones mutavit; ut maxime est nomen Vicarii quod Pontii tempore apud nos non erat in usu. Eamdem Vitam Sammarthani citant, quam videntur ex *Probationibus Historiæ Sebusianæ* Guichenonis excepisse, ubi integra est inserta.

VI. Hoc etiam anno Petrus Abailardus, Magister quidem insignis, inquit Gaufridus in S. Bernardi Vita, et celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide perfide dogmatisans, ab Episcopis apud Senones Synodum celebrantibus tanquam hæreticus juste damnatus est. Ejus dogmatum damnationem in primis petierat urseratque S. Bernardus abbas Claravallen-

ABAILARDUS DAMNATUR UT HÆRETICUS.

Vit. S. Bernard. lib. 3. cap. 5.

ANNUS 1140

Ad instantiam S. Bernardi, et Cartusiensium.

sis, et cum eo S. Antelmus simulque omnes Cartusiæ Monachi. Romanam Curiam appellavit Petrus, ubi et ab Innocentio II Summo Pontifice sententia Senonensis Synodi confirmata est. Interim Petrus Berengarius Pictaviensis unus ex Abailardi discipulis, homo juvenis et petulans, Magistri opprobrium ægre ferens, Apologiam adversus Episcopos et S. Bernardum, insolentiæ et acrimoniæ plenam ausus est conscribere. Ibidemque Cartusienses aggrediens reliquum bilis in eos evomit scripta sequenti epistola :

Petr. Berengarius pro Abailardo contra Cartusienses scribit.

« Fratribus Cartusiæ professionem juratis B. cum Lazaro quondam paupere æternam habere requiem. Loquor ad Dominos meos cum sim pulvis et cinis, sed ut jumentum factus sum apud vos ; et tamen homines et jumenta salvabis, Domine. Multiplicavit Deus misericordiam suam qui congregavit vos a quatuor ventis cœli, ut recumbatis cum Abraham in regno Patris sui. Fidelis ille in tota Domo Ægypti, de vestro vos extraxit Ægypto in manu potenti et brachio excelso, ut evomentes ollas carnium clamare possitis in deserto, Manhu ? quid est hoc ? vox hæc, vox deserti. Hæc vox pluviam admiratur cœlestis edulii, quam proferre non sustinet guttur Ægypti. Igitur ne redoleretis allia Pharaonis accessistis ad hyssopum Crucis, et pro ægyptio gemitu cœlesti aliti desiderio clamatis, quid est hoc ? A regione deserti venit manna ad viatores deserti, et jure dicitis quid est hoc ? Quid, inquam, est quod famem repellit, quod desiderium satiat et satiando accendit ? Rapuit manus illa inexhaustæ Clementiæ lutum de luto, et in diademate Salomonis, quo coronavit eum mater sua, fecit vos aureos de luto. Sed nescio quo pacto nunc aurum rediit in lutum, et in ferri vilitatem aurei seculi moneta degenerat. Levastis corpora vestra in montes, sed mentes in vallibus remanserunt. Unde ergo veniet auxilium vobis ? Sperabamus quod in cacuminibus montium pennas cuderetis quæ vos veherent ad dexteram Patris. Seduxit vos opinio lubrica, et quod valde gemimus, alarum nudatos remigio, implumis corporis gravitas vos pessundat. Putabamus quod Deus esset montium tantum Deus : sed et

valles abundabunt frumento. Suscipere debuistis pacem populo montes, et linguæ spicula vibrastis non in populum, sed in Deum. ANNUS 1140

« Cultus Justitiæ, teste Propheta, est silentium. Quam grave trutinata in statera Spiritus Sancti sententia litium* : nam stultitia et luxuria excidit aut deficit, ultra prosilit aut citra jacet, nisi fræno silentii gubernetur. Hujus fræni rupistis juncturas, clavos fregistis, et languente auriga, velut infrænes equi ante sentitis præcipitia quam bravium acquiratis. Ille quidem dixit: cultus justitiæ silentium. Vos autem aliter interpretantes dicitis : cultus justitiæ multiloquium. Quæ enim fora, quæ prætoria tanto ardent litigio causarum, ut montanæ Cartusiæ claustrum ? Ibi non accusator objicit, non advocatus objecta detergit, et non de vestra sententia fas nefasque uniformiter damnat nec absolvit. Super nubes volatis aquilæ, et penna tandem remissiore ad vestrum cadaver carpendum rostra deponitis. Abstinetis a carnibus pecudum, et sine sale carnes hominum devoratis. Aitis enim : Hæc mulier prægnans est, non a semine sui mariti ; illa colit multos amasios. Canonici illi ter in die carnibus ventres confundunt; ille ructu pigmenti aera fœdat, ille scutellam haurit usque ad vomitum. Vacatis otio et ideo talia ructatis; vere cultus Justitiæ, silentium. Quod nondum venit in linguam, apud vos jam constat esse patratum. Dubietas nostra penes vos est jurata veritas. Cultus justitiæ, silentium. Oh clementes medicos, qui non ægros curationibus curare, sed eorum vulnera suscipere student, ut cum eis pariter ægrotent ! Quid prodest, fratres, exire in eremum, et in eremo habere cor ægyptium ? Quid prodest Ægypti ranas vitare, et obscœnis detractionibus concrepare ? En qui sub Pharaone languistis, sub manu Moysi expirastis. Argumento vobis est fumus linguæ vestræ, qui cum fontem bibatis in secretario cellæ vestræ, detractio in cellis concipitur, in claustris vomitur. Non est Cartusia cœlum, non est Cartusia Paradisus. Adhuc est Cartusia inter flumina Babylonis. In cœlo apostata, in Paradiso prævaricator, quid facit in Cartusia

* *Silentium.*

ANNUS 1140

detractor ? Post scoriæ puritatem, post compunctionis lacrymas itur in forum claustri, et linguæ ostium non reseratur sed frangitur. Quisquis vero per illud ostium non introierit non palpatur, sed creditur ; non curatur sed judicatur; non reficitur, sed mactatur; et ut breviter dicam, sine crimine nullus apud vos. »

IDEM BERENGARIUS IN EPISCOPOS INVEHITUR.

VII. Hæc ille ; procacissime quidem sed moderate, si ea compares putidis scommatibus, quibus omni exhausto pudore venerabiles Episcopos qui Abailardum damnaverant, ipsumque sanctissimum Bernardum lacessit, hos vocans « cæcos, ebrios, asinos, canes, porcos : » sancto vero Abbati exprobrans quod « vesane, imprudenter, et impudenter egerit » in causa Abailardi ; quod in Cantici Canticorum explanatione « cantica in elegos, carmina in threnos, sorte miserabili converterit. » Alia hujusmodi indigna ore hominis christiani convicia evomuit; ita ut merito de eo dici possit, de ore tuo te judico serve nequam. Deinde culpatum se sciens a cordatis viris quod Bernardum sanctum virum, Cartusiensesque mundo emortuos homines tam fœdis proscidisset mendaciis, se quidem tentavit excusare in epistola ad Episcopum Mimatensem ; sed stylum suum ita melle liniens ac felle simul miscens, ut satis appareat illam solum scripsisse ad excusandas excusationes in peccatis, ut dum pungit miser, pungat et ungat. Sic enim de Bernardo loquitur : « Ego ita sentio de Abbate quod sit lucerna ardens et lucens, sed tamen in testa est. Laudatis Abbatem, ego magis laudo. » Et post pauca : « Momordi, fateor, non contemplativum sed philosophum, non confessorem sed scriptorem, non mentem sed linguam, non præcordia sed stylum, non meditationes viri sed somnum. Legant eruditi viri Apologeticum quem edidi. Et si Dominum Abbatem juste non argui, licenter me redarguant. » Et paulo post de Cartusiensibus subdidit : « Non refutamus, inquiunt, ratiocinia tua, satis caute asellum exoneras ; sed Cartusianos eremitas, genus electum, populum acquisitionis, quare inquietasti ? Quare invectione perunxisti ? Cur a cellulis suis abstraxisti ? Hic placide purgationem

In Bernardum.

Videtur resipiscere.

meam audite. Improperat Propheta eis qui congregant merces et commendant eas sacculo pertuso. Congregabant sancti anachoretæ Cartusiani merces justitiæ, sed sacculum pertusum habebant. Curavi obstruere foramen sacculi, ne farina Religionis patentibus rimis exiret. Volui resecare in eis immoderatam licentiam linguæ, qua velut quidam geometræ totum orbem mensurabant. Cur hic mea pietas crudelitatis arguitur ? cur sedulus sartor dissipator appellatur ? » Hactenus Berengarius.

Ad Fridericum transisse videtur.

Quo tandem evaserit ille, silent scriptores ; quem ego ad Fridericum Imperatorem posthac contra Alexandrum III pugnaturus transisse, non levi auguror conjectura. Eamdem enim epistolam (quod hactenus fugisse scriptores arbitror) quam a Berengario contra Cartusienses scriptam superius retulimus, eamdem, inquam, refert Baronius ad annum 1165, tanquam nomine Friderici adversus Clericos sive potius Romanæ Ecclesiæ Cardinales scriptam iisdem prorsus verbis, licet aliquando transposito locutionum ordine, commutatisque Cartusiæ et Cartusianorum vocabulis, in Clericorum et Curiæ dictiones. Ita ut semper remaneat fœtus Berengarii, quem propterea suspicamur eam rursum dictasse Friderico, vel certe aliquis ejus amicus cui forsan ipse prioris suæ epistolæ exemplar subministrarat. Nisi dicamus hanc, quæ in Annalibus Baronii legitur, Friderici ad Alexandrum epistolam, a quodam sycophanta ad Cartusienses malitiose postea accommodatam fuisse. Sunt enim in ea quædam Cartusiæ monachis horum temporum nullatenus convenientia. Quod Abailardum spectat, cum post Senonensis Synodi et Innocentii Papæ sententias ab omnibus se videret tanquam hæreticum deseri, divino tandem afflatus spiritu, Cluniacum petiit, ubi salubribus Petri Venerabilis adjutus consiliis, lacrymis et pœnitentia errores suos diluere non cessavit ad mortem usque, quam biennio post pie obiit.

VALLIS SANCTI PETRI CARTUSIA FUNDATUR.

VIII. Eodem anno Vallis Sancti Petri cartusia, in Tiracia Picardiæ tractu et diœcesi Laudunensi, una leuca ab oppido Verbino* in parte Boreali posito distans, fundatur a Reginaldo

* *Vervins.*

ANNUS 1140

* Rosoy.
* De Coimis.

dynasta Rosetano,* in valle prius dicta Coimensis* quæ ante Cartusiensium adventum suos habuerat incolas, ut satis produnt ipsa loci facies, ruderatus ager, scaturiginosa gleba et quod magis est, numismata antiqua Cæsarum imaginibus ingnita, quæ sub initium seculi decimi septimi a fossoribus copiose reperta sunt. Locum Ordini nostro concessit Walpertus de Roseto, frater aut saltem consanguineus præfati Reginaldi. Hunc tamen Reginaldum primarium fundatorem diximus, quod plus cæteris omnibus contulerit; nam suis sumptibus Domum Superiorem ædificavit fundumque Inferioris dedit, quam et similiter construxit. Præterea universam fere sylvam contiguam cum arvis conterminis aliquot post annis tradidit, « per manum Jordani presbyteri Cardinalis » ut loquuntur Pontificum diplomata, quorum verba quidam Montis Dei monachus male interpretatus, ex his confecit Jordanum quondam fuisse nostri Instituti sectatorem, cum potius Reginaldus credendus sit hanc fecisse donationem tanti Cardinalis precibus et reverentia inductus. Sed de his postea. Denique ad cumulum ingenitæ pietatis ipse Reginaldus Nobiles illius regionis, qui terras et nemora vicina possidebant, ad ea Cartusiensibus largienda stimulavit. Ejus pietatis memor et remunerator Deus illius familiam suis postea adauxit benedictionibus. Ex qua clero adscriptus Rogerius de Roseto, filius Clarembaldi, cum primo canonicus Laudunensis, tum deinde et decanus Catalaunensis creatus esset, tandem et sua et suorum præclarus pietate, in Laudunensem Episcopum anno 1174 electus est. Idem conjunxit postea matrimonio apud Bapalmas Elisabetham Balduini Flandriæ comitis filiam cum Philippo Augusto Francorum Rege; tandemque obiit anno sexto vel septimo subsequentis seculi, die 21 Maii. Reginaldi fundatoris obitus habetur in Necrologio Domus ad quartum Calendas Septembris. Walpertus de Roseto jam nominatus, velut alter fundator merito censendus est; ipse namque dedit fundum ipsum, id est vetus allodium et castrum de Coimis, ad usum novæ cartusiæ, te magnam partem ejusdem territorii Coimensis

Ex mss. ejusd. Cart.

Vide inf. ad an. 1152.

Secundus Fundator.

cum assensu uxoris et filiorum Goberti et Petri. Verum, cum ante fundatam cartusiam illud allodium promisisset Guarino Sancti Martini Præmonstratensis Ordinis apud Laudunum abbati, ipse Guarinus in Cartusiensium gratiam transtulit. Gobertus de Roseto Walberti præfati filius multa terræ jugera concessit, nec non et scripto authentico omnia et singula quæ pater suus donaverat, præcipue jus pascuorum et *aisantiarum* a Patre indultum, confirmavit. Joannes dynasta de Roseto, pietatis primarii fundatoris hæres, contulit ut per totam terram suam libere et absque tributo Nostri possint emere et ducere quæcumque voluerint. Rogerius comes de Roseto Joannis successor et Aeleidis uxor ejus dederunt, anno 1209, plurimos reditus annis singulis percipiendos in Montis cornuti oppido, Domumque hanc exemerunt ab omni solutione quorumcumque tributorum. Mortuo Rogerio ultimo Rosetano comite, ditio de Roseto, Registensium seu Rethelensium Comitum dominio accessit. In quadam Capituli generalis Charta legitur inter obitus: « Egregia Domina Joanna de Bethunia, comitissa de Liney et de Guise, de genere Fundatorum Domus Vallis Sancti Petri, magna Benefactrix dictæ Domus, habens Tricenarium per totum Ordinem. » Hæc primum nupserat Roberto de Bar comiti Marlæ et Suessionum, deinde Joanni de Lucemburgo comiti Ligniensi et Guisiacensi; quæ non solum dicenda est de Fundatorum genere, ut in citata Charta, sed nomen ei merito debetur alterius Fundatricis cum claustrum fere integrum instauraverit, et multa alia bona fecerit pro quibus beneficiis annuos, ut ita dicam, reditus spirituales ibidem recepit ex Anniversario perpetuo ad quintum Novembris (quo obiit anno 1450), et missa privata quæ singulis feriis sextis in qualibet hebdomada celebratur.

ANNUS 1140

Ex Ch. 1451.

Petrus de Castellione miles cum Mathilde conjuge, Bartholomæus Burellarum dynastes, Henricus senescallus de Marla, Hugo abbas sancti Remigii Remensis, Joannes abbas Sancti Michaelis in Tiracia et N. abbas Vallis claræ in agro Laudunensi : hi omnes dederunt quidquid juris aut

Benefactores.

ANNUS 1140

possessionis habebant intra Domus novæ terminos.

Balduinus comes Hannoniæ anno 1177, Joannes (alias Jacobus) Avesnarum et Guisiæ comes anno 1185, Radulphus dominus de Coucy eodem anno, Ingelramnus de Coucy anno ducentesimo post millesimum, Thomas de Coucy cum patre Ingelramno sive Enguerrano anno ejusdem seculi quintodecimo : hi omnes terras, exemptiones et privilegia concesserunt.

Ferrandus comes Flandriæ et Hannoniæ et Joanna uxor ejus multa contulerunt, annis 1220 et 1228, in gratiarum actionem pro liberatione dicti Comitis a carceribus Regis Franciæ, quorum beneficia auxit postea Margareta, Flandriæ quoque et Hannoniæ comitissa.

Joannes comes Suessionensis anno 1265, Guido dominus d'Estrées anno 1240, Joanna comitissa de Alenconio, de Blesis, de Avesnis et de Guisia anno 1288, exemptionem concesserunt ab omnibus *wionagiis* per terras suas.

PRIMA DOMUS TRANSLATIO.

IX. Postquam Monachi Vallis Sancti Petri per annos centum et ultra priorem locum, vallem scilicet Coimensem, incoluissent, ob infestationem quam in cellis, in ecclesia et alibi a colubris et serpentibus patiebantur, alibi figere stationem decreverunt. Sub regimine igitur Martini de Lauduno, qui medio seculo tertio decimo præerat, alius locus electus est ad pedes et radices monticuli quem Martimontem dicebant. In quo sicut et in priori fundo scatebræ plurimæ nascentes indicant locum populosum fuisse ; magis vero reperta olim ibidem ossa humana grandiora in veteribus tumulis.

Ibi nova cartusia ædificata per quadringentos fere annos perseveravit cum multis ac prope infinitis monachorum incommodis. Nam licet situs satis amœnus videatur ob multiplices fontes et rivulos totam vallem præterfluentes, nihilominus cum fundus loci, ubi constructa erat cartusia, non ita sit constitutus in declivio, aquas in eo necesse est subsidere. Quamobrem lente admodum et pigritanter extra Domum effluebant, et circa Monachorum cellas demorari coactæ, ibi stabant fœda respergine claustra inficientes. Exin seque-

Frequentes pestilentiæ.

bantur pestilentiæ et omnigeni morbi, quorum vitio infecta corpora distinctis temporibus cruciabantur. Capitis gravedines, stomachi languores et exanguis color vulgo habebantur hæreditarium hujus vallis patrimonium. Unde et sæpe uno anno media pars Conventus diversis morbis absorbebatur, ut ex Chartis colligimus. Anno siquidem quinto decimo post millesimum quadringentesimum, Prior et quatuor monachi et unus Conversus inter mortuos denunciantur. Anno quoque octogesimo tertio ejusdem seculi, lue epidymica in hac Domo grassante, multa strages corporum facta est. Ex ea namque obierunt Prior, et qui post eum Rector a Visitatore institutus fuerat; similiter Procurator cum duobus aliis monachis, uno Donato et quibusdam famulis. Et post quadraginta annos pestis in hanc vallem iterum irrumpens, novem personas Ordinis peremit inter quas fuerunt Prior, Procurator et Sacrista, cum aliis tum monachis, tum Conversis et Donatis multisque ex domesticis. Tertio idem morbus exeunte eodem seculo sæviens, decem personas Ordinis abstulit, quarum nomina præter famulos in Chartis recensentur.

ANNUS 1140

Ex Ch. 1415.

Ex Ch. 1483.

Ex Ch. 1522 et 1523.

Ex Ch. 1596 et 1597.

Item aquarum colluvies.

Præterea cum Domus constituta esset in imo ejusdem vallis, et haberet circa se fere ex omni parte circumstantes colles et montes, inde fiebat ut ex colluvione agrorum vicinorum congregatæ aquæ densiores, impetu et facto agmine aliquando in eam ita debaccharentur, ut omnia popularentur, prosternerent, dilapidarent. Quod maxime accidit anno 1614 quo circa meridiem tertiæ decimæ Martii, tanta aquarum congeries ex liquefactis nivibus retro muros exterioris pomœrii aggregata est, ut disruptis muris magno impetu aquæ discurrerent per universam fere Domum et præcipue claustrum, cellas, et ecclesiam ; ita ut ad aliquot cubitos altare primarium ecclesiæ aquæ supergrederentur : cellis etiam claustralibus ex abundantia inundantis aquæ oppletis, prandentium monachorum mensæ cum cæteris utensilibus quasi in flumine supernatabant. Multi Religiosorum cautiores mox cellarum solarium ascenderunt, et sic a diluvio immunes evasere : alii haud pari usi diligentia, effractis cellæ supe-

60

ANNUS 1140

rioribus tabulatis in solarium, adventantium opera, recepti sunt. Quis vero æstimare queat quam pretiosa supellex ecclesiastica et profana hac inundatione perierit? Nonnulli ad summam duodecim millium librarum ista æstimarunt.

Altera translatio.

Cum itaque infirmitates inter monachos in dies ingravescerent, damnaque similia metuerentur, post multos sermones de transferenda cartusia in locum commodiorem et sanitati magis congruum habitos, anno denique 1631, extirpatis quibusdam nemoribus quæ locum operi destinatum occupabant, die octava Julii jacta fuerunt fundamenta novæ et tertiæ Domus Vallis Sancti Petri in vicino colle Malorum Wianagiorum, ab incolis *Malgaine* nuncupato, a parte septemtrionali antiqui monasterii versus pagum de Bray. Aliquot post annis, ædificatis cellis, officinisque magis necessariis, conventus relicta valle ad dictum locum se transtulit, ubi nunc in fervore spiritus, mentisque ac corporis prosperitate Deo serviunt.

Choppin. l. 2. Monast. Tit. 1. num. 42. in margine, et Tit. 2. et n. 21.

Hujus cartusiæ meminit Choppinus, cujus fundationem perperam tribuit Abbatiæ Sancti Remigii Remensis, quam tamen cartusiæ Montis Dei Fundatricem, ut alibi diximus et hujus Vallis S. Petri benefactricem merito agnoscimus. Præterea idem Choppinus inter ejusdem Benefactores recenset Enguerranum dominum Conciacensem comitem Suessionum, fundatorem Abbatiæ Præmonstratensis apud Suessiones.

ECCLESIA MONTIS RIVI CONSTRUITUR.

X. Hoc anno Petrus Giraldi tertius Montis Rivi Prior cum quasdam pecunias conflasset ex sancta Monachorum parcitate, locum quadraginta solidorum pretio comparavit, ubi ecclesiam erigeret paulo ampliorem sacelli, quo hactenus ad divina officia persolvenda usi fuerant. Hujus emptionis tales sunt literæ: « Notum sit.... quod P. Giraldi Sanctæ Mariæ de Monte Rivo minister, concedentibus omnibus Fratribus tam clericis quam laicis, ad honorem Dei et ad ecclesiam construendam Beatæ Dei Genitricis Mariæ sanctique Johannis Baptistæ, terram de Vidigl quæ continet in transversu a via publica usque ad rupem erectam, et a rupe erecta in direc-

Ex Cartul. ejusd. dom.

tum usque ad frontem montis, pretio XXXX solidorum de manu Fulconis de Melna et Agnetis uxoris ejus et filiorum ejus Willelmi, Gaufridi, Guidonis, Bertrandi : his omnibus concedentibus et laudantibus, emit atque suscepit, et hoc in præsentia Gaufredi de Signa. Scripta hæc Charta anno MCXL Incarnat. Domini, Luna IX, Epacta XVIII, Concurrens VI, Indictio III. »

ANNUS 1140

Sed idem Prior aliquot terras intra terminos Domus positas viliori pretio hoc anno acquisivit, scripto hac de re instrumento notatu digno : « B. de Acapto. Usque modo donationes sine scriptis sufficere solebant, nunc vero requirunt testificari a scriptis et a testibus. Qua ex causa, ego P. Dalmatii et uxor mea Adalelda et filii mei Gantelmus et Aimericus et Guibertus et W. et Ugo, cum scripto et testibus damus Deo et Beatæ Mariæ de Monte Rivo et P. Priori.... Ideoque accipimus unum bovem ab eis, etc. Anno ab Incarnat. Dom. MCXL, regnante Imperatore Conrado. P. Dalmatii, qui hanc donationem scribere rogavit, cum uxore et filiis suis manu sua firmat. Petrus firmat, Aicardus firmat, Johannes firmat. » (Et sic de sex aliis qui donationem suo signo firmant.) Simili modo Ugo Dalmatii et uxor ejus et filii ejus dant Deo et B. M. et P. Priori, etc. quicquid videbantur habere infra terminos ; indeque acceperunt unam vaccam et unum bovem. » Ex eadem Dalmatiorum familia quidam postea et seipsos et suas facultates eidem domui tradiderunt. Etsi in præfatis literis dicatur « usque modo donationes sine scriptis sufficere solitas fuisse », hæc tamen verba non ita stricte accipienda sunt, ut antea his in regionibus donationes fierent sine scriptis ; cum e contra in Cartulario ejusdem Domus reperiatur Charta ante decem et septem annos scripta quæ sigillo Notarii munita est, ut anno fundationis ejusdem Domus Montis Rivi videre est.

V. sup. ad an. 1117.

JESU CHRISTI

ANNUS 1141.

Innocentii PP. II Ann. 12.	Ord. Cartus. Ann. 58.	S. Antelmi Pr. Cart. Ann. 3.

DISCORDIÆ INTER MONACHOS PORTARUM ET S. RUFFI CANONICOS SEDANTUR.

I. ANNUS Redemptoris millesimus centesimus quadragesimus primus, Indictione quarta, ordine sequitur, quo interveniente controversia inter Portarum cartusiæ Monachos et Regulares S. Ruffi Prioratus Ordinati Canonicos, ejusdem Cartusiæ terminorum occasione, judex a nostris interpellatus est Falco Lugdunensis archiepiscopus. Hic cum Guillelmo Bellicensi episcopo, nostri Bernardi qui paulo ante abdicaverat successore, et Ismione abbate Ambroniacensi causam accurate excutiens, pro Cartusiensibus sententiam dixit quam sequenti diplomate roboravit :

Cartul.Port. Extat etiam ejusd. Guich.

« Falco sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopus, Pontificibus universis qui usque in finem seculi per Dei gratiam Ecclesiæ ejusdem pastoralem cathedram obtinebunt, Pastorum Principi placere. Omnes qui ad perpetuam pacem supernæ Jerusalem tendunt, pacis amatores et sectatores esse oportet ; verum illi præcipue paci et quieti debent operam impendere, qui orationi et divinæ legis meditationi insistendo, studiosius atque sincerius Domino servire desiderant. Animus namque vel curis et sollicitudinibus mundanis occupatus, vel causarum secularium negotiis et disceptationibus avocatus, non potest, sicut expedit, divina meditari et Domino devotas ac fervidas orationes offerre ; unde Apostolus dixit et scripsit : Volo viros in omni loco orare, levantes puras

1. Tim. 2. 8. 1. Cor. 7. 32.

manus sine ira et disceptatione ; et alibi idem : Volo vos sine sollicitudine esse ; itemque alibi : Date operam, ut quieti sitis. Et beatus Pater Augustinus : Non potest, inquit, scrutari mandata Dei, nisi quieta mens.

ANNUS 1141

1. Thes. 4. 11.

« Quapropter servi Domini, qui anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinto decimo in eremo Portarum Domino servire cœperunt, volentes a se jurgia hominum sua quærentium submovere, ut religiosum studium possent coram Deo exercere ; habitationi suæ licet modicæ certos circumquaque terminos statuere, ultra quos juxta tenorem Cartusiensis Propositi nullam eis immobilem possessionem acquirere vel possidere liceret ; non tam voce quam opere quodammodo dicentes illud quod in persona talium dicitur in Psalmo : Declinate a me maligni et scrutabor mandata Dei mei. Prædecessores autem mei Lugdunenses archiepiscopi primum, ac deinde venerabilis Pater Papa Innocentius II, scriptis ac privilegiis suis decreverunt et sub anathematis sententia statuerunt, ut sicut prædicti Fratres Portarum ultra præscriptos terminos licentiam vel cupiditatem acquirendi sibi et posteris suis amputaverant, ita nulli omnino Religiosorum vel secularium liceret infra eosdem terminos acquirere. Quæ igitur illi statuere, nos quoque Pontificali autoritate roboramus, et eorum constitutionem ad notitiam omnium vestrum, qui post me in Pontificali sede Lugdunensis Ecclesiæ sessuri estis, per præsentem scripturam transmittimus, rogantes et obsecrantes ut sicut servi Domini, qui in illo loco per Dei gratiam vocati divinis officiis se mancipabunt, pro vestra et totius Ecclesiæ pace et salute apud Dominum intercedere non cessabunt, ita paterna vestra pietas debitum eis ferat patrocinium et tutelam adversus omnes qui religiosum studium qualibet calumnia vel infestatione inquietare voluerint. Quædam autem quæ in præsentia mea gesta sunt huic quoque scripto volumus inserere ; quæ, quia ad eorum pacem et quietem plurimum sunt profutura, voluimus per præsentem paginam, ad vestram et omnium qui hæc legere poterunt et scire necesse habebunt, notitiam pervenire.

Annus fundationis Portarum.

Termini possessionum positi.

Psal. 118.

A Papa et Archiep. Lugdun. confirmati.

ANNUS 1141

« Cum igitur Bernardus Portarum Prior et Fratres quos ei Dominus paulatim per incrementa temporum aggregavit, in prædicta Portarum eremo per viginti quinque et eo amplius annos Christo Domino deservissent, et ea quæ infra terminos suo jure, quantum eis videbatur acquisierant, quiete et pacifice se possidere arbitrarentur; relatione multorum didicerunt quod quidam Canonici Sancti Ruffi, juxta eos in loco qui dicitur Ordinatus habitantes, de eis conquererentur quasi ipsi terras vel possessiones eorum subripuissent. Quod cum et ab eisdem Canonicis sciscitantes audissent et ad me querelam hujusmodi detulissent, rogatu ipsorum convenimus Ego, et venerabilis Guillelmus Bellicensis episcopus, et Ismio abbas Ambroniacensis die et loco utrisque partibus constituto. Ubi cum venisset prædictus Bernardus Portarum Prior, et cum eo Pontius et Boso et Stephanus ejusdem Domus Monachi ; itemque ipsius Domus Fratres laici Bonuspar et Aynardus, et Ungrinus et Girardus et Syboldus, et Boso et Garnerius, et multi alii clerici, milites et laici ; affuerunt etiam ex alia parte Fulcherius Prior ecclesiæ S. Ruffi, et Giroldus Prior ecclesiæ S. Mariæ de Plateria, Humbertus quoque Prior de Buxia, necnon Humbertus Prior Ordinati cum quibusdam Canonicis Regularibus, et nonnullis clericis atque laicis. Tunc Fratres Portarum dixerunt Canonicis Regularibus, ut coram nobis ostenderent quam adversus eos querelam haberent, qui consilio accepto, coram me et omnibus qui aderant responderunt, quod neque testes producere neque penitus aliquid adversus eos valebant dicere, unde eis posset quicquam utilitatis provenire. Igitur cum illi defecissent et calumniam quam intulerant nullatenus probare potuissent, Fratres Portarum volentes a se et posteris suis hujusmodi calumnias excludere, protulerunt et in præsentia mea et cæterorum qui aderant, legi fecerunt privilegium venerabilis Papæ Innocentii II ; in quo scilicet privilegio sigillatim descripti sunt termini, quos ipsi dudum, ut diximus, habitationi suæ circumquaque posuerunt. Sunt autem termini isti ex parte occidentali .... (et cætera quæ legi possunt inter proba-

Cur Canonici Cartusien. inquietant.

Arbitri nominantur.

Cedunt Canonici.

tiones Historiæ Sebusianæ a Guichenone editæ, ubi diploma illud integrum describitur). Hæc autem gesta sunt die Calendarum Septembris, luna XXVII, Indict. IIII, Incarnat. Domin. anno MCXXXXI, Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ II anno XII, nostri autem Pontificatus secundo. »

ANNUS 1141

QUIBUS VIIS CARTUSIENSES SUA TUENTUR.

II. Ante quinque annos, vidimus ortum inter cartusiam Majorævi et Nantuaci Ord. S. Benedicti Priores dissidium, amice fuisse ab arbitris compositum, quos utraque pars unanimi consensu elegerat: videlicet Ambroniaci et S. Ragniberti abbatibus ac Portarum Priore. At non eadem via processum est in præfata controversia, ad quam decidendam utrique ad suum proprium Antistitem, Cartusienses ad Lugdunensem, Canonici Ordinati ad Bellicensem, tanquam ad legitimos judices confugerunt. Et quidem juxta sacrorum Canonum decreta, quibus declaratur officium esse Episcopi discordantes tam clericos quam laicos, quanto magis et ipsos monachos concordare. Non alia ratio his temporibus erga litigatores a nobis religiose servabatur, nisi quod hujusmodi hominum oblatam pacificæ concordiæ et arbitratus viam recusantium, querelas ad Episcopum vel ad ejus Curiam ac sæpe ad Summum Pontificem, non vero ad laicum judicem, deferebamus: nec ab ea discessimus quamdiu super secularem ecclesiastica prævaluit autoritas, majorisque fuit apud homines venerationis. Hinc natam credimus Hugonis cardinalis a Sancto Charo opinionem autumantis ac scribentis, Cartusienses ex peculiari voto teneri jus suum nunquam lite atque judicio prosequi. Sic enim ait : « Alii dicunt quod omnibus perfectis licet repetere sua, sed non expedit. Quod autem Cartusiensibus non licet, non est quia perfecti sunt, sed quia in voto habent quod nihil sub judice repetant; sed tamen possunt Episcopo ostendere quod aliquis injuriatur eis..... propter hoc dicendum, quod sicut cum infirmis dispensavit Ecclesia ut repeterent sua propter infirmitatem suam et fragilitatem, ita et cum perfectis propter malitiam hominum, quæ paulatim sic excrevit ut qui eis dare solebant, modo eis data auferant; sed cum Cartusiensibus non dispensavit prop-

V. sup. ad an. 1136.

Distinct. 90. cap. 1 et seqq.

Ad Episcopum recurrunt.

An votum habent de non litigando.

Hugo Card. in Epist. ad Corinth.

ANNUS 1141

ter votum suum repetitioni contrarium. » Verum dicit pius Cardinalis Ecclesiam « cum Cartusiensibus non dispensavisse » ab hujusmodi voto. Non enim necessaria est dispensatio aut a lege exemptio, ubi non est lex nec ullius legis obligatio. Pace namque tanti viri constanter asseveramus tale votum a priscis Patribus nunquam fuisse factum ; sed eos eorumque successores omni conatu lites semper vitasse, non ex voto sed ex majoris perfectionis desiderio et amore, ad quam omnes ex statu nostro tendere continuo tenemur.

LITES FUGIUNT MAJORIS PERFECTIONIS DESIDERIO.

III. Hanc assertionem variis satque validis tuemur rationibus et autoritatibus : 1. nullus præter Hugonem hujus meminit voti. 2. Nihil simile nostris in Statutis Chartisque capitularibus legitur, sed ubique litium fuga perfectionis adipiscendæ ac conservandæ gratia commendatur. 3. Si votum illud reapse extitisset, frangi nullatenus potuisset sine aliquo Sedis Apostolicæ privilegio. Quod tamen nec Hugonis tempore, ut ex illius verbis patet, nec etiam postea obtentum aliquando fuisse constat. 4. Cum Alexander III a Capitulo generali rogatus, Viennensem Archiepiscopum ejusque suffraganeos per bullam admoneret, ac eis præciperet ut molestantes nos sua autoritate compescerent, his utitur rationibus ad eorum zelum contra illos accendendum : « Non latet, inquit, discretionis vestræ prudentiam, quanto desiderio quantoque amore prædicti Fratres divinis intendant obsequiis, et abnegantes carnalia desideria rerum terrenarum delectationes spernentes, sobrie, juste ac pie in hoc seculo vivere elegerunt, et incessanter supernæ meditationi proposuerunt vacare. » Hæc certe non voti obligationem, sed ardens attingendi sanctitatis apicis studium indicant. 5. Vallis S. Petri Cartusienses a quibusdam eos injuriantibus ad remota tribunalia vocati, ad bullam ab Honorio III impetrandam qua prohiberet ne in causam extra suam diœcesim traherentur, non votum, sed solitudinis stricte servandæ legem protulerunt. « Quia, inquiunt, secundum Ordinis Instituta degentes in reclusorio, nonnisi ad suscipiendos Ordines illud audemus exire. » Petitam gratiam largitus est Honorius data bulla

Extat inter privileg. Ord. num. 4.

Ex mss. Domus Vallis S. Petri.

anno 1219, ante videlicet quam Hugo de hujusmodi voto scriberet. Quod sane votum si tunc constitisset, fuisset potius Summo Pontifici adducendum, quam alia quævis ratio. In literis fundationis parthenii Poletensis Princeps fundatrix jubet, « ut quamdiu Priorissa et consorores ejus coram competenti judice voluerit stare juri, quicumque scienter offenderit..... gravissime puniatur. » Hanc certe clausulam Patres non admisissent, si tale votum extitisset. 6. Jacobus de Vitriaco, etiam cardinalis et Hugonis coævus, Cartusiensium mores et instituta describens, eos laudat quod « contra injuriantes se nullam causam in judicio movent; unde (inquit) nec proximos sibi licet inimicantes scandalizant, nec advocatis ad lites et jurgia indigent, nec Curias seculares in detrimentum animæ suæ eos oportet adire »; sed de voto ne ullum quidem verbum habet. 7. Humbertus de Romanis quintus Prædicatorum Minister Generalis, sæpe nominati Hugonis discipulus, in Tractatu *de modo prompte cudendi Sermones,* multa de Cartusiensibus refert ac sigillatim persequitur quæ vel laude vel vituperatione digna in eis existimabat ; nec tamen de voti hujusmodi observatione vel violatione usquam meminit, licet id posceret materia, occasione frequentiorum discursuum de quibus vult Priores aliquos esse commonendos.

ANNUS 1141

Hist. Occident. cap. 18.

Tract. 1. lib. 2. tit. 24.

COACTI AD CURIAM EPISC. RECURRUNT.

IV. Præterea concedit quidem præfatus Hugo, Cartusienses « posse Episcopo ostendere quod aliquis injuriatur eis »; sed videtur liquido negare quod eis licuerit de re sua coram quovis judice, sive seculari sive ecclesiastico actione experiri. Præcise enim dicit « eos in voto habere quod nihil sub judice repetant. » Fatemur priscos Patres ejusque posteros, ut jam diximus, ab omni dica, tum ex Evangelii præcepto tum ex peculiari Ordinis ingenio abhorruisse, ac qualecumque tribunal, quantum in se fuit, defugisse. Verum prævalente injuriantium malitia, suum, sive potius Christi patrimonium quibuscumque illud diripientibus sine querela dimittere non audebant, ne de neglecto talento a Patrefamilias quandoque arguerentur. Quamobrem non solum Episcopo injuriam ex-

ANNUS 1141

ponebant, ut habet citatus Hugo, sed ad ejus etiam Curiam, casu exigente, more judiciario recurrebant, ut ex quibusdam exemplis probare est. Paulo ante quam Sanctus Antelmus ad Sedem Bellicensem invitus eveheretur, Engelbertus Vallis S. Petri Prior et postea Cabillonensis episcopus, ad generalia Ordinis comitia pergens, Patribus congregatis (inter quos erat Antelmus Cartusiensium Consuetudinum tenacissimus observator) exposuit quemdam Domus suæ agrum a vicinis alterius Ordinis Monachis invadi. Acceptoque consilio reversus, usurpatores in forum Episcopi Laudunensis (in cujus diœcesi situm erat utrumque monasterium) citat, ibique causam diligenter disceptatam obtinet. Victi Monachi ad metropolitanum tribunal, Remense scilicet provocant, ac rursum lite superantur. Galterus Laudunensis Præsul res omnes Vallis S. Petri paulo post confirmans, ejusdem controversiæ meminit his verbis : « Notificamus insuper quod terra, de qua querela fuit inter ecclesiam P. et ecclesiam de Valle S. Petri, judicio Remensis Curiæ in præsentia Domini Henrici archiepiscopi, ecclesiæ de Valle S. Petri adjudicata fuit. Datum anno 1166. » Cumque litem decennio post Abbas iterum movisset, archiepiscopali denuo condemnatus est sententia, quam Alexander III ad majorem firmitatem sua bulla confirmavit. Inter destructæ Angionis Domus Instrumenta, in Tabulario Majoris Cartusiæ asservata, quasdam literas anno 1212 datas reperimus in quibus Henricus Dominus castelli de Jure declarat, Cartusiensibus id requirentibus, « quod si ipse vel successores sui aliquam violentiam seu injuriam fecerint Fratribus dictæ Domus, liceat eis per ecclesiasticam sententiam justitiam requirere et recuperare ablata. » Hac cautione Angionenses videntur usi ad vitanda quæcumque judicia, quæ etiam quandoque subire quantumvis inviti cogebantur. Extat inter præfata Instrumenta sententia, ut vocamus, arbitralis inter eamdem Domum et abbatiam Bonimontis anno 1224 data, in qua arbitri primum exponunt quod : « cum jam utraque pars gravata fuisset laboribus et expensis propter quæstionem inter eas

Ex citatis mss. Cartus. Vallis S. Petri.

motam, tandem in præfatos arbitros compromiserit. » Ex laboribus et expensis satis liquet rem prius fuisse judicio vindicatam. Martinus Cartusiæ Prior, Præfati Hugonis cardinalis coætaneus et amicus, « vir magnæ sanctitatis et meriti » ab autore Chronici appellatus, audiens hæredem cujusdam Benefactoris Domus Portarum (cui ipse olim præfuerat) ejusdem Monachis molestiam facessere, Priori licentiam dat injuriantem trahendi in causam, scriptis tabulis anno 1233 in quibus sic loquitur : « Propterea procul dubio mihi videtur quod dictus Lambertus injuste, et cum maximo peccato Domum Portarum inquietat, et super prædicto territorio injustam calumniam eidem movet. Imo etiam scio quod eadem Domus Portarum non immerito eumdem Lambertum possit *in causam trahere* pro patre suo. »

ANNUS 1141

Chronic. ms. Maj. Cart. c. 11.

Cartul. 2. Cart. Port.

V. Etsi ad fora secularia quempiam citare scelus Patres existimassent, ad ea nihilominus primis etiam Ordinis temporibus a malevolis hominibus interdum tractos fuisse credibile est. Hac enim de causa videntur non solum Summorum Pontificum et Episcoporum, sed etiam Imperatorum, Regum ac cæterorum Principum præsidia necessario implorasse ad tantum malum vitandum. De Papalibus et Episcopalibus non est ambigendum. De aliis varia extant exempla. Angionenses Ordinem moderante Antelmo ad Fridericum Imperatorem, haud diu post Vallis sancti Petri Monachi ad Ludovicum Juniorem Franciæ Regem, Durbonenses ad Ildefonsum Aragonum Regem, alii ad alios Principes eam ob rem confugerunt. Satis prospere hæc via primo Ordinis seculo nobis successit. Cumque ineunte altero malum in nos invalesceret, Jancelinus Cartusiæ Prior bullam a Cœlestino III, anno Christi 1192, totius Ordinis nomine obtinuit, qua prohibetur « ne ullus etiam Episcopus vel quælibet alia persona, nos *Judicio seculari* de nostra propria substantia vel possessionibus nostris subjacere compellat. » Quibus ex verbis colligimus hoc primum tempore vim nostris fieri cœpisse ut se, vellent nollentque, tribunali seculari ad suas res tuendas sisterent. At ne a claustris suis sæpius avellerentur, literas a Princi-

IDEM FACIUNT APUD REGES ET PRINCIPES.

Extat inter Privileg. Ordinis, num. 16.

ANNUS 1141

pibus facile impetrabant, quibus præcipiebatur quibuslibet judicibus quatenus Cartusienses eorumque possessiones defenderent, cogerentque injuriatores de damnis illatis satisfacere et res usurpatas restituere. Extant in archivis veterum cartusiarum plura Principum diplomata ejusdem sententiæ, et præsertim in Portarum Cartulario quædam legimus Delphinorum Viennensium mandata ad suos baillivos, castellaneos et cæteros judices, quibus jubent ut « causas et quæstiones ejusdem Domus coram eis motas et movendas, juris solemnitate non servata, simpliciter et de plano et sine strepitu advocatorum terminent » ; nec eosdem Cartusienses cogant « ad assisias ire ». Unum hujusmodi diplomatum exemplum ab Humberto Delphino, anno 1283 in gratiam N. Portarum Prioris concessum, inter Vetera Mabilonii Analecta videre est, ex archetypo, quod vidimus, fideliter expressum.

Ex literis Thom. comit. Sabaud. datis an. 1216.

Vet. Anal. tom. 3.

QUANTO STUDIO A LITIBUS SUOS AVERTUNT.

Stat. mss. Jancelini.

VI. At parum Patribus profuisset Principum autoritate malum prævertere, nisi et simul impedire statuissent quominus in filiorum corda serperet. Quamobrem Jancelinus primus omnium statuit, « ut monachi non accommodentur extra Ordinem ad causas tractandas. » Quam constitutionem Rifferius non solum approbavit, sed alias etiam edidit quibus « qui personam Ordinis coram quocumque judice ecclesiastico vel seculari in jus traxisset, » expulsione ab Ordine puniebatur ; nullique licebat (quod etiamnum prohibetur) « in se tanquam Judex et arbiter placita suscipere aliena » ; imo nec pro causis nostris facile judicio contendere, ut per quamdam capitularem Chartam pronunciatum legimus : « Monemus omnes Priores, necnon Domorum Rectores, Vicarios Monialium et Procuratores, ut in causis sive agendo sive defendendo, non sint faciles ad litigandum ; sed se offerant stare judicio simpliciter et de plano jurisperitorum amicorum. » Inde aliquot post annis a Capitulo generali præclarum hoc ad Priores et Procuratores emanavit mandatum : « Refricantes sinceriter mentem Antiquorum (quorum memoria in ævum non delebitur), tam in Statutis nostris quam in diversis Chartis nostri Capituli generalis expressam et zelo Ordinis

Ant. Stat. p. 2. c. 20, 31 et 32.

Ex Chart. an. 1428.

Ex Chart. 1446.

elaboratam, super instabilitate nonnullorum Præsidentium et Procuratorum qui de facili Domus suas dimittunt, Curias Dominorum frequentant, litigiis voluntariis vacant et causis forensibus se immergunt : iterato sentientes cum Augustino, ordinamus quod illa negotia, quæ per Conversum seu Donatum, aut famulum et literas fieri possunt et debent, dicti Præsidentes et Procuratores in persona propria amodo non exerceant, sed cum Monachis, e quibus assumpti sunt, plus solito remorentur; per regulares observantias in continuo convictu se eisdem conforment, et divina cum eis obsequia diu noctuque frequentent, scientes quod primo quærendo quæ Dei et Ordinis sunt, cætera eis accommoda divino munere adjicientur et prospere augmentabuntur, et per contrarium, quod absit, ad nihilum reducentur. Injungentes Visitatoribus Provinciarum, quatenus circa præmissa, uti sunt ordinata, sinceriter invigilent quod a personis præfatis diligenter observentur; alias, transgressiones taliter puniant quod cedat omnibus ad exemplum. »

ANNUS 1141

VII. Hoc Patrum ingenio optime imbutus Franciscus a Puteo nos adhortatur, ut « quantum poterimus lites et processus fugiamus : servos enim Dei litigare non licet. Et si interdum ad id nos impellit necessitas, pacem cum adversariis via amicabili vel arbitrali, si fieri poterit, quæramus vel oblatam amplectamur; ad vitandum discursus varios, litis eventus dubios et expensas. Ex his enim multa Domibus et personis Ordinis eveniunt incommoda. » Quæ quidem omnia Nova Statutorum Collectio ad solos Priores et Procuratores transfert. Sæviente Hæresi seculo Christi sexto decimo, cum ecclesiarum bona a vicinis occupata fuissent, dataque pace universali Ecclesiæ, ab usurpatoribus in jure repeterentur, necessario cœperunt frequentiores clericorum et monachorum ex omni loco ad magistratuum tribunalia fieri concursus. Nostris ingravescentis mali impetu abreptis, ut scandalum inde nasciturum præverteretur, R. P. D. Bruno Daffringues Minister Generalis juxta potestatem sibi a Capitulo generali delegatam anno 1607 speciali mandato ad omnes Ordinis

IDEM PRÆSTANT STATUTA.

III Comp. c. 3. n. 14.

Nov. Stat. Collect. p. 2. c. 3. n. 27.

ANNUS 1141

Priores mense Septembri ejusdem anni directo, « prohibet omnibus Prioribus ne novam litem incipiant, nisi re prius cum Conventualibus discussa, Visitatoribus communicata et ab ipso Priore Cartusiæ in scriptis approbata. » Cumque majus incommodum quod Nostri ex litibus patiantur, sit frequens a monasterio absentia (ut ex supradictis apparet), unde maxime periclitantur solitudo, silentium et aliæ Ordinis observationes; ut huic malo remedium iterum adhibeatur, nostra ætate Capitulum generale voluit ut remanentibus, quantum fieri potest, Procuratoribus Cartusiensibus in Domibus suis usque dum necessitas personaliter comparendi

Ex Ch. 1679.

instet, « peritus Clericus secularis ad negotia litigiosa Provinciarum Regni Franciæ apud Parisios sollicitanda, juxta formam a Reverendo Patre præscribendam sub directione Domni Procuratoris Parisiensis instituatur, cujus sollicitatoris sumptus et stipendia per dictas Provincias Galliæ, Domui Parisiensi refundentur. » Cui ordinationi subjectæ sunt Provinciæ Franciæ, Provinciæ, Aquitaniæ, Picardiæ, Cartusiæ et Burgundiæ. Ex his patet, quantum ab ipsa Ordinis fundatione ad hæc usque nostra tempora verus Cartusiensis spiritus a lite et contentione, quanto magis ab arte litium captiosa semper abhorruerit. Fatemur igitur nobis non licere lites movere nisi impellente vera necessitate, et adversariis omnem viam amicabilem sibi a nobis prius oblatam repellentibus, juxta Statutorum mentem quæ quamdiu religiose ac discrete observaverimus, charitatem cunctis terræ bonis præferendam non amittemus, parati tunicam ei potius dimittere qui nobis aufert vestimentum, quam tantam virtutem paulisper lædere;

Reg. Aug. c. 15.

semper memores illius beati Augustini effati: « Lites aut nullas habeatis aut quam celerrime finiatis; ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam. »

PONTIUS PRIMUS MONACHUS PORTARUM MORITUR.

VIII. Hoc anno creditur obiisse Pontius monachus et alter cartusiæ Portarum Fundator: qui ex Ambroniacencis abbatiæ alumno, charismata meliora æmulatus, cum venerabili Bernardo deserti loci secessum petiit ubi cum aliis sociis, succisis

ad habitandum spatiis, proprio labore et industria Portarum cartusiam condidit, cujus alter initiator et incola factus, solitudinem hanc piis sanctisque operibus excoluit, et officium Procuratoris sibi a Bernardo impositum per plures annos cum omni humilitate tenuit, quo ante aliquot annos deposito, residuum vitæ in cella privatus transegit : pluribus interim Nobilibus ejus exemplo eloquiisque divino amore inflammatis, ad Christum et vitam solitariam conversis. ANNUS 1141

EXPLICIT VOLUMEN PRIMUM

INDEX

INDEX

PROŒMIUM

Vita sancti Brunonis usque ad Ordinis Cartusiensis initia. — I. Brunonis patria. — II. Genus nobile. — III. Quando natus. — IV. In Gallias missus ; putatur Parisiis studuisse et Berengarium audiisse; de hoc quidam dubitant. Dubia proponuntur. — V. Probatur studuisse Remis, — VI. Et ibidem docuisse ; fuit Remensis Canonicus, item scholasticus Remensis; quas scientias tradiderit. — VII. An possit in alicujus erroris suspicionem vocari; quando Psalterium commentatus est; in eo contra Berengarium scribit et docet; ejus fidei integritas. — VIII. Fulget virtutibus : Justitia, charitas erga proximum, animi magnitudo, pietas, sapientia, ingenii sublimitas, oris facundia, exempli ejus efficacia. — IX. Insignes viri ex ejus schola prodierunt : Urbanus Papa II, Rangerius Cardinalis vel Episcopus, Robertus Episcopus Lingonensis. — X. Sanctus Hugo Gratianopolitanus Episcopus, Rodulphus Archiepiscopus Remensis, Godefridus Cancellarius Remensis, Anselmus Ecclesiæ Laudunensis Decanus, Lambertus Abbas Pultariensis. — XI. Petrus Abbas Sancti Joannis in Vineis, Mainardus Prior Cormeriacensis. — XII. Bruno fuit Cancellarius Remensis. — XIII. Simoniaco Præsuli sancte resistit; illius odio Remis exit. — XIV. Parisios primum se recipit. — XV. Archiepiscopum defert ad Papam ; ad Concilia Claromontense et Augustodunense ; ab eodem Archiepiscopo bonis spoliatur, a Legato commendatur Papæ. — XVI. Archiepiscopus Romam petit, a Papa benigne excipitur; Remos reversus de Brunone queritur. Bruno Coloniam repetit. — XVII. Sanctus Hugo ejus discipulus fit episcopus Gratianopolitanus ; annus discutitur. — XVIII. Manasses judicium declinare studet, Brunonem suspectum reddit, Hugoni Legato insultat, eum pecunia tentat corrumpere ; testes quos deceperat a Brunone ad officium revocati. — XIX. In Concilio Lugdunensi deponitur, a Gregorio mitius tractatur, armis sibi Sedem asserit, a Remensibus expellitur. Elinandus Sedem occupat. — XX. Bruno Parisiis moratur. In priorem locum restituitur, in Archiepiscopum postulatur ; Raynaldus in locum Manassis sublegitur.

— XXI. Qua occasione Bruno de mutanda vita cogitavit ; socios sui secessus quærit, monasticam vitam vovet. Causa secessus probatur. — XXII. Traditione. Nihil de suo Ordine antiqui Patres scripserunt, quæ tanti silentii causa. — XXIII. Qui traditionis Autores ; quantam fidem mereantur. Probatio ex conjectura. — XXIV. Primus Historiæ damnati viri scriptor ; quo tempore vixerit, quam sincere scripserit ; Historiæ narratio. — XXV. Qui post eum et ex eo scripserint : alter Anonymus vixit 1298, Guillelmus de Hyporegia 1313, tres Anonymi 1350 ex variis codicibus, Henricus Calkar 1398, Hermanus a Petra 1410, Dionysius Cartusiensis et alii usque ad annum 1500. — XXVI. Quid notandum ex horum narratione ; hæc Historia nec Ecclesiæ, nec Universitati Parisiensi dedecori fit ; nihil in ea creditu difficile. — XXVII. Extraneorum testimonia. — XXVIII. Cæsar Eisterbacensis, primus hanc Historiam edidit. — XXIX. Cujus sit autoritatis ; a doctis et piis laudatur. Launoyus duo exempla a Cæsario allata perperam confundit. — XXX. Codex Montis Dei ; codex familiæ Lucemburgensis, ejus antiquitas. — XXXI. Launoyi in eum objectiones diluuntur. — XXXII. Ranulphus Lygden, Joannes Iperius abbas S. Bertini, Joannes Gerso. — XXXIII. Quid ex tot autoritatibus concludendum. — XXXIV. Quando de hac Historia dubitari cœptum, causa hujus dubitationis ; a Launoyo impugnatur ; cur e Breviario reciditur. — XXXV. Tractatum in eam scribit Launoyus, præsertim argumento negativo usus. An S. Bruno aliam sui secessus causam protulerit ; cur Bruno de spectaculo siluerit. — XXXVI. Quid sentiendum de Guiberti Abbatis testimonio ; quæ Launoyi argumenta. An Manassæ persecutio causa fuerit conversionis sociorum Brunonis. — XXXVII. An Guigonis nostri autoritas adversatur Historiæ. — XXXVIII. Cujus vis sit testimonium Ordinis Cartusiensis a Launoyo allatum. — XXXIX. Petri Cluniacensis testimonium enucleatur. — XL. Quid de Sigiberti, de Roberti de Monte et aliorum autorum testimoniis sentiendum. — XLI. Quæ fides habenda nostræ Historiæ. — XLII. Bruno et socii consilium suscipiunt petendæ solitudinis, ad Gratianopolitanum Episcopum pergunt ; tempus discutitur. — XLIII. Quæ fuerint primordia S. Hugonis : ejus patria, parentes ; Odilo pater, postea Conversus Cartusiæ. Qualis fuerit mater ejus, ab ea prægnante prævidetur ut sanctus ; studia absolvit in exteris regionibus ; in Episcopum a Clero Gratianopolitano petitur. Tempus Concilii Avenionensis disquiritur. — XLIV. Electioni refragatur, cui tandem consentit ; abnuit Sacros Ordines sumere a simoniaco ; pergit Romam, infestatur tentatione blasphemiæ ;

a Gregorio VII consecratur, Mathilde Comitissa necessaria consecrationis subministrante; Gallias repetit, Legatum comitatur; quando episcopatus possessionem inierit; — XLV. Ecclesiam Visiliensem dat Prioratui S. Laurentii; depravatos mores in diœcesi reperit, fit Monachus Casæ Dei, a Summo Pontifice cogitur redire ad Episcopatum. — XLVI. S. Bruno cum sociis ad eum venit; an S. Bruno fuerit sacerdos. I—CXVIII

ANNALES ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM PRIMUM

Jesu Christi annus 1084.

I. S. Bruno ascendit in montem Cartusiæ, instaurat vitam eremiticam. — II. Ab omnibus vocatur eremita. — III. Ordo Cartusiensis institutus ad colendam vitam Christi absconditam; an institutus præcipue ad colendum S. Altaris Sacramentum. — IV. Discutitur annus fundationis Ordinis Cartusiensis; Baronii opinio refellitur; ad annum 1084 revocatur; circa festum S. Joannis Baptistæ Cartusia inhabitatur. — V. Ejus situs; a quibus locus concessus. Literæ fundationis. — VI. Fundatorum notitia. De Siguino abbate. — VII. Locus Cartusiæ nomen dedit Ordini. Cartusienses sunt vere monachi. Vita Cartusiensis ex anachoretica et cœnobitica componitur. — VIII. Cartusia ædificatur; utriusque claustri forma; primi Patres singuli in singulis cellis habitant; fons cellis inducitur. — IX. S. Bruno et socii vestem monasticam induunt; cur album colorem elegerint; quæ sint vestimenta nostri Instituti: de tunica. — X. De cuculla; de pellicea; tunicellarum usus quomodo introductus. — XI. Cilicium; cilicii usus loco durioris laboris; librorum scriptio et compactio pro labore manuali; infirmi cilicium deponunt, mortui cum cilicio sepeliuntur. — XII. Primorum patrum exercitia; quis labor manualis? Vacant librorum scriptioni. — XIII. Primorum patrum fervor. — XIV. An Ordo Cartusiensis deciderit? Semper obtrectatores passi sumus. — XV. Guigo primus Consuetudinum Ordinis autor nascitur. . . 1

Annus 1085.

I. Primum Cartusiæ templum consecratur; cur Beatæ Mariæ et S. Joanni dicatum? S. Maria Patrona Ordinis Cartusiensis; S. Joannes Bap-

tista, alter patronus Ordinis Cartusiensis. — II. Qui præterea Sancti a Cartusiensibus præcipue colantur : S. Antonius, S. Benedictus. — III. An Cartusienses ejus Regulam sequuntur ? Habent regulam peculiarem. Ordo Cartusiensis ab aliis differt. S. Benedictum ut Patrem colunt. — IV. Gregorius Papa obiit. Bruno virtutibus fulget, monachos et conversos instituit 33

Annus 1086.

I. Victor III eligitur : an præviderit fundationem Cartusiæ ? — II. An Ordo Cartusiensis a Sede Apostolica sit approbatus 42

Annus 1087.

I. Victor III consecratur. Plures fiunt Cartusienses, inter quos Lanuinus. — II. S. Hugo et Guillelmus Prior S. Laurentii, in Cartusia nostrorum morem sectantur. — III. An habitum nostrum induerint ? Guillelmus non induit. — IV. Nec S. Hugo. Hugo ut Cartusiensis habendus 46

Annus 1088.

Urbanus Papa II creatur, quondam S. Brunonis discipulus, in scholis Remensibus 52

Annus 1089.

I. Concilium Romæ habetur, cui adfuit Raynaldus Archiepiscopus Remensis. Bruno eo tempore ab Urbano II evocatur. — II. S. Hugo usurpata suæ Ecclesiæ bona recuperat, usurpatores excommunicat. — III. Dissidentes reconciliat. 54

Annus 1090.

I. S. Bruno ab Urbano II evocatur, ipsum in negotiis ecclesiasticis juvaturus ; inde socii ejus turbati. — II. Eremus Cartusiæ denuo habitatur. — III. Bruno Papam in Apuliam sequitur. — IV. Bruno scribit ad Radulphum Remensem 58

Annus 1091.

I. Confirmatio loci ab episcopo diœcesano — Visitat S. Nicolai reliquias. — II. Donatio facta ab episcopo Squillacensi. 68

Annus 1092.

I. Urbanus confirmat donationem Rogerii et confirmationem Episcopi Squillacensis. — II. Quanti facit Brunonem et Lanuinum. — III. S. Hugonis continuæ infirmitates 71

Annus 1093.

I. A Rogerio visitatur et beneficiis donatur. — II. De sancto Stephano Grandimontensi. — III. Lis inter Viennensem et Gratianopolitanam Ecclesias 74

Annus 1094.

I. Rogerius dat monasterium de Arsafia ; consecratur ecclesia Eremi. — II. Rogerius Apuliæ dux confirmat donationes loci Turrensis. — III. S. Hugo Romam nuntium mittit contra Guidonem Archiepiscopum Viennensem ; Bullam ab Urbano II obtinet ad Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem ; Bullam alteram ab eodem Papa recipit. — IV. Bruno scribit ad Fratres Cartusiæ. — V. Quomodo introductum officium B. Mariæ 81

Annus 1095.

I. An Præfatio B. V. Mariæ S. Brunoni tribuenda ? — II. Controversia inter Viennensem et Gratianopolitanum Episcopos. — III. Solvitur lis de Salmoriacensi pago 92

Annus 1096.

I. Raynaldus Archiepiscopus Remensis moritur. — II. Joannes de Nicephoro fit Episcopus Militensis, agente S. Brunone. — III. Lauduinus quosdam donat habitu religionis 97

Annus 1097.

I. Rogerius, Rogerii comitis filius, a S. Brunone baptizatur. — II. Monasterium B. Virginis et S. Stephani protomartyris construitur. — III. S. Bruno scribit ad Radulphum Viridem. Idem Radulphus moritur Archiepiscopus Remensis. — IV. S. Hugo in Apulia moratur . . 99

Annus 1098.

I. Joannes Episcopus Squillacensis confirmat donationes factas S. Brunoni ; — II. Easdem Urbanus II confirmat. — III. Rogerius Comes Capuam obsidet ; contra eum fit conjuratio, a S. Brunone sibi in somnis apparente liberatur. — IV. Observationes in utrumque diploma : quo anno prius fuit datum. — V. Ecclesia S. Mariæ de Eremo et S. Stephani. — VI. An S. Bruno vivens potuerit apparere Rogerio ? — VII. Monasterium de Montauro. — VIII. S. Hugo suæ Ecclesiæ jura tuetur. — IX. Ordinis Cisterciensis exordia 104

Annus 1099.

I. Urbanus II moritur. — II. Rogerius dux Apuliæ erga S. Brunonem beneficus 119

Annus 1100.

I. Lauduinus Prior Cartusiæ in Calabriam pergit, a Schismaticis capitur, violentias patitur, orat pro persecutore, in carcere moritur ; quam austerus fuerit ; ut martyr habetur. — II. Quo anno obierit, qua die. — III. Petrus ejus successor 120

Annus 1101.

I. Rogerius Comes donationes suas confirmat ; pie moritur. — II. Paschalis II dona et privilegia confirmat. — III. S. Bruno moritur, ejus fidei professio ; cur ab eo facta ? Ad damnandas sui temporis hæreses. — IV. Quo anno, quove die obierit, primo sepultus in spelunca, deinde in ecclesia S. Mariæ, translatus tandem in S. Stephani ecclesia. — V. Ut sanctus habetur, in rotulo de quo infra. — VI.

Synopsis vitæ illius; quando natus, studia et dignitates, quales docuit discipulos, in Remensem Archiepiscopum postulatus, causa secessus, an Manassis persecutiones? Unde silentium autorum. — VII. Cartusiam incolit, Romam evocatur a Papa, secedit in Calabriam, Archiepiscopatum Rheginensem recusat, moritur. — VIII. Obitus ejus in remotiores provincias cum rotulo missus. Quid sit rotulus? quid Titulus? Titulus Eremi Calabriæ, Pater Bruno sanctus a suis dicitur, ejus professio fidei, ejus virtutes. — IX. Tituli funebres, in Italia et Burgundia; — X. in Francia; — XI. in Anglia et Normannia; — XII. in Britannia; — XIII. in variis locis. — XIV. Scripta ejus: Expositio Psalterii, — Epistolarum D. Pauli. — XV. Lanuinus post S. Brunonem magister Eremi eligitur. Nomina Religiosorum qui obedientiam Lanuino præstitere. Paschalis ad Lanuinum scribit, Brunonem Beatum vocat. — XVI. Eidem Lanuino patriæ pacem committit resarciendam. — XVII. Petrus misericordiam accipit 123

Annus 1102.

I. Concilium Romæ habetur. — II. Andreæ et Guarini Conversorum obitus 156

Annus 1103.

I. Guigo comes Albonis dat Cartusiæ Vallem Umbrosam. — II. Lanuinus a Paschali II legatur ad Canonicos Militenses, ad Abbatem S. Juliani; excommunicat monachum S. Euphemiæ; quo tempore hæc fuerunt acta 158

Annus 1104.

I. Paschalis laudat Lanuini sollicitudinem in exequendis pontificiis mandatis. Hubertus Abbas S. Euphemiæ. — II. Iterum Lanuinum monet, ut provideat Abbatiæ S. Juliani. 162

Annus 1105.

I. Lanuinus a Paschali institutus visitator et reformator monasteriorum Calabriæ. — II. Canonici S. Donati vitam vovent regularem. — III. Bernardus Conversus Calabriæ moritur. 164

Annus 1106.

I. B. Guigo fit monachus Cartusiæ; quam arctæ solitudini deditus; an fuerit Decanus Gratianopolitanus. — II. Alcherius dat Cartusiæ vallem de Teneson. Humbertus de Miribel consentit donationi. III. Guigo comes quondam dictus vetus 167

Annus 1107.

I. Lis inter S. Hugonem et Archiepiscopum Viennensem dirimitur. — II. Galterius Calnesius monachus Cartusiæ et alii. 170

Annus 1108.

I. Eremus Calesiensis fundatur. — II. Nomina primorum monachorum Calesiensium 173

Annus 1109.

I. Joannes I Cartusiæ Prior moritur. — II. Guigo succedit. — Abbas perperam dictus. Prior Cartusiæ dictus Reverendus Pater. . . . 176

Annus 1110.

I. Guigo Prior Cartusiæ vicinas rupes dono comparat. — II. Guigo Comes erga Calesienses beneficus. — III. S. Hugonis liberalitas . 180

Annus 1111.

I. S. Hugo bona suæ ecclesiæ recuperat; idem veritatis studiosissimus. Comitem excommunicans bis ab eo sede expellitur. Moratur Lugduni et in Cartusia, reconciliatur Comiti 183

Annus 1112.

I. Celebratur Concilium Viennense. Henricus imperator excommunicatur instigante S. Hugone. S. Godefridus Ambianensis episcopus præest Concilio. — II. Guitfredus de Bellomonte benefactor Cartusiæ. . 186

Annus 1113.

I. Lanuinus pergit ad Papam, ab eo obtinet Bullam contra molestantes. Paschalis Lanuinum fratrem, non filium appellat in suis literis. — II. S. Bernardus Cisterciensem habitum induit 188

Annus 1114.

I. S. Godefridus episcopus Ambianensis in Cartusiam se recipit. — II. De ejus absentia clerus conqueritur apud Concilium Bellovacense, causam sui secessus Patribus significat. — III. Lanuinus novum construit monasterium, sub cura Magistri Eremi. — IV. In hoc cœnobio recens constructo, novitii instituebantur 190

Annus 1115.

I. Agitur de revocando e Cartusia S. Godefrido. Legati propterea illuc missi. — II. Abbatia Clarevallensis et Cartusia Portarum eodem tempore fundantur. Monachi Ambroniacenses Portarum Cartusiæ autores. Loci descriptio. Gauceranus Archiepiscopus Lugdunensis primus fundator. S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus. — III. Ambroniacenses consensum et loci partem præbent. Abbatum confirmationes. — IV. Primi monachi. — V. Benefactores. 196

Annus 1116.

I. Cartusia Excubiarum fundatur, ejus situs, fundatores; Soffredus Prior, varias patitur vexationes. — II. Benefactores. Ibidem Moniales Permaniæ demorantur. — III. Cartusia Durbonis fundatur, loci donatores. — IV. Primi illius incolæ; benefactores præcipui. — V. Fundatur domus Sylvæ benedictæ; primi benefactores. — VI. Domus Majorævi; Pontius de Balmeto fundator, factus monachus Cartusiensium; primi monachi. — VII. Pontii posteri benefactores. — VIII. S. Hugo comiti Guigoni reconciliatur; Portarum Cartusiam visitat; plures ejus hortatione ad pœnitentiam excitantur; Arbertus de S. Saturnino pœnitens, bona nostris largitur, plures alii idem faciunt, quidam fiunt Cartusienses. — IX. Gauceranus Archiepiscopus Lugdunensis nostros protegit; supplex eis bona impetrat a Sanctimonialibus Lugdunensibus. — X. Eædem Sanctimoniales

reformationem amplectuntur, quibus Portarum monachi gratulantur; inter utrumque Monasterium fit concordia stabilis. 204

Annus 1117.

I. Fundatur domus Montis Rivi; fundatores qui : Guillelmus de Soleriis fundatorum præcipuus. — II. Benefactores ejus : Raymundus Episcopus Massiliensis, Petrus Salomon Abbas S. Victoris Massiliensis, Fredolus ibidem Abbas, Fulco episcopus Massiliensis; fundatio hostiarum ; Benedictus episcopus ejusdem Ecclesiæ; item vestium, item pro infirmis; Nobiles fiunt Cartusienses. — III. Eadem Domus adversis casibus quatitur, a militibus spoliatur. — IV. Gauceranus Archiepiscopus Lugdunensis moritur, Portarum fundator. — V. S. Hugo Calesiensibus bona conciliat. 220

Annus 1118.

I. Paschalis moritur, Gelasius eligitur. — II. Stephanus Burgensis ex Ordinis fundatoribus moritur. — III. S. Godefridus episcopus Ambianensis moritur. — IV. Portarum monachi Prioratus Ordinati S. Ruffi autores, inter utrumque Ordinem dissidium, ab ipso Abbate sedatum; ejusdem Abbatis ad nostros epistola. Ordinatum suo Ordini nostrorum interventu datum fatetur; suorum in nos jurgium improbat; quanti faceret nostrorum amicitiam. 226

Annus 1119.

I. Gelasius II moritur et Callistus II succedit. — II. Consecrat Ecclesiam S. Antonii Viennensis ; Soffredus Prior Cartusiæ Excubiarum adest solemnitati. — III. Guigo Cartusiæ Prior capsam S. Antonii fabricat; S. Hugo Lincolniensis ad S. Antonium aliquando divertit; Cartusienses S. Antonii imitatores. Idem S. Antonius paupertatis post mortem amans. — IV. An Guigo accesserit ad S. Antonium? — V. Callistus Hugoni Gratianopolitano amicus, eum eligit cujusdam dissidii arbitrum; quis ejus successor in Archiepiscopatu, ex eodem codice. 230

Annus 1120.

I. Lanuinus Magister Calabriæ moritur; alius a Lauduino Priore Ma-

joris Cartusiæ. — II. Lambertus ejus successor. — III. Condit Statuta pro anachoretis : (continuum jejunium ac silentium : quid continuum jejunium, quid silentium). — IV. Statuta pro cœnobitis (missa pro defunctis quotidiana). — V. Statuta pro Conversis. — VI. De Præposito Metabri (pro anachoretis). — VII. Jejunium diebus festis in adventu (pro anachoretis), duæ abstinentiæ singulis hebdomadibus ; tres in quadragesima ; Totidem per totum annum a Guigone instituta. An Guigo S. Brunoni contrarius ? Eadem austeritas a Guigone remissa. Tempore Basilii in Adventu et in Quadragesima tantum servata ; idem tenetur a S. Hugone Lincolniensi. Abstinentiæ feriarum 2 et 4, in jejunia Ordinis mutatæ, a quibusdam semper servandæ. — VIII. Quædam specialia pro cœnobitis. — IX. Pro infirmis. — X. Calesienses abire volunt ; Guigonis comitis precibus retinentur, Cartusienses consulunt, ibidem perseverant, novas gratias a S. Hugone recipiunt. 236

Annus 1121.

I. Pontius Prior Majorævi fit episcopus Bellicensis. — II. Lambertus Magister Calabriæ eleemosynas recipit. Constantia Regis Francorum filia, benefactrix Calabriæ. — III. Odilo S. Hugonis pater, apud Cartusiam moritur. 252

Annus 1122.

I. Lambertus Prior Calabriæ Papam invisit ; dedicationi Ecclesiarum Militensis et Catacensis interest. — II. Negat Ughellus Callistum adiisse Calabriam, et Catacensem ecclesiam consecrasse ; annus quo S. Gerardus episcopus Potentinus obierit discutitur. — III. Probatur Callistus adiisse Calabriam. — IV. Quædam objecta diluuntur. 255

Annus 1123.

I. S. Bernardus adiit Cartusiam ; Guigo scribit ad S. Bernardum. — II. S. Bernardus ad Cartusienses scribit, reddit causam intermissæ hactenus scriptionis. Quam dulcis et jucunda Bernardo sanctorum virorum familiaritas. — III. Vera et sincera charitas, quæ ? Modestia et humilitas sancti. — IV. Ejus iter ad Cartusiam. — V. Quanto cum gaudio a nostris receptus. — VI. Quantum amaverit Ordinis Cartusiensis professores. — VII. Abbatia S. Sulpicii fundatur, Humbertus ibidem Prior non Ordinis

Cartusiensis; Hugo Abbas Pontiniacensis ejus et Domus Portarum terminos designat; Bernardus Abbatem instituit, Cartusiensium amicum cum Humberto monacho; idem Humbertus Prior ibidem. — VIII. An hæc Abbatia nostri fuerit Instituti? 262

Annus 1124.

I. Callistus II confirmat Ordinem Cartusiensem et moritur. — II. Lambertus Calabriæ Magister moritur, Magister Leo succedit. — III. Comes Nivernensis munera mittit ad Cartusiam; instrumenta domestica Cartusiæ modesta. — IV. Cartusiensium in ecclesiæ supellectili simplicitas. — V. Boso hanc simplicitatem tuetur; Statuta nimietatem in his damnant. Honesta ornamenta non prohibentur. — VI. Quales cucullæ ecclesiasticæ; olim monachali non superinduebantur. 272

Annus 1125.

I. Calesienses Institutum mutant, Bernardus fit Abbas, Ordinatus a S. Hugone loci institutore. — II. Ecclesia Portarum dedicatur ab Humbaldo Archiepiscopo Lugdunensi et Humberto Episcopo Gebennensi. Gerardus de Briort fit ibidem Conversus. — III. Bernardus de Porta fit monachus; Petrus Abbas Cluniacensis Portas invisit. — IV. Visio facta monacho Calabriæ. — V. Monachi Calabri missas frequenter dicebant. — VI. Cartusiæ monachi rarius sacrificabant. — VII. Diebus solemnibus. — VIII. Missæ conventuales, quibus diebus celebratæ? omnes monachi sacerdotes. Duæ missæ in uno die; Missa pro benefactoribus. — IX. Quot dies per annum missas conventuales habuerint? ratio cur rarius Nostri sacra faciebant. 282

Annus 1126.

I. Lazarus Prior Durbonensis floret, epistolas S. Hieronymi a Guigone obtinet. — II. Guigonis ad eum literæ. — III. Guigo scribit de modo orandi. 297

Annus 1127.

I. Leo Magister Eremi Calabriæ moritur, item Germanus illius successor; Radulphus fit Magister ejusdem Eremi. — II. Stephanus S. Theodori

Abbas Domus Calesii benefactor. — III. Guigo Cartusiæ Consuetudines scribit, jussus a S. Hugone et a quibusdam Prioribus rogatus. — IV. An S. Bruno regulam scripserit ? Cartusienses reguntur Lege Evangelica. — V. Habent Statuta pro Regula. — VI. Quæ mens Guigonis in Consuetudinibus scribendis ? — VII. Recipiuntur ut Statuta ab Ordinis Prioribus. — VIII. A primo Capitulo generali probatæ ; confirmantur ab Innocentio II. — IX. Guigo ordinat Antiphonarium, ex Sacris Libris compositum, conforme Ecclesiæ Lugdunensi. — X. Quando cantus introductus ? 301

Annus 1128.

I. Concilium Trecense ; in eo approbatur Templariorum Ordo ; Hugo ejus fundator Cartusiensium amicus ; nostri Guigonis ad eum literæ : Interiores hostes ante subigendi sunt quam exteriores ; hæc epistola quando scripta. — II. S. Hugo et Pontius Bellicensis episcopus adsunt consecrationi ecclesiæ Portarum. — III. Portarum termini confirmat Humbaldus. — IV. Iterum Raynaldus Lugdunensis Præsul. Error circa præfatum instrumentum corrigitur. — V. Terminorum Sylvæ confirmatio. — VI. S. Hugo monasterium Agaunense reformat. — VII. Abdicationem suam urget. — VIII. Albertus episcopus Taurinensis an fuerit Cartusiensis ? 311

Annus 1129.

I. Guigo duas Curretias acquirit. — II. Gyrovagi e Curreria expelluntur : Domini de Mirabello jus suum cedunt, item Domini de Voirione et de Tolvione et alii. — III. Monachi Casæ Dei benefactores Cartusiæ ; Hugo Capellanus adhuc superstes. — IV. Stephanus Abbas Casæ Dei ; donatio per Abbatiam Calesiensem ; S. Hugo donationes confirmat. — V. S. Hugo ingressum mulierum prohibet, item et venationem et piscationem. — VI. Pontius Cartusiensis, episcopus Bellicensis, a Summo Pontifice delegatur. — VII. Radulphus Calabriæ Magister Siciliæ regis coronationi interest. Maraldus monachus Calabriæ autor Chronici. Rogerius Rex confirmat fundationem Calabriæ. — VIII. Raynaldus archiepiscopus Lugdunensis moritur, Ordinis amicus. — IX. Petrus Rainaldi successor, in nos propensus. — X. Nobiles fiunt Cartusienses. — XI. Alii benefactores. — XII. Odolricus episcopus Diensis. . . . 321

Annus 1130.

I. Honorius Papa moritur, Innocentius II eligitur et contra eum Petrus Leo. Pseudo-Papa, agente S. Hugone, excommunicatur. S. Hugo iterum petit deponi, fidelis Ecclesiæ et Summo Pontifici. Cartusienses stant pro Innocentio II, eorum exempla alii imitantur. — II. Haymericus Cardinalis invisit Cartusiam, ibi brevi demoratus; Joannes Ostiensis et Matthæus Albanus episcopi Cartusiensium amici. — III. Odo Abbas S. Remigii ad Cartusiam venit, causa itineris. 332

Annus 1131.

I. Diversi Ordines fulgent in Ecclesia. — II. Guigo ad Innocentium scribit. Laudantur Cartusienses coram Concilii Patribus. Acquiescunt Sancto Hugoni episcopatum suum in Hugonem Cartusiæ monachum transferri petenti. Hugo, abbas Pontiniaci, ipsorum lator literarum. Pro Ecclesia Gratianopolitana Papam deprecantur; eum ad constantiam hortantur. Gerardus episcopus Engolismensis fautor schismatis Petri Leonis adversus Innocentium. Rogant pro Cisterciensibus et aliis. — III. Guigo Summum Pontificem convenit. Hugo monachus Cartusiæ fit episcopus Gratianopolitanus. Qualis fuerit Hugo II. — IV. Hugo Capellanus moritur. — V. Usurpator divinitus perculsus resipiscit. 340

Annus 1132.

I. Cartusia ruentibus nivium acervis eversa; septem monachi oppressi; unus, Haduinus nomine, vivus post duodecim dies erutus, aliorum oppressorum nomina; observanda circa Haduini mortem. — II. Confessio sacramentalis de venialibus, semper in usu apud nos; a S. Hugone Lincolniensi frequentata; in cella fieri potest. — III. Prior Cartusiæ habitatio relinquitur. — IV. S. Stephanus Obazinensis Cartusiam invisit, a Guigone benigne acceptus; clades præfata describitur; Guigo ei dissuadet ne Cartusiensis fiat. — V. Petrus Cluniacensis afflictos patres consolatur. — VI. Non est dolendum de eorum morte, sed de nostro labore; patientia Job imitanda. — VII. Petrus Cluniacensis iterum ad nostros scribit; crucifixi effigiem mittit, item libros. — VIII. Guigonis ad Petrum Cluniacensem responsio; egregia Guigonis humilitas. — IX. S. Antelmus fit Cartusiensis monachus; quando natus; quis Vitæ illius scriptor, prologus

in ejus Vitam. — X. Claris nascitur parentibus; fit canonicus Genevensis et Bellicensis. — XI. Domos Ordinis frequentat; a Bernardo Portarum Priore ad conversionem animatur, habitum Ordinis induit in eadem Portarum Cartusia. — XII. Milo Prior Majorævi moritur. — XIII. Itidem S. Hugo episcopus Gratianopolitanus, cui adsunt Religiosi Majoris Cartusiæ cum aliis; nullo vel phrenesis vel morbi vi, ab oratione distrahitur; resolvit quæstiones circa baptismum. — XIV. Felicissime migrat e corpore; tres Episcopi adsunt exequiis; devotio populi erga sacrum corpus; sepelitur. — XV. Radulphus Magister Eremi Calabriæ moritur. — XVI. Item Maraldus Calabriæ monachus. — XVII. Domus Arveriæ fundatur, descriptio loci, quando fundata; ejus fundatores : Sabaudiæ Comes et Dominus de Bellojoco. — XVIII. Lucius II fundationem confirmat; Benefactores ejusdem Domus : Stephanus, Artoldus, Petrus, Pontius, Aymo, Hugo de Varennes, Aymo de Rivoria, Petrus de Chimilieu, Bonifacius de Sabaudia, Joannes Nanterini. 347

Annus 1133.

I. S. Antelmus e Domo Portarum ad Cartusiam evocatur. — II. Procurator constituitur. — III. Hugo episcopus Gratianopolitanus pacem cum multis iniit. — IV. Innocentius II confirmat Consuetudines Guigonis. — V. S. Thomas S. Victoris Prior occiditur; cujus causa congregatur Synodus Jotrensis, ad quam scribunt Cartusienses. — VI. An hoc anno præfatus Thomas occisus ?. 372

Annus 1134.

I. S. Hugo Gratianopolitanus episcopus inter Sanctos relatus; Innocentius II jubet Guigoni Vitam ejus conscribere. — II. Guigo Vitam ejus dicat Summo Pontifici. — III. An S. Hugo primus qui a Summo Pontifice sit canonizatus ? — IV. Quando festum S. Hugonis apud nos celebratum, et sub quibus ritibus. — V. An Airaldus, de quo in Vita S. Hugonis, fuerit Cartusiensis ? — VI. Plures Præsules e Concilio ad Cartusiam veniunt. — VII. Berlio episcopus Bellicensis adfuit Concilio. — VIII. Nostri Ordinis fautor; ingressum finium Portarum mulieribus interdicit; qua stirpe genitus; populorum in nos pietas. — IX. Maximilla filia Regis Siciliæ, benefactrix Domus Calabriæ. 379

Annus 1135.

I. Hugo Gratianopolitanus et Airaldus Maurianensis episcopi, in Domo Portarum confirmant donum Richardi de Benuntia; peregrinatio Jerosolymitana; Richardus Monachos et laicos osculatur; Barnardus de Porta, Stephanus de Calmeto Novitii. Pisces in refectorio ministrandi ex speciali fundatione. Othmarus canonicus secularis, postea monachus Cartusiensis; ad benedictionem Episcoporum multi conveniunt. — II. Bernardus de Portis floret in domo Portarum, S. Bernardi abbatis amicus, a quo obtinet ut Canticum Canticorum exponat. — III. Ad eum scribit S. Abbas. — IV. Cui vacare debeat solitarius. — V. Quo tempore cœperit S. Bernardus Canticum Canticorum exponere. — VI. Primos sermones mittit ad nostrum Bernardum. — VII. Quantum eum dilexerit. — VIII. Opus prosequitur ad suorum monachorum instantiam. — IX. Guigonem iterum visitare tentat, sed suis occupationibus impeditur; veræ misericordiæ officia. — X. B. Pontius de Larazio ad Cartusiam venit. Guigonis et monachorum Cartusiæ modestia et humilitas. — XI. Mansiadæ Abbatia Ordinis Cisterciensis in diœcesi Vivariensi. — XII. Dissidium inter Cartusiæ monachos et habitatores villæ ejusdem cognominis dirimitur autoritate Hugonis II episcopi Gratianopolitani. — XIII. Cartusia prope Nannetas inchoata, in Britannia minori, in ipsis incunabulis extincta... 386

Annus 1136.

I. Canonici Gratianopolitani S. Augustini Regulam amplectuntur, suasu Hugonis II episcopi et Summi Pontificis autoritate; post 420 annos, ad pristinum statum redeunt. — II. Cartusiæ Portarum termini autoritate Papæ confirmantur. — III. Præludia Capituli generalis sub Guigone. — IV. Concordia inter Abbatiam S. Sulpitii et Cartusiam Majorævi. — V. Guido Berlio fit conversus in Cartusia Majorævi, item Guiotus de Balma. — VI. Cartusia Montis Dei fundatur ab Odone S. Remigii Abbate; fundationis origo; Raynaldus archiepiscopus Remensis illius adjutor, monachos a Guigone obtinet. — VII. Primi Priores ejusdem domus : Gaufridus primus Prior, Aymo secundus Prior, Gervasius tertius Prior; Othmarus primus Conversus. Epistola Petri Cluniacensis. — VIII. Primi benefactores; Innocentius II fundationem confirmat, idem fecere ejus successores. Mons Dei a decimis liber; in eo semper viguit observantia. — IX. Guigonis obitus. — X. Virtutes ejus, sanctus inscribitur, viris clario-

ribus comparatur, ejus charitas in arguendis defectibus. — XI. Ejus modestia et humilitas, flos dicitur religionis, utramque virtutem verbo et exemplo prædicat. — XII. Paupertatis et frugalitatis amor, ejus ignitum eloquium, melliflua doctrina, vitæ integritas, prudentia. — XIII. Scripta illius. — Guido de Ponte alius a nostro Guigone; de aliis ejus operibus. — XIV. Hugo Guigoni succedit. — XV. S. Guarinus Alpensis Abbas Bernardum Priorem Portarum visitat. 398

Annus 1137.

I. Fundatio Montis Dei confirmatur, testes qui adfuerunt donationi; ad quem annum referenda Montis Dei fundatio. — II. Mons Dei absolvitur eleemosynis ad S. Gibrianum erogatis. Vitæ S. Gibriani scriptores; ejusdem festum apud Montem Dei celebratur. — III. Petrus Venerabilis ad Priorem Cartusiæ scribit, idem Abbas erga Portenses beneficus. — IV. Portenses Cartusienses bona extra terminos posita suo largitori reddunt. — V. Quidam Conversus sanctitate floret, a dæmonibus infestatur, recreatur visione B. Mariæ Virginis. — VI. Parvuli pauperes in Cartusia, præfati Conversi curæ committuntur; unus eorum pie moritur, Magistro apparet conscendens in cœlum. — VII. Termini Domus Montis Rivi constituuntur juxta Guigonis Consuetudines. — VIII. S. Bernardus exemplum Cartusiensium et aliorum opponit schismatico de legitima Innocentii II electione. 419

Annus 1138.

I. Domus Valonis fundatur; Fundatores, Benefactores; ab hæreticis occupatur. — II. Cartusia molestatur a vicinis, quo anno data est Charta. — III. Bernardus Cardinalis Ordinis Cartusiensis moritur. — IV. Item Secherius Calabriæ Magister, — V. et Gaufridus episcopus Carnotensis, S. Hugoni carus et Cartusiensium admirator. — VI. Bernardus de Porta primum ad episcopatum quemdam in Lombardia vocatus, dehortante S. Bernardo fit episcopus Bellicensis. 433

Annus 1139.

I. Hugo Prior Cartusiæ abdicat, S. Antelmus succedit. — II. Status Cartusiæ spiritualis imminutus, a S. Antelmo restituitur; ab eo jure ex-

pelluntur contumaces. —III. Hinc Ordo Cartusiensis floret sub S. Antelmo ejus zelum imitantur successores. — IV. Expulsionis causæ. An hodie liceat contumaces expellere? — V. Novitii non perseverantes ad alium transire Ordinem tenebantur. Qui voverant nostrum ingredi Ordinem requirebantur. — VI. Raynaldus benefactor Montis Dei moritur. — VII. Domus Vallis clusæ fundatur ab Hugone de Cuisello; inter utramque Domum societas. — VIII. Pontius de Cuisello patris fundationem confirmat. — IX. Item alter Pontius. Successores fundatorum; ex Cartulario Domus Vallis clusæ. — X. Benefactores Vallis clusæ. — XI. Hugo II Gratianopolitanus episcopus pacem inter Excubienses et Nobiles restituit. Notitia fundationis. — XII. Bernardus Calesiensis Bullam ab Innocentio obtinet 441

Annus 1140.

I. Innocentius Portarum Domum in protectione apostolica suscipit. — II. Pontius de Balmeto quondam episcopus Bellicensis moritur; ejus vita: fit canonicus Lugdunensis; fundat Domum Majorævi; fit ipse Majoris Cartusiæ monachus, deinde Prior Majorævi. — III. Eligitur episcopus Bellicensis, invitus annuit electioni: plures ad Christum convertit. — IV. Qualis fuerit in lustranda diœcesi; adest Dedicationi templi Domus Portarum. — V. Episcopatum abdicat, et in solitudinem redit circa annum MCXXXIII; fratrem suum e seculo ad claustrum attrahit, tandem obiit. — VI. Abailardus damnatur ut hæreticus, ad instantiam S. Bernardi et Cartusiensium. Petrus Berengarius pro Abailardo contra Cartusienses scribit. — VII. Idem Berengarius in Episcopos invehitur; in Bernardum; videtur resipiscere; ad Fridericum transisse videtur. — VIII. Vallis sancti Petri Cartusia fundatur; secundus Fundator; Benefactores. — IX. Prima Domus translatio : frequentes pestilentiæ, item aquarum colluvies; altera translatio. — X. Ecclesia Montis Rivi construitur. . 458

Annus 1141.

I. Discordiæ inter monachos Portarum et S. Ruffi canonicos sedantur. Annus fundationis Portarum; termini possessionum positi, a Papa et Archiepiscopo Lugdunensi confirmati; cur Canonici inquietant Cartusienses; arbitri nominantur, cedunt Canonici. — II. Quibus viis Cartusienses sua

tuentur : ad Episcopum recurrunt ; an votum habent de non litigando ? — III. Lites fugiunt majoris perfectionis desiderio. — IV. Coacti ad Curiam Episcopi recurrunt. — V. Idem faciunt apud Reges et Principes. — VI. Quanto studio a litibus suos avertunt. — VII. Idem præstant Statuta. — VIII. Pontius primus monachus Portarum moritur. 476



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolij.
Ern. Duquat typographus.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolij.

Ern. Duquat typographus.

